


100%
COTTON
PRINTED
IN U.S.A.



0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31

2 400 40

Grafite

MADE IN SPAIN

CONSTITV
TIONES SACRORVM
CONCILIORVM TARRA-
CONENSIVM SVB ILLVSTRI, ET
REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATER
D.D.Hieronymo de Aurea, miseratione diuina
Tituli diui Thomæ in Parione sanctæ Ro.
ecclesiæ diacono Cardinali, & Tar-
racon. perpetuo administratore,
collectæ decreto sacri con-
cili Tarraconen. cele-
brati Anno M.

Ex de la Bib^{ca} mariana et corveto S. Fran^{co} d'Barra



BARCINO N E, cum gratia, & Priuilegio.

Apud Claudium Bornatium.

1557.


ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMIS, ET ADMODVM REVERENDIS PATRIBVS D.D. ARCHIEPISCOPO,
Episcopis, Abbat, cæterisq; concilii Tarracœn.
Mathias Sorribesvtriusq; iuris Doctor,
Abbas S. Saluatoris de Breda,
regius Cancellarius,
S. P. D.

TSSI non ignorabam, cum mihi à Dominationibus vestris id muneris conferbatur, vt sacri Tarracœnensis concilii constitutiones ordine digerendas in vnum volumen cogerem, rem demædari mihi quæ vix prudentium reprehensionem posset effugere, propterea quod difficile admundum esset valde dispersa sic concinnare, vt omnibus placentitatem quia Dominationibus vestris iusta petentibus, & præclaris cupientibus non parere nefas esse duxi, opus aggressus sum non tam perficiundi spe, quam experiundi voluntate. Conquisiuit igitur vndique vetera exemplaria, & ex suis archetypis patrum decreta elicui, & in legittimum ordinem digefsi: vt hac ratione, sicut in familia recte disposita, patrum decreta utrū cupientibus possint esse ad manum. Quod sim necne affectatus, vel trum erit iudicium: dedi equidem operam. Atq; eo quidem minus reprehensionem cuiusquam sum veritus, quod vestras Dominationes sperauit æqui & boni consulturas, quod iuris: cæteros autem non tam mihi temeritati attributuros, quam meo in vestras Dominationes obsequio, & obseruantia assignaturos. Par autem est, cum vestra me auctoritas in hoc discrimen vocarit, vt ea quoque me ab obtrexatoribus tueatur. Tuebitur quidem certe, si vestram approbationem vellicantium calumnias opponetis. Quod promea in vestras Dominationes veneratione, atque obseruantia, vt facias etiam aequum postulo: petoque, si quicquam operæ vila in re deinceps nauare mea poterit industria, ea vt arbitrio vestro vtramini. Valete.

ADMODVM REVERENDO,
AC MAGNIFICO DOMINO D.
MATHIAE SORRIBES CANCELLARIO regio D. suo obseruando Honophrius Sitges vtriusq;
iuris Doctor.
S. P. D.

AMETSI non diffido, quin non imprudens huius operis lector facile si estimaturus, quantum in eo instituendo laboris insumpseris, quantumq; insudaris, Cancellarie æquissime, tamen quia me huius tuæ laudis sacrum prouinciale concilium consciuum esse voluit, non posui facere, quin eam publicis proderem consignata literis: vel vt optimo cuique significarem quantum tibi hoc nomine deberetur, vel vt fructum ipse caperes lucubrationum tuarum. Et quanquam non tam eo spectauerunt curæ, & cogitationes tuae, vt ipse conuento opere fruere, quam vt aliis fruendum dares, iuuat tamen etiam ab animo amico profecta gratulatio. Eam tibi à me deesse nolui, laborum & vigiliarum tuarum locupletissimo teste, vt reliquis ad approbandum quasi signum efferré. Accipe igitur primam gratulationem, Cancellarie æquissime, & hac incensus, perge eodem pede quo excellens ingenium tuum te vocat. Me quidem nunquam pigebit, tam præclaro operi compiendo interfuisse. Vale.

FRANC



FRANCISCVS SCOBARIUS IN
GYMNASIO BARCINONENSI ELO-
quentiae professor Christiano Lectori.
S. P. D.

VM alia multa me ad excitandam hic typographiam sunt adhortata, Christiane Lector, tum illud in primis, quod me non leue operae pretium factum existimauit, si præclara Cathalanæ gentis in omni laudis genere monumenta, quibus ea cum nobilissimis gentibus potest contendere, ab ignorationis tenebris vindicari: quæ obliterata penè, & ex hominū memoria expuncta, miro in silentio iacuerunt. Et quanquam omnia sunt eiusmodi, ut ad posteritatem transmissa, maximā reipub. dignitatē, nomini Cathalano plurimum etiam glorie paritura fuisse videantur, nulla tamen negligi minus debuerunt, quām quæ ad constituendam religionem, inflammādique pietatis studia ab illis decreta sunt. Nam & diuinus Psaltes inquit, ædificantium irritos labores esse, nisi Dominus ædificauerit domum, ciuitatēque parum munitā fore, quam Dominus non seruauerit. Quod quicquid respexisse existimandum est sacri Tarragonensis concilii reuerendissimos patres, grauissimos, & sapientissimos viros: cum decreuere, ut superiorum temporum in eo concilio statuta, conquisitiis vndique exemplaribus, in vnum corpus cogerentur, mandarenturque typis, & in lucem ederentur. Viderunt scilicet sibi turpisimum fore, si, cum misericordia videntur, ne præsca illa fides, & pietas in villa vita degeneraret, ipsi damno accepto, rem collapsam minimè restituere conarentur: non proposita saltem sanctioris vitæ disciplina, quam longe ab ea discessum esset, polteritatē commonebantur. Cum hoc sapientissimorum virorum decreto studium nostrum diuino, ut opinor, confilio opportunissimè cōspirauit. Cum enim typographiæ beneficio Cathalonorum ingeniorum decora illustrare cuperemus, comitatum, constitutiones sacri Tarragonensis concilii cuendem se obtulerunt: in quibus cum maxima laude, & vberrimo reipub. ac Christianæ religionis fructu operam nauare possemus. In quibus quicquid laboris aut industria à nobis est collocatum, vultati tuae, pie lector, dicatum volumus esse: quam longe maximā capies, si hoc volumen attentius leges. Eo enim pia, & verè Christianæ vitæ disciplina institutur: egregiis factis præmia tribuuntur, pœnae flagitiosis: ecclesiasticae immunitatis arx firmissima contra facinorosos erigitur: excutitur antiquitatis memoria: osti emò ius pontificium, quod obliteratione h̄orum decretorum non nihil videbitur afflictum, excitatur, redditurque non modò pristinæ dignitati, sed etiam multo cultius, atque instructius optimo cuique legendum, & cognoscendum proponitur. Quod si quid errati forte offenderis, nihil enim omni ex parte beatum, hoc vnum à te peto, ut etiā consulas. Nos, ut eorum errororum, quæ post excursionem de tendimus, admonerere, eorum catalogum in calcem huius operis reiecimus. Neque vero dissidimus te christianè hoc quicquid à nobis nauatum est operæ, interpretaturum: eoque, quod vnum reliquum est, Deum Optimum Maximum, cuius natu omnia reguntur, obnoxia precamur, ut his partium sanctionibus, & nostris laboribus diu, ac feliciter perfrauere. Vale,

IN CAT

IN CATALOGVM EORVM
ARCHIEPISCOPO RVM, QVI AD
INTELLIGENTIAM CONSTITUTIO-
num Tarraconensium maxime
pertinent, præfa-
tiuncula.

IRABITVR prudens editionis huius estimator, quoniam fato acciderit, ut cum omnis haec, qua latissimè patet, regio, fuerit antiquitatis conseruande tenacissima, tamen in iis decretis, quæ pietate & religione vel stabilitate, vel constitutam propagare possunt & debent, obierundis, sui dissimilis esse videatur. Et eo maxime iustas admirationis causas habere poterit, quod Tarracone, Scipionum opus, toti citeriori Hispaniae prælatam, cuius amplitudo, & dignitas maximā Hispaniae partem illustravit, & suo nomine decorauit, quum haberet amplissimas, & numerosissimas totius citerioris Hispaniae ciuitates contributas, & dioceces latissime patentes, sibi ex formulis Pontificum ascriptas, non semel concilia suis contributis indixisse credendum est: & Tarragonenses Archipräfules multa sapienter, & Christiane de moribus, de religione, de pietate & persuasione Christiana in conuentibus habitis promulgasse. Quod si diligenter huic, vel incuria, vel negligencia, vel certe, quod magis verisimile videbitur, improbitatis, & antiquæ institutionis contemptus causas voluerit aliquis inueltigare, reperiet odium quoddam disciplinæ seuerioris causam huic infelicitati dedisse. Sic enim iure tantorum decretorum iactura deberet nominari. Nam quum huic regioni seuerior quedam atque rigidior antiqui moris obseruandi stabilis firmitas semper placuisse: & Gothi Hispaniam quām occupassent, liberiorem atq; solutiorem vivendi licentiam induxisse, paulatim quā; vi fit, eadem vita, velut ex courage moribus, ecclesiæ ministros occupassent, ab institutis, & decretis Tarragonensis sensim deficeret, & alias sedes, atque mores cōperunt spectaculo. Et ita dioceses, vel suis precibus, vel aliarum ambitione ciuitatum, ab obedientia Tarragonensis Præfulis abductæ, decreta, ne perpetuos haberent intra suas sedes suorum vitiorum obrectatores, abolere maximopere curarunt. Quod si quis hanc nostram hac de re conjecturā non satis firmam esse contenderit, legat quæsto Rabanum decreta Toletana, aliisque recitantem: & mecum facere, nostramque conjecturam suo quoque suffragio comprobare non dubabit. Neque haec in eorum qui viuant contumeliam dicuntur, aut accipi debent: quum post Saracenam Hispaniam vastationem versus tortius prouincia ordo sit aliter descriptus, atque diuisus. Itaque partim ob eas causas, parti propter perpetuos bellorum motus, quibus haec prouincia fuit non semel oppresa, factum esse autem maritum, vt neque apud Pamplonenenses, neque Calaguritanos, neque Segobrigenses, neque Tironenses, neque Oscenses, neque Valentinos, neque Caesarugstanos, neque reliquias ecclesiæ, quæ ius, atque pietatis placita à Tarracone, tanquam à matre, atq; metropoli petebant, antiquæ patrum, & Præfulum constitutiones, neque reperiuntur, neque creditantur extare. Quæ iactura ne posset iterum hanc prouinciam exforbere, prudenti, quod ab omnibus probatum iri confidimus, consilio constitutum est, ut antiquæ constitutiones instauratae prælis excudantur, nouis adiectis, quas ratio temporum desiderare videbatur. Quibus & catechesim, hoc est rationem informandi, ad veram pietatem animi Christiani, adiunxit: ut vna, atq; eadem opera, & moribus, & pietati seruiantur. Et ut aliquorum iustis, ut iudicamus, desideriis satisfacere ab qua possumus ex parte, breuissime Præfulum nomina, qui ad hanc ætatem Tarragonensi prouinciae præfuerunt, quos ad intelligentiam horum decretorum pertinere duximus, huic constitutionum editioni præponere curauimus.

a 3 QVAS.

QVAS ECCLESIAS CONTRI-
BUTAS HABVERIT ECCLE-
SIA TARRACONENSIS.

ARRACO igitur citerioris Hispaniae caput, & mater, per Pyreneos n. 5-tes, quibus affixa est, virumq; mare nostrum, & oceanum attingens, Solo-rio monte, Oretanis, Carpenatis, atq; Asturū iugis definita, multas di-ceses habuit cōtributas: in Cathalonia quidem, & in reliquis citra Iberū amnem regionibus, omnes: ultra vero, Pampilionensem, Tirasonensem, Calagurritanensem, Calciaten. Segobien. Valentianam, Cæsaraugustanam, & omnes insulas huic nostro mari finitimas. Cuius Archipræfus Fructuosus Christi sectator ex-imis, re quidem multo copiosior, quam nomine, celebris est martyrii palma cum Augurio, & Eulogio diaconibus: quorum laudes, & martyrii decus, hymno pereleganter elucubrato diuus Prudentius celebrauit. Quanquam ante eum, & alii eidem ecclæ-
sæ præfuerunt: quum passus fuerit tempore Valeriani, & Galieni imperatorum, anno Christi CCCXI. Quorum memoria, quia parum ad hoc opus pertinet, non attingi-tur. Eorum sequitur catalogus, quos præcipue cognosci huius operis causa referebat.

CATALOGVS ARCHIEPI-
SCOPO RVM, QVI AD CON-
STITUTIONVM INTELLIGEN-
tiam maxime pertinent.

EVMERVS AREA ANNO CHRISTI
CCCXXXIII. Tarraconensi
præfuit ecclæsie,

VMERVS vir fuit Christianæ pietatis ardens amator, cuius laudes am-
plior em scribendi laborem, & curam suo iure postulabant: sed non est
nostrî propositi longiorem historiam contexere: cum nec singulos, qui
Tarraconensi sunt ecclæsiæ prælati, nominare studuerimus: sed celebres
tantum attingere ad eorum usq; tempora, quorum ad nostram æatem
extent constitutiones. Nam in iis recensendis temporis seriem, quoad
eius fieri potuit, obseruare curauimus.

Nicomarius anno Christi CCCX. in Præfulem electus, tantæ fuit existima-
tionis, & auctoritatis, vt ad eum Quiricius Pontifex Romanus aliquot epi-
stolas institutor Christianæ conscripserit.

Paterninus Nicomario .cessit, vir eximia pietatis, anno Christi CCCX. An-
no autem proximo, Vandali Hispaniam populantibus, cum Tarraco iterum ex-
pugnata esset, eius Præfules in ea non federunt.

Ioannes primus hoc nomine insignis, post Tarracensem iterum instauratæ sedit ad
clavum nauicular Tarraconensi ecclesiæ tot procellis iactatae, anno D. XX. Qui
concilio Christianis de rebus habito, quum pie vixisset, anno D. XLI. vita fun-
ctus, præmia suorum laborum est consequutus.

Sergius successor Ioannis, Ilerdæ concilium cum indixisset, illud animo fortis, quâ-
quam Gor. i pios Præfules persequi non desistebant, magno partum conuentu
celebrauit. moritur anno Christi D. LXXXXI.

Ascanius ei suscepitus, cum cæteris Christi sectatoribus à Leuigildo, Gotheni rege,
in exilium missus est.

Agnel

Agnellus post Ascanium ecclæsiæ Prælatus, circiter annum D XCIII. Cuius
tempore quietuit ecclæsia. Fidei integritate per Gothos, Leandro viro doctissi-
mo annite, suscepcta. Extat beati Gregorii ad hunc pium Præfulem pietatis
index epistola.

Euphemius succedit, anno DCIII. non leue momentum concilii sui Toletani.

Eusebius anno DCX. in demortui loci electus, vita pientissima nobilis, ecclæsiæ
Tarraconensem optimis moribus stabiliuit.

Andreas ei succedens, anno DCXXXII. diem cum clausisset extreum, multa
præclare à se dicta, & facta in quarto cōcilio Tolitanus posteris in exemplum
pietatis christianæ reliquit.

Prothasius successor, XII. aut circiter quum præfuisse annis, multis cōciliis To-
leti celebratis ob temporum varietatem, & labentes ecclæsiæ mores seueritate
disciplinæ fulciendos, interfuit: multaque sancte, & severe decreuit: obiit anno
DCXLV.

Phaluax, anno DCXLV. suffragiorum prærogativa Præfulus constitutus, post ter-
tium & vigesimum annum, quibus ecclæsiæ administravit, cum insigni nomi-
ne, & pietate mortuus est.

Ciprianus ei succedens, anno DCCLXVIII. tanta pietate atque religione fuit
præditus, vt multa à Christo vires excedentia naturæ impetravit, & ita vita, &
existimatione non falsa sanctus inter diuos annumeretur, dux merito iudicatur.
Cuius corpus in pariete ad aram Tarraconensi templi maximæ non ita pridem reper-
tum est. Obiit anno DCCLXXVIII.

Vera, susceptis post Cipriani ecclæsiæ Tarraconensi administrandæ veris tabo-
ribus, anno DCXCIII. naturæ concepsit.

In huius tempus illa miserrima, nec unquam satis deplorata Sarracenorū in Hi-
spaniam irruptio incurrit, & totius Hispaniæ vastatio: qua factū est, vt multi Archi-
præfules in ecclæsiæ Tarraconensi non federint. Sed qui hi fuerint, non admodum
ad intelligentiam huius operis cognosci interest. Guilelmus quidam, Barcinonensis
Episcopus, dicitur anno DCXCIII. electus. Qui vixit ad annos DCCXIII.

Intrum partim ob Sarracenos, partim ob tetterimum monstrum, quod ciuitatem
obsederat, eamque cædibus, sanie, & tabo infecerat. Tarraco facet inculta, & colo-
nis omnibus exhausta.

Succedentibus vero temporibus, Sarracenis magna ex parte ab hac regione ex-
pulsis, iterum Tarraco post CCC annos aut eo plus variis calamitatibus afflictata,
coepit habitari. Quo tempore primus, qui quidem ibi fuderit Archiepiscopus, fuit
Berengarius vir eximius, & in omni rerum genere excellens. Cui fuit cognomen de
Rosanis: ab Ausonensi Pontificatu in Tarraconensem traductus Calen. Iulii M XCII,
vixit usque ad annum M CVIII.

Raymundus Tarrago, Barcinonensis Episcopus, dum contra perpetuos chri-
stianæ persuasionis hostes, viriliter pro suoru tutela pugnat, ceditur in præ-
lio pridie Calendas Nouembri. anno Domini M XIII.

Olegarius natione Gallus, prius Abbas sancti Ruffi, in cuius cœnobio qui di-
cuntur beati Augustini Canonici regulares insigni religione Deo militabant
Barcinonensi præfuit ecclæsiæ à qua Tarracensem translatus, XII. Calendas
Aprilis, anno Christi M XVIII. eamque sedem tenuit annos X VII I. menes,
X I. dies XVII.

Gregor

Gregorius successor, cuius aut regionis, aut familiae fuerit, non potuit inueniri: adeò temporis illius euanuit memoria: cum omnes magis immortalitate digna facere, quam scribere enixilsum curarent. Iam verò nec quanto tempore vixerit, nec ubi, aut quando obierit, sciri potuit.

Bernardus Tort, qui postea successit, fuit Gallus origine, & sancti Ruffi sub Olegarii disciplina Canonicus: anno M. CXLVI. Pontificatum inuit. Moritur autem apud Britannos anno M. CLXII. quum administraret ecclesiam annos XVII. menses III. dies XXI.

Hvgo ex antiquissima, atque nobili Ceruilionum familia, huius regionis ab antiquissimo tempore indigena ortus, ecclesiæ præfuit annis VLI. mensibus, LX. diebus XX. qui pro temporum illorum tyrannide depellenda contra Saracenos cum Ildefonso Rege, qua licebat pietate, pugnauit: cùmque Ildefonsi partes iuste tueretur, ab aliquibus, qui tyrannidem molicabantur, occidit V. Calendas Maii, anno M. CLXXI.

Gilelmus ex familia de Turre Rubea, aut Cumba, ut quodam opinari videamus, tunc temporis hæc ignobilis, ducens originem, & nomen, ut erat Gotholanus, suæ amator patriæ, prudenter ecclesiam auxit, & amplificauit. Cui præfuit annis XI. mensibus X. diebus XXI.

Berengarius secundus nostra regionis homo, tanta fiducia CHRISTI patrimonium tutari, & augere curauit, ut plura quam decebat occupantibus, fortu animo, & infra, o rettiterit: à quibus postea pro defensione ecclesiæ martyrium pallus est VLI. Calendas Martii, anno Domini M. CXIII. quum Pontifex ecclesiæ Prælatus fuisset annis XI. mensibus X. diebus IX.

Raymundus secundus Gotholanus ex ampla Castræ Tertioli familia, vixit Pontifex annis V. mensibus VLI. diebus XVII. Obiit autem anno M. CCVIII.

Raymundus secundus eiusdem quoq; regionis ex præclara, & perantiqua Rochabertinorum progenie, fuit eximia pietatis & religionis cultor. Quo maximè annitentem cautum est Ilerdæ, ne quis esset fulminis ecclesiastici contempnitor: & decreta promulgata, quæ libris patru iuris continentur: contra eos qui præfræde in anathemate pertendere auderent. Obiit anno M. CCXIII. quum in eo magistratu vixisset annis XVL mensibus II. diebus II.

Sparagus ex Gallorum uno genere ortus, & Mariæ Regis Aragonum coniugis consanguineus, quæ regis Petri coniux, Jacobi regis mater extitit, Raymundo succedit. Hic igitur vir nobilissimus ex Episcopo Pampilonensi Tarracone aduocatus, diligentissime curauit scriptis constitutionibus labentem ecclesiæ disciplinam fulcire, & iustitare. Excessit ex humanis anno M. CCCXXII. Præfuit vero huic ecclesiæ annis XVL mensibus aliquot, diebus XXVII. ante hunc Sparagum fuerat in Præsulem electus Guilelmus Montegrinus Iacista Gerundenis, qui capta Ebūsula, & à Sarracenis liberata, antequam iniarietur, fato concessit.

Petrus Spagi successor ex nobili genere Albatorii, quorum in Aragonia præclara habuit familia, natus: & ex Ilerdensi Pontificatu Tarraconenis Archipræfatu renuntiatus fuit: vir in lacris literis excellenter eruditus, & earum lacris doctris Laurea sivecepta initiatus. Nec minus in rebus ecclesiæ amplificandis diligens paternam familiam: ut qui tria oppida Tarraconenis ecclesiæ compararit: videlicet Coctanum, Alfurgiam, & Archus. Obiit anno M. CCLI. Rexit autem ecclesiæ præfecturam annos XIX. menses II. dies XXIX. In Cœnobio Populei Sepultus.

Bened

Benedictus ex ea quam diximus Rochabertinorum præclara propagine editus, ex Tarraconeni Camerario in Archiepiscopū electus, Oicæ diem clausit extremum, anno M. CCLXVII. Sedit quidem annos XVI. menses XI. dies II.

Bernardus cognomine Oliuella, Episcopus Dertusensis Benedicto succedit: qui quum in Tarraconeni sede præfuisse annos XIII. menses III. dies VII. obiit anno M. CCLXXXVII.

Rodericus Tello, ex familia peruertere Hyspalensis urbis, quæque hodie per illustris in ea ciuitate cum præclara nobilitate floret, Archiepiscopus Tarraconenis renunciatus, cum summa laude quum vixisset, in æde diuino Francisco dicata naturæ concepsit. Elatus magna pompa, ac funebri apparatu, in choro maximi templi tumulo fuit conditus, & consecratus. Vixit Pontifex annos XXI. menses X. dies VIII. obiit vero anno M. CCCVIII.

GVilelmus Roderico succedens, cognomen ex eadem Rochabertinorum familia habuit, qui locupletius ecclesiæ patrimonium Vlabella, & Rodanyano cōparatis quum reddidisset, domino cymbala maxima suis expensis fieri, & cōflari curauit: quæ suum auctorem literis in exteriori labore incisis producunt, & testantur. Naturæ debitum exsolvit, anno M. CCCXV. Administravit autem suum munus annos VII. menses II. dies XI.

Eximinus Luna cognomine, quæ familia quam sit illustris in Aragonia notius est, quæ vt id repertendum esse videatur, ex Episcopo Cæsaraugustano Tarraconeni præfectus ecclesiæ, quum & annis XI. præfuisse, Toletanus Archipræfatu renuntiatus, anno M. CCCXXVII. qui nimis suæ patriæ amator non dubitauit antiquam matrem suis membris truncare: quum Cæsaraugustanum ab antiquo corpore abscondere curasset, & metropolim cōstituere, & dioceses Pampilonensem, Oscensem, Seguntinem, & Calaguritanam, & Segobricen. Tarraconensem subditas eidem reddere contributas.

Iohnes Regis Iacobi secundi filius tantæ fuit pietatis, & religionis Christianæ tam ardens à pueritia sectator, ut sit dignus habitus cui XVII. ætatis anno ecclesiæ Tolitanæ gubernacula tutò committi posse viderentur. Vigesimo primo declaratus est Alexandrinus Patriarcha: & Tarraconenis Prælatura administrator XVLIII. annum ingressus, obiit editis multis miraculis, ut hodie in mausoleo Tarraconenfi, ubi corpus eius recoditum est, inscriptione cernitur, & aëro milibus confluentibus legi solet. Ab hac vita in eternam sublatus est in oppido Celleriæ, cui nomé est Pono, anno M. CCCXXXIII. Cuius tempore pretiosus ille thesaurus Tarraconenem aduetus, brachium sanctæ TECLA E: quo tanto, & tam admirabili monumento Tarraconenis ecclesia merito gloriatur.

Arnaldus de Cumbis Gotholanus, cum quoquis alio Præfule religione, & moribus verè Christianis conferendus, ecclesiam multis prædiis auxit, & locupletauit. Acquisiuit etiam Tamariti Castrum: construxit facellum virginibus sacris dicatum: Castrum Vallense muniuit, & alia pleraque fieri curauit magnis sumptibus edificia, quæ templum Tarracense reddunt illustrius. Tenuit iam fedem annos XI. menses II. obiit anno M. CCCXLVI.

Sancius de Ayerbe, regiæ stirpis, ex monacho Tironensis Episcopus, in Archiepiscopum Tarraconensem subrogatus, quum prævixisset in easede, annos XI. menses III. obiit anno M. CCCLVII.

b Petrus

Petrus nostrae regionis homo, & verè Gotholanus, antiqua illa Gotholanorum feueritate imburus, ex domo vetustissima Clasquerinorum, prius Oscæ Præful Maioricensi fuit præpositus ecclesiæ, & ex ea Tarragonem translatus, tanta fuit in ecclesia tuenda libertatis, ut pro ea tutanda varias ær umnas exantlarit, & tandem Romanum Clementis V. Pontificis Romani tempore profectus, rediens in itinere in oppido Agdæ haud procul à Monte Pessulanio mortuus est, anno Domini. M. CCC. LXXX. Rexit eam sedem annis X XII.

Enecus Valterra Valentinus, Episcopus Segobiensis, in Tarragonensem Archiepiscopum assumptus, ecclesiam amplificare curans, campi Tarragonensis iurisdictiones à Rege ita comparauit, ut eas ecclesia communes cum Regibus haberet. Quo tanto beneficio non leue momentū rebus ecclesiæ fuit adiunctum. Eam sedem tutatus est, annis X X. mensib. circiter V. Moritur anno Dni. M. CCCVII.

Petrus Çagarriga ex antiqua huius prouinciæ stirpe, ex Ilerdensi sede in Tarragonensem translatus, præfuit ecclesiæ annis X I. mensibus III I. Mortuus est, anno Domini. M. CCCXIX.

Dalmacius Murus, ex nobilissima familia de Muro, & huius regionis perantiqua, à Gerundensi præfectura Tarragonem translatus est. In qua sede cum vivis et annis X I I. mensim I. dies X VI I. in Cæsaraugstantum Præfulem est electus & assumptus anno Domini. M. CCCCX X XI.

Gondissalbus Yxar ex illustri regiaque domo Aragonensi, factus Præful Tarragonensis, illustria sua probitatis ostenderat argumenta, sed Vallibus in opido Tarragonensis ditionis casu quodam nimis præproperè sublatuſ, non potuit iatiſ eam explicare. Vixit in ea ſede, annos I I. dies X XII I. Fuit eius dignitas interregnū, annum I. menses VII I.

Dominicus Ramus Aragoneñ, ex antiqua familia, Præful prius Oscensis, mox verò Ilerdensis, & in collegium Cardinalium titulo sanctorū Ioannis, & Pauli ascitus Portueni Prælatus est ecclesiæ. Et tādem Tarragonensis administrator præfecturæ multos labores pertulit, maximas molestias perpessus est, & variè iactatus, dum ecclesiam tumultuantem discordiis, & dissidētiam in concordiam & unitatem redigere conatur. Parem pietatem & animum verè Christianum in tuenda Tarragonensi ecclesia, & amplificanda dignitate quā præstisſet, Romæ mortuus est, anno Domini. M. CCCXL V. Sedit in Tarragonensi ecclesia, annos X.

Petrus Vrrea eiusdem regionis vir planè nobilis suaque perilluftri veterique familiæ dignus, ex Tarragonensi quæstore, quem solemus Thesaurarium nominare, Prior Cæsaraugstante ecclesiæ creatus, in Tarragonensem metropolim ascitus, multa præclarè pro tuendo, & augendo suo munere quam gesiſet, anno Domini M. CCCCLXXXIX. moritur: qui multos annos Alexandrinus Patriarcha fuerat à Romano Pontifice omniq[ue] patrum collegio renunciatus. Tenuit Tarragonensem ecclesiam, annis circiter X L I I I.

Gondissalbus Heredia, quæ familia quām sit apud Aragoneñ, illuſtris, & antiquæ nobilitatis nemine posse latere putamus, Barcinonensis Episcopus ad Tarragonensem vocatus dignitatem, suo generi respondere curauit. Cuius gubernacula quum anno M. CCCCX. fuscepisset, anno Domini. M. D. vita functus est. Itaque præſi ut huic diœceſi, annos X.

Alphonsus Valentinus regis Ferdinandi patris nostræ patriæ, atq[ue] adeò totius orbis christiani ex fratre Villæ formosæ regulo nepos, à Dertuensi ſede in Tarragonensem translatus, obiit anno M. D. III I. quum vixisset Archipreful annis circiter X I I I.

Petrus

Petrus Cardona, non leue decus antiquissimæ, & per illustris Folcorum stirpis, & familie, ex Vrgellenſi Pontifice Tarraconensis creatus est: quem sui generis autam nobilitatem suis virtutibus multo nobiliorem reddidisse fatebuntur omnes; quibus ea, quæ pro ciuili atque ecclesiastica republica cum summa laude gesit, fuerint non ignota. Nam & Cancellarius regius quum multos annos fuisset, & eum magistratum illuſtrasset, toti prouinciae regia potestate præfectus, tanta integritate & prudentia prouinciam administrauit, ut ex infelissima pacatissimam mirabili dexteritate reddiderit. Iam verò Tarragonense templum magnificientissimis ædificiis exornauit, & dignitatem multis opibus auxit, & locupletauit. Moritur anno M. D. X X X. quo tempore fœuifissima pestis per viuieram hanc regionem graſſabatur. Præfuit Tarragonensi cathedræ, annos X V. mensim I. dies V III.

LOdouicus Cardona eiusdem familie ex Abbatte Solonensi, Barcinonensis. Præful constitutus, in Archiepilcopum Tarragonensem ascitus, pietate, religione, & moribus verè christianis Petro Cardonæ par, aut certè non inferior iudicandus est, quod omnes proculdubio intellexissent, talia dederat suæ probitatis arguenda, nisi immatura morte præreptus ecclesiæ fuisset. Obiit anno M. D. X X I. quum præfuisset minus duobus annis.

Hieronymus Aurea. S. R. E. Tituli sancti Thomæ in Parione Cardinales, veris debitissime titulis aliquando exornandus, à quibus nunc abſinebimus, ne vel viuenti adulari videamur, vel de eo qui nondum suas actiones explicuit, liberius iudicare. Anno M. D. X X X I I. Tarragonensem prouinciam cepit administrandam. Cuius tempore necclarius hic labor, ex conciliu Tarragonensis decreto sumptus est.

b 3 INDEX

INDEX TITVLORVM.

- TITVL LI BRI L. sunt 17.**
- D**E summa Trinitate. Tit. i. Pag. i
De constitutionibus. tit. 2. pag. 2
De consuetudine. tit. 3. pag. 9
De auctoritate, & vsu pallii. tit. 4. p. 13
De renunciatione. tit. 5. pag. 14
De ætate & qualitate, & ordine præficié-
dorum. tit. 6. pag. 15
De sacra vñctione. tit. 7. pag. 19
De filii presby. ord. vel non. tit. 8. p. ead.
De seruis non ordinandis, & eorū manu-
missione. tit. 9. pag. 20
De officio Archipresbyteri. tit. 10. p. 21
De officio Vicarii, & Ialariis Officialis, &
iure sigilli. tit. 11. eadem.
De officio, & potestate iudicis delegati.
tit. 12. pag. 25
De officio ordinarii. tit. 13. pag. eadem.
De maioritate, & obedientia. tit. 14. p. 27
De pactis, & collegiis illicitis. tit. 15. p. 29
De postulando. tit. 16. pag. 33
De procuratoribus. tit. 17. pag. 34
- Libri Secundi tituli sunt 17.*
De Iudiciis. tit. 1. pag. 36
De foro competenti. tit. 2. pag. eadem.
De feriis. tit. 3. pag. 38
De testibus. tit. 4. pag. 39
De fide instrumentorum. tit. 5. p. ead.
De iure iurando. tit. 6. pag. 43
De appellationibus. tit. 7. pag. 44
- Libri Tertiij tituli sunt 29.*
De vita & honestate cleri. tit. 1. p. 46
De cohabitatione clericorum, & mulie-
rum. tit. 2. pag. 53
De clericis non residentibus. tit. 3. p. 65
De præbendis, & dignitatib. tit. 4. p. 68
De institutionibus. tit. 5. pag. 73
Ne sede vacante aliquid innouetur: & qua-
liter fructus annui valoris dividantur.
tit. 6. pag. 74
De rebus eccl. alien. vel non. tit. 7. p. 75
De emptione & venditione. tit. 8. p. 82
De locato & conducto. tit. 9. pag. 84
De pignoribus, & aliis caut. tit. 10. p. 85
De fidei usforib s. tit. 11. pag. 86
De testamenti. tit. 12. pag. 87
De successionib. ab intestato. tit. 13. p. 90
De sepulturis. tit. 14. pag. 91
De parochiis, & alienis paro. tit. 15. p. 92
De decimis, & primitiis. tit. 16. p. ead.
- Libri Quarti tituli sunt 3.*
De sponsal. & matrimoniis. tit. 1. p. 123
De clandestina desponsat. tit. 2. p. ead.
De consanguinitate, & afñi. tit. 3. p. 124
- Libri Quinti tituli sunt 18.*
De accusationibus. tit. 1. pag. 125
Desimonia, & ne aliquid pro spiritualibus
exigatur, vel promittatur. tit. 2. p. 126
Ne Prælati vices suas sub anno censu cō-
cedant. tit. 3. pag. eadem.
- De magistris, & ne aliquid exigatur pro li-
centia docendi. tit. 4. pag. 127
De Iudæis, Sarra, & eorū seruis. tit. 5. p. 129
De Hæreticis. tit. 6. pag. 135
De adulteriis. tit. 7. pag. 136
De rapt. incen. & viola. eccl. tit. 8. p. 137
De furtis. tit. 9. pag. eadem.
De usuris. tit. 10. pag. 138
De maledicis. tit. 11. pag. eadem.
De excessibus Prælatorum. tit. 12. p. 139
De priuilegiis, & excessibus priuilegiato-
rum. tit. 13. pag. 140
De iniuriis, & damno dato. tit. 14. p. 141
De purgatione canonica. tit. 15. p. ead.
De poenis. tit. 16. pag. eadem.
De poenitentiis, & remissio. tit. 17. p. 143
De sententia excom. tit. 18. pag. 149

FINIS.

AD CHRISTIANVM LECTOREM.



N CHRISTIANE Lector, vt facilius ea possis inuenire, quæ tua v idē-
buntur ex hac nostra constitutionum editione interesse, tuisque rebus
prodeſſe, damus tibi syllabum singularum constitutionum, quas ordine
certo sub germanis titulis coērctas ita diſcreuimus, vt nullo negotio
cuius possint occurrere, & etiam auctorū, hoc est iēdis apostolicæ Pon-
tificum, atque Legatorum, & Archiepiscoporum, & aliorum Præfulum nomina con-
iunximus, vt etiam in hac parte multorum desideriis fatusieri posſit, à nobis diligenter
elucubratum, addito triplici numero, & paginarum, & titulorum, & librorum.

INDEX CONSTIT.

CONSTITUTIONES IOANNIS

CARDINALIS SABINEensis EPISCOPI,

Apostolice sedis Legati, in provinciali concilio Ilerda cele-
brato, anno Domini. M. C X X I X.

Quarto Cal. Aprilis editæ.

C.	ANIMARUM LANGORIBUS.	PAG. 2	DE CONSTITUT.	LIB. I
C.	In primis præcipimus.	PAG. Eadem.	Tit.	Eodem.
C.	Statutum ut in prouincia.	P. ead.	Tit.	Eodem.
C.	Conſtrictio de correctione.	P. 141	Tit. 15	De purgatione canonica. lib. §
C.	Quam salubre.	Pag. 127	Tit. 4	De magistris. lib. §
C.	Cum in generali.	Pag. 128	Tit.	Eodem.
C.	Statutum ut omnes.	Pag. 15	Tit. 6	De ætate, & qualitate. lib. I
C.	Ad extirpandam.	Pag. 35	Tit. 2	De cohab. cler. & mulie. lib. 3
§.	Soboles quoque.	Pag. 19	Tit. 8	De fatus presbyterorum. lib. I
C.	A crapula.	Pag. 46	Tit. 1	De vita & honesta. cler. lib. 3
§.	Nullus clericus.	Pag. 47	Tit.	Eodem.
§.	Sententiam sanguinis.	Pag. 121	Tit. 29	Ne cler. vel monachi. lib. 3
C.	Præcipimus ut ecclesiaz.	Pag. 114	Tit. 25	De custodia Eucharist. lib. 3
C.	Sacerdotes.	Pag. 143	Tit. 17	De poenit. & remissio. lib. 5
C.	Quoniam propter.	Pag. 68	Tit. 4	De præben. & dignita. lib. 3
C.	Præcipimus ne quis.	Pag. 69	Tit.	Eodem.
C.	Districte præcipimus.	Pag. 101	Tit. 21	De iure patronatus. lib. 3
§.	Qui vero clandestina.	Pag. ead.	Tit. 2	De clandest. desponsa. lib. 4
C.	Præcipimus ut tam.	Pag. 92	Tit. 16	De decimis. lib. 3
C.	Cum Iudæi.	Pag. 129	Tit. 5	De Iudæis. lib. 5
C.	Quoniam quælibet.	Pag. 69	Tit. 4	De præbendis. lib. 3
C.	Quoniam scortum.	Pag. eadem.	Tit.	Eodem.
C.	De ecclesiis.	Pag. 100	Tit. 21	De iure patronatus. lib. 3
C.	Cum in plerisque.	Pag. 76	Tit. 7	De rebus ecclesiæ aliena. lib. 3
§.	Adiūcimus quoque.	Pag. 65	Tit. 3	De cler. non residen. lib. 3
C.	Sicut est in generali.	Pag. 126	Tit. 2	De simonia. lib. 5
C.	Nullus Episcopus.	Pag. 70	Tit. 4	De præbendis. lib. 3
C.	Quoniam monasteria.	Pag. 76	Tit. 7	De rebus ecclesiæ alienan. lib. 3
C.	In ecclesiis.	Pag. 85	Tit. 10	De pignoribus. lib. 3
C.	Quoniam viri religiosi.	Pag. 98	Tit. 18	De statu monachorum. lib. 3
C.	Vestimenta non habeant.	Pag. ead.	Tit.	Eodem.
C.	Cum omnino sit.	Pag. ead.	Tit.	Eodem.
C.	Cum iustitia secularis.	Pag. 36	Tit. 1	De Iudiciis. lib. 2

C. Ne

b 3

C. Ne clericis in opprobrium.	pag. 142	Tit. 16	De pœnis.	lib. 5
C. Quoniam ecclesiast. personis.	p. 65	Tit. 3	De clericis non resid.	lib. 3
C. Distictiè præcipimus.	pag. 101	Tit. 21	De iure patronatus.	lib. 3
C. Cum canonicos.	pag. 65	Tit. 3	De cleri. non resid.	lib. 2
C. Distictiùs inhibemus.	pag. 92	Tit. 14	De sepulturis.	lib. 3
C. Cum Archipresbyteratus.	pag. 21	Tit. 10	De officio Archipresby.	lib. 1
C. In figuram.	pag. 116	Tit. 28	De immunitate eccl.	lib. 3
C. Constitutionem domini.	pag. 129	Tit. 5	De Iudæis.	lib. 5
C. Statuimus de cetero.	pag. ead.	Tit.	Eodem.	
C. Inhibemus distictiùs.	pag. 99	Tit. 18	De statu monachorum.	lib. 3

CONSTITUTIONES SPARAGI ARCHIEPISCOPI
Tarracenfis in concilio provinciali, celebrato anno Domini.
M. CCXX. Calendis Maij.

C. Cum aliqui quærentes.	pag. 29	Tit. 15	De pactis.	lib. 1
--------------------------	---------	---------	------------	--------

CONSTITUTIONES PETRI DE ALBALATO,
in primo concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CC.
XXXIX. Decimo quarto Cal. Maij.

C. Statuimus.	pag. 121	Tit. 29	Ne clericis vel monachi.	lib. 3
C. Statuimus &.	pag. 70	Tit. 4	De præbendis.	lib. 3
C. Statuimus quod.	pag. 97	Tit. 17	De regularibus.	lib. 3
C. Præcipimus.	pag. 80	Tit. 26	De capellis monachorū.	lib. 3
C. Statuimus quod.	pag. 137	Tit. 8	De raptoribus, incend. &c.	lib. 5

CONSTITUTIONES EIVSDEM PETRI IN
secundo concilio Valentiae celebrato, anno Domini. M.
CCXXIX. Octavo Idus Maij.

C. Sacro.	pag. 33	Tit. 16	De postulando.	lib. 1
C. Sacro approbante.	pag. 13	Tit. 4	De auctor. & vñu pallii.	lib. 1
C. Statuimus.	pag. 99	Tit. 19	De religiosis domibus.	lib. 3
C. Statuimus quod.	pag. 33	Tit. 16	De postulando.	lib. 1

CONSTITUTIONES EIVSDEM PETRI IN
tertio concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLII. Tertio Idus Maij.

C. Sacramentum.	pag. 19	Tit. 7	De sacra vñctione.	lib. 1
C. Cum otium.	pag. 38	Tit. 3	De feriis.	lib. 2
C. Quia aliqui.	pag. 106	Tit. 23	De celebra. missarum.	lib. 3
C. Præcipimus vt Episcopi.	pag. 25	Tit. 13	De officio ordinarii.	lib. 1
C. Quia Episcopi.	pag. 3	Tit. 2	De constitutionibus.	lib. 1
C. Eodem modo.	pag. ead.	Tit.	Eodem.	

CONSTITUTIONES EIVSDEM PETRI IN
quarto concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLIII. Tertio Nonas Maij.

C. Cum ecclesiæ parochiales.	pag. 73	Tit. 5	De Institutionibus.	lib. 3
------------------------------	---------	--------	---------------------	--------

CONSTITUTIONES EIVSDEM PETRI IN
quinto concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLIII. Pridie Idus Ianuarij.

C. Conspiratorum genus.	pag. 30	Tit. 15	De pactis.	lib. 1
S. Simili sententia.	pag. 141	Tit. 14	De iniuriis.	lib. 5
C. Item cum quidam.	pag. 151	Tit. 14	De sententia excom.	lib. 5
S. Item sacro.	pag. ead.	Tit.	Eodem.	

CONST.

EIVSDEM PETRI IN SEXTO PROVINCIALI
concilio per eum Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLVI. Calendis Maij.

C. Statuimus quod nullus.	pag. 101	Tit. 21	De iure patronatus.	lib. 3
C. Olim excommunicasse.	pag. 151	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 5
C. Quia intelleximus.	pag. 113	Tit. 24	De baptismo.	lib. 3

EIVSDEM PETRI IN SEPTIMO CON-
cilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCXL-
VII. Decimo Calendas Maij.

C. Cum occultatione.	pag. 14	Tit. 5	De renunciatione.	lib. 2
----------------------	---------	--------	-------------------	--------

EIVSDEM PETRI IN OCTAVO CON-
cilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CC-
XLVIII. Idibus Martij.

C. Cum non sine graui.	pag. 91	Tit. 13	De succession. ab intestat.	lib.
------------------------	---------	---------	-----------------------------	------

LITERA DOMINI AEGIDII CARDINALIS,
Apostolice sedis Legati. Dat. Genue Calendis Junij, anno Domini.
M. CCL. Pont. Innocentij III. anno octavo.

C. Venerabilibus.	pag. 55	Tit. 2	De cohabit. cler. & mulier.	lib. 3
-------------------	---------	--------	-----------------------------	--------

LITERA INNOCENTII III. DAT. LVGDVN
XIII. Calendas Septembri, anno Domini. M. CC-
XLVII. Eiusdem Pont. III.

C. Innocentius Episcopus.	pag. 54	Tit. 2	De cohabita. cler. & mulier.	lib. 3
---------------------------	---------	--------	------------------------------	--------

CONSTITUTIONES BENEDICTI IN PRIMO
concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CC.
LIII. Sexto Idus Aprilis.

C. Sacro approbante.	pag. 152	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 3
----------------------	----------	---------	---------------------	--------

S. Item sacro approbante.	pag. 153	Tit.	Eodem.	
---------------------------	----------	------	--------	--

EIVSDEM BENEDICTI IN TERTIO CON-
cilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCXLVI.
Duodecimo Calendas Novembri.

C. Verum cum in constitutione.	pag. 153	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 3
--------------------------------	----------	---------	---------------------	--------

S. Item cum clericis.	pag. 153	Tit.	Eodem.	
-----------------------	----------	------	--------	--

S. Item quia facientes.	pag. 154	Tit.	Eodem.	
-------------------------	----------	------	--------	--

C. Ne iolum fauces.	pag. 47	Tit. 1	De vita, & honest. cler.	lib. 3
---------------------	---------	--------	--------------------------	--------

LITERA DOMINI CLEMENTIS PAPÆ,
Dat. Perusij, anno Domini. M. CCXLII. Pon-
tificatus eiusdem, anno II.

C. Clemens Episcopus.	pag. 27	Tit. 14	De majorita, & obedienc.	lib. 1
-----------------------	---------	---------	--------------------------	--------

CONSTITUTIONES BERNARDI IN PRI-
mo provinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCXLIII. Nono Ca-
lendas Februario.

C. Declarando.	pag. 154	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 3
----------------	----------	---------	---------------------	--------

C. Statuimus sacro.	pag. 154	Tit.	Eodem.	
---------------------	----------	------	--------	--

C. Statuimus etiam.	pag. 152	Tit. 5	De Iudæis.	lib. 5
---------------------	----------	--------	------------	--------

EIVSD

EIVSDEM BERNARDI IN SECUNDO
provinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCLXXVII. Nonis Maij.

- C. Intelleximus. pag. 73 Tit. 5 De institutionibus. lib. 3
- C. Ceterum quia. pag. 39 Tit. 3 De feriis. lib. 2

EIVSDEM BERNARDI IN TERTIO CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCLXXXII.
vndecimo Calendas Aprilis.

- C. Quoniam exempla. pag. 155 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5

CONSTITUTIONES RODERICI IN PRIMO
concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CC
XCI. Idibus Martij.

- C. Quanuis sit pia. pag. 44 Tit. 6 De iure iurando. lib. 2
- C. Cum medicinalis. pag. 169 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Cum ecclesiastica sacramenta. pag. 92 Tit. 16 De parochiis. lib. 3
- C. Sacro approbante. pag. 13 Tit. 4 De auctor. & vfu pallii. lib. 1
- C. Nonnulli à via. pag. 135 Tit. 6 De Haereticis. lib. 5
- C. Cum quidam. pag. 136 Tit. Eodem. lib. 5
- C. De quætoribus. pag. 144 Tit. 17 De pœnitent. & remissio. lib. 5

EIVSDEM RODERICI IN SECUNDO PRO
vinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXCIII. Calendis Augusti.

- C. Habet tam de iure. pag. 37 Tit. 2 De foro competenti. lib. 2
- C. Scriptura sacra. pag. 9 Tit. 3 De consuetudine. lib. 1
- C. Licit in dubium. pag. 93 Tit. 16 De decimis. lib. 3

EIVSDEM RODERICI IN TERTIO PRO
vinciali concilio Ilerde celebrato, anno Domini. M. CC
XCI. Tertio idus Augusti.

- C. Quorundam oculos. pag. 117 Tit. 28 De immunitate eccl. lib. 3
- C. Sollicitat cura. pag. 156 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Officii nostri. pag. 158 Tit. Eodem. lib. 1
- C. In nonnullis. pag. 10 Tit. 3 De consuetudine. lib. 1
- C. Item cum in quibusdam. pag. 158 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5

EIVSDEM RODERICI IN Q. VARTO
provinciali concilio, anno Domini. M. CCCV.
Octauo Calendas Martij.

- C. Quoniam pontificalem. pag. 137 Tit. 10 De furtis. lib. 5
- C. Cum aliqui Abbates. pag. 3 Tit. 2 De constitutionibus. lib. 1
- C. Cum nonnulli. pag. 26 Tit. 13 De officio ordinarii. lib. 1
- C. Periculosa negligentia. pag. 86 Tit. 12 De testamentis. lib. 3

CONSTITUTIONES GVILLEMLINI PRI
mo concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCVII. Nonis Februario.

- C. Plerique parochialium. pag. 106 Tit. 23 De celebra missarum. lib. 3
- C. Cum in omnibus piis. pag. 87 Tit. 12 De testamentis. lib. 3

CONST

CONSTITUTIONES EXIMINI IN PRIMO PRO
vinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC
XVIII. Octauo Calendas Martij.

- C. Volentes ecclesiarum. pag. 77 Tit. 7 De rebus eccl. alien. lib. 3
- C. Item cum clerici. pag. 144 Tit. 17 De pœnitent. & remissio. lib. 5

EIVSDEM EXIMINI IN SECUNDO CONC
lio provinciali Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC
XXIII. Octauo Calendas Februario.

- C. Prædecessorum nostrorum. pag. 159 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Ecclesiastica iurisdictio. pag. 159 Tit. Eodem.

CONSTITUTIONES IOANNIS PATRIARCHAE
Alexandrinis, & Archiepiscopi Tarraconenonis in primo concilio cele
brato, anno Domini. M. CCCXXIX.

Quarto Calendas Martij.

- C. Quanuis circa multa. pag. 132 Tit. 5 De Iudeis. lib. 1
- C. Quoniam teste scriptura. pag. 50 Tit. 2 De cohabita. cler. & muli. lib. 1
- C. Vt per corporalem. pag. 115 Tit. 25 De custodia Eucharistiae. lib. 3
- C. Quia in aliquibus locis. pag. 101 Tit. 21 De iure patronatus. lib. 3
- C. Ne circa ea quæ. pag. 144 Tit. 17 De pœnitent. & remissio. lib. 5
- C. Vt Missa cum puritate. pag. 145 Tit. Eodem.
- C. Cum affectata ignorantia. pag. 160 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Abusus quidam. pag. 133 Tit. 5 De Iudeis. lib. 5
- C. Statuimus vt Archiepiscopus. pag. 28 Tit. 14 De maiorita. & obediens. lib. 1
- C. Statuimus vt clerici. pag. 102 Tit. 21 De iure patronatus. lib. 3
- C. Animarum periculum vt. pag. 123 Tit. 1 De sponsa. & matrimo. lib. 4
- C. Prohibemus districtius. pag. 115 Tit. 26 De obierua. leuiorum. lib. 3
- C. Quia nonnulli minus. pag. 107 Tit. 23 De celebra missarum. lib. 3
- C. Quoniam illi sunt. pag. 15 Tit. 6 De ætate. & qualitate. lib. 1
- C. Cum in constitutione. pag. 160 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Quia viris literatis. pag. 128 Tit. 4 De magistris. lib. 5
- C. Decernimus temporale. pag. 161 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Statuta per quæ. pag. 88 Tit. 12 De testamentis. lib. 3
- C. Prælati. pag. 104 Tit. 22 De censibus. lib. 3

EIVSDEM IOANNIS IN SECUNDO CON
cio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC
XXXI. Pridie Calen. Februario.

- C. Vt ii quibus. pag. 74 Tit. 6 Ne sede vacante. lib. 3
- S. Sanè. pag. 88 Tit. 12 De testamentis. lib. 3
- S. Et quia. pag. 75 Tit. 6 Ne sede vacante. lib. 3
- C. Licit iniquum. pag. 117 Tit. 28 De immunitate eccl. lib. 3
- C. Pro animarum. pag. 138 Tit. 10 De vsuris. lib. 5
- C. Quia interdum. pag. 4 Tit. 2 De constitutionibus. lib. 1
- C. Cum ad honorem. pag. 70 Tit. 4 De præbendis. lib. 3

EIVSDEM IOANNIS IN Q. VARTO CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCXXXIII.
Decimo octauo Calendas Februario.

- C. Ad reprimendam. pag. 161 Tit. 18 De sententia excom. lib. 5
- C. Pia consideratione. pag. 162 Tit. Eodem.
- C. Cum ecclæsia vna sit. pag. 33 Tit. 16 De postulando. lib. 1
- C. Statuimus quod ii. pag. 84 Tit. 9 De locato. & conducto. lib. 3

c In nonnullis

C. In nonnullis. pag. xi8 Tit. 28 De immunitate eccl. lib. 3

**CONSTITUTIONES ARNALDI IN PRIMO
provinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCCXXVI.**

- C. Fuit in praesenti concilio. pag. 108 Tit. 23 De celebra.missarum. lib. 3
- S. Et clericos. pag. 56 Tit. 2 De cohabit.cler.& mulier. lib. 3
- S. Et vt prædicta. pag. 66 Tit. 3 De cleri.non residen. lib. 3
- S. Item mandetur. pag. 105 Tit. 22 De censibus. lib. 3
- S. Hospitia dignitatum. pag. 116 Tit. 27 De ecclesiis ædifican. lib. 3
- S. Item sic current. pag. 139 Tit. 12 De excessibus Prælato. lib. 3

**EIVSDEM ARNALDI IN SECUNDO CONCILIO Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XXVIII. Calendis Aprilis.**

- C. Cum sumnum bonum. pag. 139 Tit. 12 De excessibus Prælato. lib. 3
- C. Prima tonsura. pag. 16 Tit. 6 De ætate, & qualitate. lib. 1
- C. Nullus clericus. pag. 46 Tit. 1 De vita, & honest.cler. lib. 3
- C. Statuimus quod nos. pag. 48 Tit. Eodem.
- C. Presbyter cum proprio. pag. 20 Tit. 8 Defilius presbyterorum. lib. 1
- S. Nec ipse. pag. 86 Tit. 10 De pignoribus. lib. 3
- C. Canonicus, seu clericus. pag. 67 Tit. 3 De cler.non residen. lib. 3

EIVSDEM ARNALDI IN TERTIO CONCILIO provinciali Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XXXIX. Quinto Nonas Augusti.

- C. Ad detestandum. pag. 138 Tit. 11 De maledicis. lib. 5
- C. Constitutionem Olim. pag. 34 Tit. 6 De postulando. lib. 1
- C. Dubia & eorum. pag. 164 Tit. 18 De iententia excom. lib. 5

**CONSTITUTIONES SANCII IN TERTIO
concilio provinciali Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCLIIII. Quinto idus Decembri.**

- C. Cum ad præstationem. pag. 39 Tit. 16 De decimis. lib. 3

**EIVSDEM SANCII IN QVARTO CONCILIO
provinciali Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-**
LVII. Decimo tertio Calendas Aprilis.

- C. Non incongruum. pag. 108 Tit. 23 De celebra.missarum. lib. 3
- C. Insuper qua. pag. 44 Tit. 7 De appellationibus. lib. 2
- C. Frequens plurimorum. pag. 170 Tit. 18 De iententia excom. lib. 5
- C. Procedit à rationis. pag. 161 Tit. Eodem.
- C. Naturalis. pag. 161 Tit. Eodem.
- C. Bonus & grauis. pag. 26 Tit. 13 De officio Ordinari. lib. 1
- C. Archiepiscopalis apicis. pag. 21 Tit. 11 De officio Vicarii. lib. 1
- C. Presenti quoque. pag. 5 Tit. 2 De constitutionibus. lib. 1
- C. Loqui veremur. pag. 23 Tit. 11 De officio Vicarii. lib. 1

**CONSTITUTIONES PETRI CLASQ. VERINI IN
primo provinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCLXIII. Tertio Calendas Martij.**

- C. Quia parum. pag. 5 Tit. 2 De constitutionibus. lib. 1
- C. Cærerum quia. pag. 172 Tit. 18 De iententia excom. lib. 5
- C. Dudum in constitut. pag. 119 Tit. 28 De immunitate eccl. lib. 3

Desidiae,

C. Desidiae, quæ haſteaus. pag. 29 Tit. 5 De fide instrumentorum. lib. 2

**EIVSDEM PETRI IN SECUNDO CONCILIO Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCLXVII. Idibus Februario.**

- C. Ad diuinum. pag. 109 Tit. 23 De celebra.missarum. lib. 3
- C. Ad tollendum. pag. 172 Tit. 18 De iententia excom. lib. 5
- C. Fraudes commissas. pag. 23 Tit. 11 De officio Vicarii. lib. 1
- C. Quia non decet. pag. 24 Tit. Eodem.
- C. Sacro approbante concilio. pag. 41 Tit. 5 De fide instrumentorum. lib. 2
- C. Quia nonnulli. pag. 41 Tit. Eodem.
- C. Cum nullus. pag. 42 Tit. Eodem.
- C. Quia rei euidentia. pag. 77 Tit. 7 De rebus eccl.alienan. lib. 3
- C. Quia fraus & dolus. pag. 42 Tit. 5 De fide instrumentorum. lib. 2
- C. Abusum qui in. pag. 43 Tit. 7 De appellationibus. lib. 1
- C. Denique quia. pag. 43 Tit. 5 De fide instrumentorum. lib. 1
- C. Grandia damna. pag. 16 Tit. 6 De ætate,& qualitate. lib. 1
- C. Insuper quia. pag. 67 Tit. 3 De cler.non residen. lib. 3

**EIVSDEM PETRI IN TERTIO CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCLXX.**

Septimo idus Nouembri.

- C. Quamvis ad decorum. pag. 57 Tit. 2 De cohabit.cler.& mulier. lib. 3
- C. Cum vsus armorum. pag. 48 Tit. 1 De vita,& honest.cler. lib. 3
- C. Cum iuri sit consonum. pag. 20 Tit. 9 De seruis non ordinan. lib. 1
- C. Cum ex officio. pag. 71 Tit. 4 De præbendis. lib. 3
- C. Cum nil sit. pag. 89 Tit. 12 De testamentis. lib. 3
- C. Auaritia cæcitas. pag. 122 Tit. 29 Ne clerici vel monachii. lib. 3
- C. Quia secundum Apostolū. pag. 126 Tit. 3 Ne prelati vices suas. lib. 5
- C. Cum nonnulli. pag. 119 Tit. 28 De immunitate eccl. lib. 3
- C. Cum nudius tertius. pag. 17 Tit. 6 De ætate,& qualitate. lib. 1
- C. Quia bona. pag. 20 Tit. 8 De filiis presbyterorum. lib. 1

**CONSTITUTIONES ENNECI IN PRIMO
provinciali concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCCXCI. Nonis Aprilis.**

- C. Redemptionis nostræ. pag. 110 Tit. 23 De celebra.missarum. lib. 3
- C. Indultum presbyteris. pag. 145 Tit. 17 De poenitentia & remissio. lib. 5
- C. Euitantes quæ. pag. 113 Tit. 24 De baptismo. lib. 3
- C. Quia per ceremonias. pag. 12 Tit. 3 De consuetudine. lib. 1
- C. Cupientes. pag. 78 Tit. 7 De rebus eccl.alienan. lib. 3
- C. Decet nos. pag. 71 Tit. 4 De præbendis. lib. 3
- C. Quanvis per prædecessores. pag. 6 Tit. 2 De constitutionibus. lib. 1
- C. Feuda vel potestates. pag. 78 Tit. 7 De rebus eccl.alienan. lib. 3
- C. Cedit quidem. pag. 78 Tit. Eodem.
- C. Hoc consultissimo. pag. 79 Tit. Eodem.
- C. Ut iniuriae. pag. 7 Tit. 2 De constitutionibus. lib. 1
- C. Querelis perceperimus. pag. 173 Tit. 18 De iententia e. com. lib. 5
- C. Cum nonnulli procura. pag. 125 Tit. 1 De accusationibus. lib. 5
- C. Aprisia quæ recipi. pag. 39 Tit. 4 De testibus. lib. 2
- C. Quoniam aliqui curiosi. pag. 174 Tit. 18 De iententia excom. lib. 5
- C. Compellunt domini. pag. 86 Tit. 11 De fidei suffribus. lib. 3
- C. Præsumpta temeritas. pag. 85 Tit. 9 De locato. lib. 3

c 2 EIVSD

EIVSDEM ENNECI IN SECUNDO PROVIN-
ciali Capitulo Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XCV. Decimoterio Calendas Decembri.

C. Prouidè attendentes.	pag. 175	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 5
C. Cum nullus.	pag. 17	Tit. 6	De ætate, & qualitate.	lib. 1
C. Quoniam ex pœnæ.	pag. 175	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 5
C. Quia ex constitutione.	pag. 140	Tit. 12	De excessibus Prælato.	lib. 5
C. Iuris alloquio.	pag. 105	Tit. 22	De censibus.	lib. 3

EIVSDEM ENNECI IN CONCILIO TAR-
racone celebrato, anno Domini. M. CCC-

V I. Idibus Martij.

C. Exactiones.	pag. 80	Tit. 7	Derebus eccle. alien.	lib. 3
C. Licit in constitutione.	pag. 94	Tit. 16	De decimis.	lib. 3
C. Inter curas.	pag. 30	Tit. 15	De pactis.	lib. 1
C. Iustum quidem.	pag. 176	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 5
C. Item cum in constitutione.	pag. 177	Tit. 1	Eodem.	
C. Quidam officiales.	pag. 177	Tit. 1	Eodem.	
C. Vt saluti animarum.	pag. 145	Tit. 17	De pœnit. & remissio.	lib. 5
C. Redemptoris nostri.	pag. 178	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 5

CONSTITUTIONES PETRI DE LVNA SANCTAE
Marie in Comesdi Diaconi Cardinalis, Apostolice sedis Legati, in concilio Gerun-

da celebrato VIII. Calendas Novembri, anno Domini. M.

CCCCII. Pontificatus Domini Clementis

Pape VII. Duodecimo.

C. In vinea Domini.	pag. 142	Tit. 16	De pœnæ.	lib. 5
C. Speciosus forma.	pag. 58	Tit. 2	De cohabita.cler.& muli.	lib. 3
C. Execrandæ.	pag. 80	Tit. 7	Derebus eccle. alien.	lib. 3
C. Etsi christiana.	pag. 133	Tit. 5	De Iudæis.	lib. 5
C. Cedit in opprobrium.	pag. 134	Tit. 1	Eodem.	
C. In paradiso voluptratis.	pag. 136	Tit. 7	De adulteriis.	lib. 3

CONSTITUTIONES PETRI ÇAGARRIGA IN
primo concilio provinciali Tarracone celebrato, anno Domini. M.

CCCCXIIII. Tertio Idus Martij.

C. Quia in constitutione.	pag. 110	Tit. 23	De celebra.missarum.	lib. 5
C. Constitutionem per bonæ.	pag. 61	Tit. 2	De cohab.cle.& mulie.	lib. 3
C. Hoc consultissimo.	pag. 24	Tit. 11	De officio Vicarii.	lib. 1
C. Super egenum &.	pag. 34	Tit. 17	De procuratoribus.	lib. 1
C. Sacrorum canonum.	pag. 49	Tit. 1	De vita,& honest.cler.	lib. 3

CONSTITUTIONES DALMATIÆ IN CON-
cilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-

XXIII. Quarto Idus Decembri.

C. Pomposis & vanis.	pag. 49	Tit. 1	De vita,& honest.cler.	lib. 3
C. Quia inter diuina.	pag. 111	Tit. 23	De celebra.missarum.	lib. 3
C. Per constitutionem.	pag. 12	Tit. 3	De consuetudine.	lib. 1
C. Rerum exp. rientia.	pag. 81	Tit. 7	Derebus eccle. alien.	lib. 3
C. Constituti.	pag. 146	Tit. 17	De pœnit. & remissio.	lib. 5
C. Vt decentius.	pag. 28	Tit. 14	De maiorita.& obedien.	lib. 1
C. Constitutionem.	pag. 102	Tit. 21	De iure patronatus.	lib. 3
C. Licit per constitutiones.	pag. 67	Tit. 3	De cleri.non residen.	lib. 3
C. Cum per constitutiones.	pag. 18	Tit. 6	De ætate,& qualitate.	lib. 1

CONST

CONSTITUTIONES PETRI DE FVXO TITVL

Sancti Stephani in Cælio monte presbyteri Cardinalis, Apostolice sedis Legati in concilio Dertuæ celebrato, anno Domini.

M. CCCXXIX. Nonis
Nouembri.

C. Decet vitæ.	pag. 51	Tit. 1	De vita, & honesta.cler.	lib. 3
C. Ad extirpandam.	pag. 53	Tit. 2	De cohab.cler. & mulier.	lib. 3
C. Inter sollicitudines.	pag. 63	Tit.	Eodem.	
C. Ne diuinæ seruitutis.	pag. 112	Tit. 23	De celebra.missarum.	lib. 3
C. Nihil est.	pag. 18	Tit. 6	De ætate, & qualitate.	lib. 1
C. Saluti animarum.	pag. 1	Tit. 1	De summa Tri. & fide cat.	lib. 1
C. Sicut omnibus.	pag. 112	Tit. 23	De celebra.missarum.	lib. 3
C. Quæ magna sunt.	pag. 73	Tit. 5	De institutionibus.	lib. 3
C. Inaudita crudelitas.	pag. 113	Tit. 24	De baptismo.	lib. 3
C. Perpetuo.	pag. 24	Tit. 11	De officio Vicarii.	lib. 1
C. Quoniam vt inquit.	pag. 140	Tit. 13	De priuilegiis.	lib. 1
C. Licet contra eos.	pag. 120	Tit. 28	De immunitate ecclesia.	lib.
C. Auaritiae facibus.	pag. 120	Tit.	Eodem.	
C. Quoniam si gubernaculum.	pag. 125	Tit. 1	De accusationibus.	lib. 5
C. Etsi apostolicæ.	pag. 25	Tit. 12	De officio delegati.	lib. 1
C. Quæstores.	pag. 146	Tit. 17	De pœnit. & remissio.	lib. 5
C. Cum in ecclesiæ corpore.	pag. 147	Tit.	Eodem.	
C. Ceterum quoniam.	pag. 148	Tit.	Eodem.	
C. Vt religiosi.	pag. 148	Tit.	Eodem.	
C. Ecclesiarum Prælati.	pag. 89	Tit. 12	De testamentis.	lib. 3
C. Dilectionis.	pag. 149	Tit. 17	De pœnit. & remissio.	lib. 5
C. Zelus diuini.	pag. 135	Tit. 5	De Iudeis.	lib. 5

CONSTITUTIONES PETRI DE CARDONA
in concilio per eum Tarracone celebrato, anno Domini. M.

D. XVII. Pridie Calendas Iulij.

C. Statuimus sacro.	pag. 29	Tit. 14	De maioritate,& obed.	lib. 1
C. Prohibemus etiam.	pag. 52	Tit. 1	De vita,& honest.cler.	lib. 3
C. Approbando constit.	pag. 53	Tit.	Eodem.	
C. Nullus clericus.	pag. 34	Tit. 16	De postulando.	lib. 1
C. Clerici in facris.	pag. 122	Tit. 29	Ne clerici, vel monachi.	lib. 3
C. Quanuis tam.	pag. 64	Tit. 2	De cohab.cler. & mulier.	lib. 3
C. Licet per multas.	pag. 178	Tit. 18	De sententia excom.	lib. 5
C. Cum iure disponente.	pag. 179	Tit.	Eodem.	
C. Quanuis à prædecessoribus.	pag. 180	Tit.	Eodem.	

EIVSDEM PETRI DE CARDONA IN
concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. D.

XXIX. Quarto Nonas Martij.

C. Quanuis cunctis.

pag. 95 Tit. 16 De decimis.

lib. 3

CONSTITUTIONES HIERONYMI TITVL

Sancti Thomæ in Parione diaconi Cardinalis, de Aurea dicti Archiepiscopatus administratore absentis. Et pro eo primum concilium provinciale celebrante Honofrio Biuro Canonico, & Thefaurario Tarraconensi, anno Domini. M.

D. XLIII.

C. Antiquam constitutionem.

pag. 7 Tit. 2 De constitutionibus.

lib. 1

c 3 CONST

EIVSDEM HIERONYMI IN CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. D.
LIII. Nonis Novemb.

C. Fœlicis recordationis. pag. 8 Tit. 2 De constitutionibus lib. x

EIVSDEM HIERONYMI IN CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. D.
LV. Calen. Februario.

C. Quoniam non solum. pag. 90 Tit. 12 De testamentis lib. 3

EIVSDEM HIERONYMI IN CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M.
D. LV. Nonis Maij.

C. Licet per alias.	pag. 72	Tit. 4	De Praelatis.	lib. 3
Cum nil magis.	pag. 43	Tit. 5	Defide instrumentorum.	lib. 2
Quoniam ea.	pag. 91	Tit. 13	De successionibus.	lib. 3
Vt penitus vagandi.	pag. 99	Tit. 18	De statu monachorum.	lib. 3
Quoniam negligentia.	pag. 114	Tit. 24	De baptismo.	lib. 3

EIVSDEM HIERONYMI IN CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini.
M. D. LVI.

C. Ne per multos. pag. 9 Tit. 2 De constitutionibus lib. x

Q. V A T V O R . M O D I P R O C E D E N D I . I V D I
cialiter contra inusores, &c. In diuersis prouinciis
libus concilijs editi.

Primus, per Arnaldum in tertio concilio.	Dubitatur autem.	pag. 182
Secundus, per Petrum Clasquerinum.	Proponit quis querimo.	pag. 183
Tertius, per eund. P. Clasq. in tertio cōcil.	Pastoralis officii.	pag. 185
Quartus, per Ennecum.	Veniet ad iudicium.	pag. 186
De Proœmiis, conclusionibus, ac firmis conciliorum.		pag. 189

F I N I S.

A D M O D U M R E V E R E N D O , E T M A-
G N I F I C O V I R O D O M I N O T H O M A E C O-
stae regie mageſtatis Capellano, Vicario præsidenti in con-
cilio Tarracōni. Franciscus Scobarius.

S. P. D.

NON possum felicitati tuae nō asignare, Costa admodum reuerende, quod harum constitutionum editio in id tempus inciderit, cum tu, absente Illustri & Reuerendissimo domino Archiepiscopo, in Tarraconenſi concilio præſderes. Eo enim factum est, vt tu quoque in partem huius laudis venires: quam à me testata esse volui, vt nemo, ad quem pars aliqua huius beneficij pertinere posset, prætermisſus à me videretur. Est enim æqui animi, laudi aliena non modò non inuidere, sed etiam decus aliquod afferre. Quod si hac in re affec- tus fuero, nunquam me collocati hoc in opere laboris pœnitebit. Vale.


HIERONYMVS DE AVREA
MISERATIONE DIVINA TI-
TULI DIVI THOMAE IN PARIONE
S. R. E. Diaconus Cardinalis, & Tarracōni. perpetuus
administrator universis, & singulis CHRI-
STI fidelibus in prouincia Tar-
racōni. commorantibus
S. in D.



ACROS ANCTA Dei ecclesia vt actis altissimè radicibus per omnium gentium oras, omniumq; seculorum funderetur seriem, quām diligentia cultura eguerit, cūm ex multis cognosci res potest, tūm verò ex maximis grauiſſimisq; calamitatibus, quibus percelli quidem potuit, noi opprimi aut extirpari. Sed neq; vllum vnquam incident tempus, vt radicis euellatur. Neque enim Christiana veritas cruciatibus tyranorum concuti potest grauioribus, neque impieſentientium de religione impoturis teſtioribus amitti, quam, cum ſeminari cœpit, variè multipliciter que tentata eſt. Neque verò necesse eſt veteris vlliſ memoriarum recordationem excitari. Infinita prope vbiique gentium priscæ pietatis, & Christianæ conſtantiae monumenta extant, quæ nos, ſi quid modo ſentimus, neque tyrannorum crudelitatis, neque diaboliceſ fraudis ſint in obliuſci. Sed ex iis iampridem altera defauit: altera consopita quidem, non tamen extincta, hac noſtra atate ab improbissimæ leuitatis hominibus exuſcitata etiam eſt. Quo attentiū euigilare debent in eo cura, & cogitationes noſtræ, vt cum CHRISTO ſeminantes, qui ſolus vere agriculta eſt, quæ negligentia culturæ in ecclesia Dei diuturno abuſu ſuccreueret, partim amputando per purgemuſ, partim, ſi nullo queant cultu mansuſcere, conuellamus: benéque mollito ſolo ſemen committamus quām purgatiſſimū. Ac nobis quidem vnde peti, aut promi poſſet quarentibus, multis ſeminatoribus vſa fuifile ecclesia vſa eſt ad tam vberes fruges excitandas: in quibus CHRISTVS cœleſtis culturæ agriculta ſcientiſſimus huius beneficii princeps, ſparſo vita, verbo, humani generis demortuos ſpiritus renouauit. Hunc ſecuti Apoſtoli, eiusdem verbi bucinatores, velut terra ad conceptum faciliorē cœleſtis gratia rore delibuta, vt maiorem ſementem fecere, ſic etiam messem vberiorem: ſed lolii tamen, ac ſteriliū auenarum non omnino expertem, vt ferè fit in opimo ſolo. Ad eas igitur per purgandas Summorum Poſtificum, & ſacrosanctæ Romanæ ecclesiæ decretā adhibita ſunt: quibus incredibile eſt, quantum in omnem partem Christiana pietas, & religio non modò creuerit, ſed etiam in omne tempus ſit constituta. Sed tamen quoniam non omnis fert omnia tellus: & præter cōmunem agricolandi peritiam singula

singulæ terræ suæ culturæ agricultorū commonefecere, accesserūt eodem patrum in prouincialibus conciliis decreta, & singularum ecclesiarum in suis synodis instituta: quibus illæ sic ornarentur, vt ramuli à communī trunko exorti, frondibus suis, ac floribus verno tempore conuestiri solent. Atq; huius quidem seminis boni, & veritati Euāgelicæ congruentis quantâ copiam Tarracoñ. ecclesia semper habuerit, declarant maiorum nostrorum prouinciales constitutiones, quibus in eo genere nihil potest esse, aut sapientius, aut fructuosius. Iis enim omnipotenti Deo debitæ laudes concinnatur: ad ecclesiarū decus plorū excitantur animi: saluti animarū consoluntur: improbi à vita turpitudine deterrentur, ad laudem cōmouentur probi: pax quæ à C H R I S T O tantopere commendatur, cōstituitur: postremo nulla est pars vitæ, quæ non iis documentis ad loriā niti posse videatur. Nihil adeo de religione decerni grauius possit: nihil de doctrina peritus, de virtutibus ornatus, de æquo & bono moderatus, de omnibus rebus, quæ statuendæ forēt, sapientius: quam est à maioribus nostris in iis decretū. Quod cum nobiscum ipsi recordaremur, rem cōmissio nobis diuinitus archiepiscopali muneri congruentissimam facturos nos existimauimus, si maiorū nostrorū in Tarracenisibus conciliis decreta ordine digeri, & in vnum collata volumen publicis cōmodis edi curaremus, ne credita nobis talenta non modò non auxisse, sed etiam occultare voluisse videremur. Rem igitur omnium pulcherrimam maximeq; necessariam aggressi, sacri approbatione concilii sic vñsumus, vt eius procreatione redditū pristinæ integritati hoc opus, vel nouo potius decore instruētum in meliorē vitam rediisse videri possit: cui etiā nonnullas nostras constitutiones annexuimus: quas temporum, & personarum ratio postulabat. Qua in re si cōmunibus omnium rationibus à nobis consultum est, à Dō Opt. Max. optamus, vt tam præclaro munere frui velitis: hoc est, vt legere, meditari, & obseruare, quæ in eo statuta sunt, conemini: ne iuxta Euāgeliū, semen vel in pe- tram decidisse, vel missum in viam, vel spinis suffocatū, non spargentis vitio, sed excipientium, sine fructu exaruisse videatur. Sin vos in hoc opus intuentes, in eoq; defixi, ad idvitæ rationem normamq; dirigeatis, fore speramus, vt neq; nos editio- nis nostræ, nec vos obser- uationis vnquam pœ- nitere possit.

Valere.



DE SV M M A TRINI- TATE, ET FIDE CATHOLICA. TIT. I.

P E T R V S D E F V X O, CAR-
DINALIS, LEGATVS A P O S T O-
licus in concilio Dertusæ celebrato, Anno
Domini. M. CCCCXXIX.
Nonis Nouembris.

**

Compendium breve fieri præcipitur, & à Diœcesanis ac Curatis populo expla-
nari: quo quid credendum sit, quid petendum, quid seruandum, quid vitandum,
quid optandum & sperandum, quidque timendum doceatur. De fide catholica
laicis disputandum non esse.



A L V T I animarū plurimū digneſcitur op-
portunum, vt vñusquisque fidelis cognoscat &
sciat quid credere debeat, scilicet articulos fi-
dei: quid petere, scilicet quæ in oratione domi-
nica C H R I S T V S nos docuit postulare: quæ
seruare, videlicet decem præcepta legis: quæ vi-
tare, scilicet septē peccata mortalia: quid opta-
re, gloriam paradisi, & sperare: quid timere, pœ-
nas inferni: quæ à multis, vt percipimus, igno-
rantur. Quod christianæ doctrinæ breue, & utile epilogum esse cen-
setur. Hac igitur constitutione Diœcesanis omnibus, & aliis Prælatis
ecclesiasticis super his iurisdictionem ecclesiasticā habentibus districte
præcipiendo mādamus, vt per viros literatos & prouidos dictari, & scri-
bis faciant aliquod breve compendium, in quo prædicta omnia, quantum
à populo necesse est sciri, distinctè cōprehendantur & clare. Quod com-
pendium sic commodè diuidatur in partes, vt per sex, vel septem lectio-
nes possit declarari. Quod sic per totius anni discursum re-letitis vicibus
per Curatos diebus dominicis populo faciant explanari, vt excusis igno-
rantiæ tenebris, populum acceptabilem deo valeant exhibere. Interdic-
imus tamen laicis omnem materiam de fide catholica disputādi: Diœce-
sanis,

2 Constitut. Prouinc. Lib. I

fanis, aliisq; iudicibus ordinariis ecclesiasticis sub interminatione diuini iudicii strictrius iniungentes, vt contra laicos de fide catholica disputare attentantes taliter insultant, vt iura communia per censuram ecclesiasticam tenaciter obseruentur.

De constitutionibus. Tit. II.

IOANNES CARDINALIS SABINENSIS,
apostolicæ sedis Legatus in concilio Illemonensi, anno Domini. M. C. XXIX. Quar-
to Calendas Aprilis.

Seruanda diligentius sacri generalis concilii statuta, corrigendaque quæ per negligenteriam aduersus ea teneat succrescant.

NIMARVM langoribus, qui ex sacrarum constitutionum transgressione, vel omissione trahunt originem, præsentium patrum approbatione subuenire curantes, statuta sacri generalis concilii, quæ pro magna parte non sine graui periculo sunt neglecta, pleniore diligentia de cetero præcipimus obseruari, & studiose corrigi ea, quæ contra ipsum concilium præsumpta sunt temere.

IDEI IOANNES IN EODEM.

Constitutio de conciliis prouincialibus, & episcopalibus synodis celebrandis nulla occasione negligenda.

NON primis præcipimus, vt constitutio de conciliis prouincialibus, & episcopalibus synodis celebrandis pro correctione, & reformatione morum salubriter edita, iuxta suum tenorem firmiter obseruetur: vt nulla negligenteria, vel occasio impeditat ipsius obseruationem.

IDEI IOANNES IN EODEM.

Concilium prouinciale quotannis celebrandum die dominica, qua IVBILA-
TE accinitur: episcopalis synodus, die festo diui Lucae: plectendique qui id neglexerint poena in generali concilio statuta.

STATVIMVS vt in prouincia Tarragonensi prouinciale concilium singulis annis, dominica qua cantatur, IVBILA TE, celebretur: & episcopalis synodus ad minus celebretur semel in anno, die festo sancti Lucæ. Si vero ex causa necessitatis absens fuerit episcopus, aut alias rationabiliter fuerit impeditus, prouideat per quem, seu per quos synodus celebretur. Quod si vacauerit sedes, per Archidiacenos in suis Archidiacanibus celebrentur particulares synodi terminis supradictis. Si vero, vacante sede, penes Priorem, vel Capitulum, vel aliam personam ecclesiæ reciderit iurisdictio, procuret ut præ-

De constitutionib. Tit. II. 3

vt prædicto modo synodus celebretur. Et hec omnia seruentur sub poena in generali concilio statuta.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOVS
Tarragonensis in tertio concilio Tarragonensi,
anno Domini. M. CCXLII.
tertio Idus Maii.

Si ad indicatum concilium non conuenerint Episcopi, iis ab Archiepiscopo citatis Tarragonem veniendum: vnde non liceat iis discedere, nisi facta ab eodem Archiepiscopo abeundi copia.

VIA Episcopi ad prouinciale concilium non veniunt, vt deberent, excusationes friuolas prætententes: ex quo dicta plena ecclesiastica eneruatur, & sacri canones contemnuntur, statuimus vt in posterum omnes Episcopi sine ullo difugio ad prouinciale concilium veniant, prout decet, causa necessaria, & urgentissima excusentur. Et quicunq; Episcopus contra hanc constitutionem duxerit faciendū, ab Archiepiscopo euocatus, ciuitatem adeat Tarragonensem: ibi tandem moratur us, quoad ab Archiepiscopo recedendi licentiam obtinuerit specialem.

IDEI PETRVS ARCHIEPI-
scopu in eodem.

Curatis ad synodum episcopalem non conuenientibus eadem poena constituitur quæ Episcopis ad prouinciale concilium venire recusantibus.

ODEM modo statuimus vt omnes clerici curæ animarum habentes ad synodum veniant cathedralis ecclesiae, in cuius dioecesi cōmorantur: occasione, vel consuetudine quavis non obstante. Eadem poenam, si huiusmodi constitutionis transgressores fuerint, in suis ciuitatibus incurvant.

RODERICVS ARCHIEPISCOVS IN
quarto concilio Tarragonensi, anno Domini.
M. CCCV. quarto Cal. Martii.

Episcopi in concilium Abbates aliisque Praelatos cogere iubentur. Si non venerint, nec, quominus venirent, ullo impedimento prohibiti fuerint, commodis rerum in conciliis decretarum priuantur.

VM aliqui Abbates, Priors, & alii Praelati collegiarum ecclesiarum nostræ prouinciæ Tarragonensis non venerint ad concilium, licet per literas nostras mandatum uerit venerabilibus fratribus Episcopis suffraganeis nostris, vt prædictis Abbatibus, Prioribus & Praelatis præcipierent, vt ad concilium præsens venirent: siccirco præcipimus præfatis Episcopis in virtute sanctæ obe-

A 2 dient

dientiae, quatenus de cetero praedictos Abbates, Piores, & Prælatos insuis diœcesibus constitutos compellant venire ad alia concilia, quæ per nos, vel successores nostros celebrada fuerint Domino annuente. Illos verò, qui ad praedicta concilia non venerint, iuuari nolumus cōstitutionibus, quæ in praedictis conciliis fuerint celebratae, nisi, quod minus venire possint, impedimentis canonicae fuerint impediti: vel iustas causas ostenderint, quibus ad dicta concilia venire minime teneantur.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRI-
nus in concilio secundo Tarragonensi, anno Domini
M. CCCXXXI. pridie Ca-
lendas Februarii.

Statuitur ab Episcopis, qui legitimè fuerint impediti, procuratores probos & fa-
pientes viros mīti oportere, alios ab iis, qui à Capitulis lecti fuerint: & contrà.
Ab Abbatibus, vita instituto & moribus religiosos. In eos qui fecūs fecerint,
arbitrio Archiepiscopi animaduertitur.

VIA interdum contingit quod Episcopi, qui ad prouincialia concilia venire personaliter sunt astricti, nisi præpe-
ditione canonica fuerint præpediti, illos procuratores cō-
stituunt, qui ad ipsa cōcilia procuratores per eorum Capitula mittuntur: Abbates etiam, praedictos vel alios seculares clericos pro-
curatores constituunt ad praedicta, & ex hoc honos Tarragonensis ecclesiae, & concilii minuitur, & salubritas consiliū, quæ in multis consistit potius, quam in paucis, etiam substrahitur circa ea quæ in ipsis conciliis im-
minent facienda: iccirco sub virtute sanctæ obedientiæ praedictis iniungimus, ut ipsi Episcopi, si venire ad ipsa concilia personaliter fuerint legiti-
mè impediti, procuratores constituant viros prouidos, & discretos, alios ab illis, qui per eorum Capitula fuerint constituti: & Capitula alios ab illis, qui per eorum Episcopos. Abbates etiam, in dicto casu, religiosos sui ordinis, vita & honestate probatos, qui salubre sciant dare consilium in agendis: si Dei, & nostram vitare voluerint vltionem. Et qui contrarium fecerint, ad arbitrium Archiepiscopi de inobedientia puniantur.

SANCIUS TARRACONENSIS AR-
chiepiscopus Tarracone, anno Domini. M.
CCCCLVII. decimo tertio
Calend. Martii.

Statuitur procuratores mitti non licere, nisi eiusdem nationis fuerint, & quidem aut Vicarii, aut Officiales, aut de Capitulo, aut quos ad Capitulorum negotia admitti refusat, aut Doctores in alterutro. Aut Bacchalaurei, modò ut beneficiati in eadē ecclesia: à quibus procuratorum instrumentū exhibendum die celebrando concilio præsūtura: quo instrumento citatum, eumque iuratū legitime constet impeditum. Procurator non nisi unius, vel Prælati, vel Collegii creari potest. Est §. Constit. incip. Archiepiscopalis apicis, De officio Vicarii.

PRAES

R A E S E N T I quoq; adiicimus sanctioni, ut nullus ad prouincialia cōcilia de cetero admittatur, missus à venerabilibus fratribus nostris Episcopis, cum iusto fuerint impedimento detenti: vel à Capitulis ecclesiarum cathedralium, nisi sit Vicarius, vel principalis Officialis, vel de Capitulo: aut talis persona, quæ ad tractatus Capituli eorūdem admitti debeat: vel Doctor, aut Bacchalaureus fuerit in Iure Canonico, vel Ciuii, qui beneficia obtineat in eisdem: cum melius libertas ecclesiastica per illos, qui beneficia, & vitæ recipiunt in dictis ecclesiis, defendi verisimiliter præsumatur: & periculum non modicum immineat, ad sacra concilia admitti personas extraneæ nationis. Qui quidem procurator die ad concilium celebrandum præfixa, sufficiens procuratorum deferre habeat, & nobis de eo factum facere teneatur: in quo sit inserta etiam fides facta per notarium publicum de impedimento, quo persona citata ad concilium venire non potest. Quod impedimentum ille, qui ad concilium citatus fuerit, non exprimere habeat, & de ipso in posse ipsius notarii fidem iuramento proprio facere teneatur. Cognitio autem & decisio, an iustum fuerit impedimentum necne, cognitioni sacri concilii referetur: statuimusque ut procurator constitutus per quempiam Episcopum, Abbatem, Capitulum, Priorem, vel quencunque alium singularem, qui ad concilia prouincialia consueuerunt admitti, Episcopi, Capituli, Conuentus, vel Collegii, nec alterius valeat esse procurator.

PETRVS SECUNDVS ARCHIEPISCOVS
Tarragonensis in primo concilio celebrato Tarraco-
ne, anno Domini. M. CCCLXIII.
tertio Calendas Martii.

Prælati, qui ad indicatum concilium venire recusant, quivè legitimè impediti procuratores non miserint, iis commodis, quæ ex constitutionibus poterunt capi, siue iam editæ sunt, siue postea edentur, priuantur quoad usque Tarragonem venerint, & Archiepiscopo, aut eius Vicarii satisfecerint: caueturque ne iis, qui in contumacia permanenterint, constitutionum opem contra iniuriam inferentes pertinentibus villatenus faueant vel Suffraganei, vel eorum aut Vicarii, aut Officiales.

VIA parum prodesset iura, & constitutiones condere, nisi conditæ diligenter obseruentur, teneantur, & executioni debitæ demandentur: iccirco constitutionem editam per bonæ memoriarum Rodericum Archiepiscopum ecclesiae Tarragonensis approbates, quæ incipit, CV M ALIQVI ABBATES, eidem constitutioni adiicimus, sacro concilio approbante, Quod si Abbates, Piores, & alii Prælati collegiarum ecclesiarum prouinciae Tarragonensis citati ad prouincialia concilia non venerint, legitimo impedimento cessante, vel in illo casu impedimenti procuratores sufficietes non mi-
serint,

A 3 ferint,

serint, omni prorsus commodo, & auxilio constitutionum sacrorum conciliorum Tarragonensium tam per praedecessores nostros iam editarum, quam per nos, & Suffraganeos nostros de cetero edendarum ipso facto habeatur extores, donec personaliter Tarragonem venerint, & de contumacia & inobedientia ad nostri Archiepiscopi, vel nobis absentibus, nostri Vicarii, vel Officialis arbitrium satisficerint competenter: praeципientes in virtute sanctae obedientiae venerabilibus Suffraganeis nostris, & eorum Vicariis, & Officialibus, ne ad requisitionem praedictorum, neve ex suo officio, vigore dictarum constitutionum procedant: si praefati, vel eorum aliquis venire, vel, ut præfertur, mittere neglexerit ad concilia celebranda.

ENNECVS ARCHIEPISCPVS TARRA-
conensis in primo concilio Tarracone celebra-
to, anno Domini. M. CCCXCI.
Nonis Aprilis.

Prælati, qui quominus ad indictum concilium venire potuerint, nihil quibunt legitime excusare, aut concilio probare quod excusarint, præter poenam superioribus constitutionibus decretam, maioribus quidem, centum Florenorum multa irrogatur, minoribus autem, quinquaginta: multæque dimidium fabricæ Tarragonensis ecclesiæ applicatur, reliquum sumptibus concilii addicitur.

VANVIS per praedecessores nostros prouisum fuerit & statutum, vt Episcopi & Prælati prouincie Tarragonensis vocati, venire ad prouinciale concilium teneantur sub certis poenis in antiquis constitutionibus iam cōtentis: quia tamen eorum aliqui excusationem friuolam allegantes, in veniendo sunt desides ac remissi, sacro approbante concilio ordinamus, vt quicunque Episcopus ad concilium auctoritate ordinaria euocatus non venerit, nisi talem excusationem habuerit, quæ aduerata medio iuramento per procuratorem per eum missum, & ad hoc legitimè constitutum per concilium legitima fuerit reputata, vltra aliâs statuta cōtra tales, quæ volumus in suo robore permanere, poenam centum Florenorum incurrat: quorū quinquaginta fabricæ Tarragonensis ecclesiæ, alii verò quinquaginta communibus expensis concilii irremissibiliter applicentur. Inferiores verò Prælati qui in talibus fuerint remissi, & Capitula, in poenam incident quinquaginta: qui in duas partes diuisi modo simili applicentur.

IDEM ENNECVS ARCHI-
episcopus Tarragonensis
in eodem.

In quois concilio, vel synodo duo procuratores iubentur creari, qui innocentium clericorum, sed tamen vel inopum, vel oppressorum, vel defunctorum causam communibus impenis defendant,

V T



T iniuriæ propulsentur, qua, crescente hominū malitia, personis ecclesiasticis quotidie inferuntur, quia iniuriatis offendam, vel per impotentiam nō valentibus, vel per timorem cadentem in constantē virum, prosequi non audentibus, præstatur audacia malefactoribus delinquendi: iubemus vt in qualibet synodo per nos, vel per nostros Suffraganeos celebranda, duο procuratores constituātur, qui in prædictis casibus iniurias illatas beneficiatis de Dioecesi, vel in sacris ordinibus cōstitutis, propria culpa cessante: & ubi inops fuerit passus iniuriam, vel etiam vita functus, ad cognitionē sui Prælati communibus expensis, pro interesse ordinis clericalis, prosequi teneantur.

PETRVS IN PRIMO CONCILIO TAR-
racone celebrato, anno Domini. M. CCC-

XIII. tertio Idus Martii.

In concilium conuenientes, pro suo quisque dignitatis gradu, sacerdotali insignibus se iubentur ornare.

RDINAMVS sacro approbante cōcilio, vt de cetero Episcopi venientes ad concilium portent pontificalia sua: & procuratores capas, vel superpellitia: vt decentius interesse possint. Et ponatur in literis conuocationis, &c.

HIERONYMVS CARDINALIS, ET ARCHI-
episcopus Tarragonensis in concilio Provinciali Tar-
racone celebrato, anno Domini. M. D.

XLIII, decimo quarto Calen-
das Octobris.

Siquando inciderit tempus vt procuratores mittendi sint, non nisi vel Officialis, vel Vicarios generales, vel Canonicos, vel quampiam dignitatem obtinentes, vel certè doctoratus gradu ornatos, modo Beneficiati in eādem ecclesia fuerint, & à Capitulis non nisi Canonicos mitti licere præcipitur.

NTIQV A M constitutionem declarando hac noua constitutione sancimus, vt nullus Episcopus nostræ Prouincie de cetero, cum ad hoc sacrum concilium conuocatus fuerit, & legitimū impedimentum habuerit, propter quod venire personaliter nequierit, nullos alios constituat procuratores præterquam Officialis, seu Vicarios generales suos, aut aliquem ex Canonis suæ ecclesiæ, vel in eādem seu Dioecesi sua dignitatem habentes, seu doctores in vtroque, seu altero Iurium, aut in sacra Theologia magistrum: qui ad minus vnum beneficium in illa Dioecesi obtineat: quodque nullum ex Capitulis ecclesiarum nostræ Prouincie, syndicum, seu procuratorem constitutere possit, nisi vnum ex Canonis illius Capituli, qui de corpore, & Collegio eorū existat: cum quisq; me lius scire

8 Constitut. Prouinc. Lib. I.

lius scire possit quæ in suis Capitulis contingere dignoscuntur. In cæteris verò constitutionem prædictam illæsam remanere volumus.

HIERONYMVS CARDINALIS ARCHI-
episcopus Tarragonensis in concilio prouinciali
Tarracone celebrato, anno Domini.

M. D. LIII. Nonis
Nouembris.

Quoties sedes aliqua vacauerit, Capitulum iubetur quempiam de Canonicis designare, qui sedis vacantis nomine conciliis prouincialibus aliisque huiusmodi congregationibus intersit. Ei qui designatus fuerit æqua merces decernitur, atque iis qui Capituloru negotia in huiusmodi conuentibus gerunt.

FOELICIS recordationis Ioannes Patriarcha Alexadrinus & Archiepiscopatus Tarragonensis administrator perpetuus sapienter admodum & salutariter statuit, decreto concilii illius quod is secundum celebrauit, cuius quidem initium est, **QVIA INTER DVM, vnum ab Episcopis suffraganeis nostris procuratores mitti ad prouinciale concilium res cogeret, alii ab iis qui pro Capituli negotiis missi essent, legerentur: ne quid concilio Tarragonensis ecclesiæ detraheretur auctoritas: néve eius quipiam amitteretur in deliberando prudentie, quam verisimile est multorum potius quam paucorum sententiis cōtineri.** Ac ne minus quidem salutariter decreuit Arnaldus Archiepiscopus in constitutione, cuius initium est, **I N S V P E R F V I T D I S P O S I T V M**, vt Canonicis tum cathedralium ecclesiarum, tum etiam collegiarum ad concilium prouinciale missis, regiasve curias ad Episcoporum, aut Capitulorum negotia gerenda ire iussis, quo tempore iis districti essent, non minus integræ portiones canonicae darentur, quam si in suis ecclesiis cultui diuino interessent. Sapientis videlicet utriusque decretum, & quod ad retinendam sacri concilii Tarragonensis auctoritatem pertinere videatur: sed in quo non satis disertè iis cautum fuerit, qui sede vacante pro Episcopis ad cōcilia prouincialia, aut regias curias mittuntur: quippe cum plerique eorum sua fraudati mercede adhuc fuerint. His igitur rebus adducti, & aliis nonnullis communi ecclesiæ & clericorum utilitati congruentibus, statuimus, vt, quoties vacare sedem contigerit, quempiam de Canonicis Capitulum illius designare teneatur, qui sedis vacantis nomine prouincialibus conciliis, regiasve curiis, cæterisq; huiusmodi cōgregationibus intersit: ei autem qui missis fuerit, vel ex hoc tempore de fructibus & redditibus Archiepiscopatus, ac etiam mensæ episcopalibus, mercedis tantundem decernimus, quantum iis constitui solet, qui gerendis Capitulorum negotiis ad prouincialia concilia, aliösve conuentus mittuntur.

IDE M

De consuetudine. Tit. III. 9

IDE M HIERONYMVS ARCHIEPISCOPVS
Tarragonensis in concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. D. LVI.

Quæ peccatur contra constitutiones, excepto contemptu vel consuetudine peccandi, vel nisi diuina legi, aut sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ decretis vetentur, in peccatis mortalibus non habenda: sed vel poenitentia plectenda, vel iudicis arbitratu. Excommunicationis poena Prælatis in aliam commutare licet.

NE permultos peccati laqueis irretiamus, declaramus eos, qui contra has constitutiones peccauerint, poenitentia tantum in iis constitutæ, non etiam peccato mortali obnoxios esse: nisi si vel eas contemptu violarint, vel peccandi consuetudine irritas ferint, vel certe admissa crimina adeo grauia extiterint, vt in peccatis mortalibus vel diuina lex, vel sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ decreta habenda censuerint. Quibus verò delictis nulla certa poena constituitur, ea iudicis arbitrio plectenda sunt: permittimusq; Prælatis, vt vbi cupique excommunicationis poena infligitur, eam, si visum fuerit, in aliam quamquam commutent. Malum enim in iis, quorum nostra est animaduersione, paulo remissiores videri, quamduum legum severitate delicta vindicare studemus, maximam animarum multitudinem æternæ damnationis periculo obliucere: Deum imitati, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.

De consuetudine. Tit. III.

RODERICVS ARCHIEPISCOPVS TAR-
raconensis in secundo concilio Ilerdæ celebrato,
anno Domini. M. CCXCIII.

Calendas Augosti.

Prandia ab iis qui decimas ferunt non exigenda: sed neque eorum causa quicquam de decimis substrahendum: compellendique, vt integræ soluant qui substrixerint, excommunicationis poena.

SCRIPTURA sacra patrumque decreta sancierunt à cunctis fidelibus Deo, & eius ministris decimas integræ & libere esse persoluendas. Habet tamen quorundam abusus, quorum deus venter est, vt, cum decimas ad granarium ecclesiæ deferunt, sicut debent, comedentes, seu prandia exigat hac de causa: & quod semel, seu una die possent ad granarium ecclesiæ apportare, per multis vices, multosq; dies decimas minutatim deferant: vt singulis vicibus reficiantur a rectoribus, & cibentur. Cumq; hoc in detrimentum, & diminutionem iurium decimalium non sit dubium redundare, ideo nos Rodericus permissione diuina sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus, approbante sacro concilio, hoc fieri prohibemus, consuetudine qua-

B uis,

10 . Constitut. Prouinc. Lib. I.

uis, quæ iuri diuino sit cōtraria, non obstante. Siquis verò contra prohibitionem nostrā huiusmodi comediones, & prandia ex hac causa exegerit, seu propter hoc partē decimā substraxerit, & retinuerit, vel retineri fecerit, & monitus per Rectorē infra decem dies non satisfecerit, auctoritate præsentis constitutionis excommunicationis poena compellatur.

I D E M R O D E R I C V S I N T E R T I O
concilio Ilerdæ celebrato, anno Domini. M.
C C X C I I I . Idib. Aug.

Quæ contra ius & clericalem immunitatē vīque adhuc diuturno abusu inoleuerunt, tolluntur; plebētūque priuati excommunicationis poena, qui vel cibum exegerint, vel interuerterint decimas; vniuersitates, in terdicto. Ecclesiastici, qui ad hæc conniveant, combinatione pœnarum canonicanarum deterrentur.

 N nonnullis Tarragonensis prouinciæ dioecesibus, & ecclesiis sic auida gulosis quorundam laicorum animos excæcauit, vt certis anni temporibus parochiani dictarum ecclesiæ ab Abbatibus, Vicariis, seu Rectoribus earundem certa prædia, comediones, pastus, potationes, et beuragia exigere quasi ex debito non formident: & ipsos Rectores, Vicarios, seu Abbates ad ea iuxta abusum huiusmodi exhibenda per subtractionē, & retentionem decimarum, & aliorum iurium ecclesiasticorum irrevenerenter, vel alias inuertere recundè compellere non vereātur. Aliqui etiam ex laicis supradiæcis vna die cuiuslibet septimanæ quasi ex debito volunt comedere cum Rectore, Vicario, seu Abbatore, & ultra comedionem habere & exigere aliquam pecuniam ex eisdem: ita per totū anni circulum continuè facientes, quo usque omnes parochiani cum eis comedent, & certum quid habuerint ab eisdem: posteaq; inchoant, & repetunt illud idem. Suntq; alii laici ex prædictis, qui solennibus diebus Natalis Domini, Paschæ, & Penthecoœtis immediate post cœmunionem, & receptionem sacrati corporis IE S V C H R I S T I , quod cum humilitate, & deuotione recipere tenentur, & aliquibus aliis anni temporibus quasi ex debito exigunt improbè ab ecclesiis, Abbatibus, Vicariis seu Rectoribus vinum certum ex abusus huiusmodi, vel etiam iuxta votum: adeò vt interdum decem, vel quindecim onera in potationibus huiusmodi expendantur: propter quæ ingurgitationes, ebrietates, & comediones indebitæ commituntur, & multoties mortes, & vulnera sunt haec tenus subsequita. Quamplurimi insuper ex laicis etiam antedictis tempore quo decimarum, & primitiarum granaria diuiduntur, non permittunt per illos, ad quos dictæ decimæ, & primitiæ bl. di pertinent, portari libere dictū bladum suis propriis animalibus, vel etiam alienis: vt pro apportaturis præfati bladi duplo, vel triplo plus quam alii portarent, necessariò eis detur. Nonnulli etiam, qui iuxta laicorum consuetudinem ad horrea ecclesiarum bladum decima-

rum &

De confuetudine: Tit. III. ii

rum & primitiarum deferunt, & die, qua portant, cibantur ab Ecclesiis, Vicariis seu Rectoribus earundem, per multas vices, multosq; dies exco-gitata malitia deferūt minutatim, quas portare poterant vno die: vt singulis diebus, & vicibus reficiantur ab ipsis Ecclesiis, & earū Rectoribus, ac cibentur: constitutione nostra, quæ incipit, SCRIP TVRA SACRA, hoc prohibente. Alii verò laici, cum subsidia ex certis causis Portionariis, Vicariis, seu clericis beneficiatis in ecclesiis, ipsorum laicorum consanguineis, affinibus, seu amicis per locorum ordinarios, vel nuntios, seu legatos sedis apostolicæ imponuntur, vel cum ipsis Portionariis, Vicariis, seu clericis beneficiatis prælibatis per ipsos Rectores, seu Abbates, vel eorum gerentes vices, ex eo quod seruitum ecclesiæ non faciunt, vt tenentur, vel alia causa licita, iusta, & honesta interdum ad tempus suorum beneficiorū fructus forsitan substrahuntur, ad requisitionem, suasionem, seu nutum huiusmodi clericorum occultè retinent sibi decimæ & alia iura ecclesiastica, & Portionariis, seu clericis memoratis tribuunt: propter quod negligentia dictorum Portionariorum, clericorum, & aliorum circa diuinum officium remanet impunita: cum de alieno soluant, quod de proprio soluere tenabantur. Et dicti laici nihilominus participes sunt furti, allegantes omnes prædicti, & singuli ad excusandas excusationes in peccatis, quod consuetudines obseruant, atq; vsus. Nos igitur volentes ex debito nostri officii ecclesiarum indemnitatis prouidere, ac malitiis, usurpationibus, & morbis huiusmodi obviare, facio approbante concilio consuetudines, obseruationes, atque vsus, corruptelas & abusus penitus reputantes, ac etiam iudicantes, prædicta omnia & singula deinceps omnino fieri prohibemus: cùm non sit dubium ea esse contra bonos mores, & canonicas sanctiones, & in grauamen iurium ecclesiarum, & ecclesiasticæ libertatis. Et quia parum prodest iura condere, nisi poena transgressoribus imponatur, in omnes, & singulos laicos, qui prædicta prædia, comediones, seu pastus, potationes, seu alia beuragia, & alia prædicta, seu aliqua de eisdem exegerint cum effectu, & qui occasionibus memoratis, vel aliqua earundem, de decimis, primitiis, & aliis iuribus ecclesiasticis aliquid sibi retinuerint scienter, vel per alios procurauerint, seu mandauerint, aut consenserint retineri, excommunicationis sententiam promulgamus. In locis verò in quibus vniuersitates in his culpabilis extiterint, cæsetur penitus à diuinis, sub poena excommunicationis: Abbatibus, Rectoribus, Vicariis, & aliis ecclesiasticis personis interdicendo, & prohibendo expresse, quod dictis laicis, vel eorum alicui comediones & pastus, potationes & beuragia, vel aliquid aliud ex causis seu occasionibus supra dictis non dent, nec dari faciant, vel permittant: si alias poenas canonicas voluerint euitare.

B 2 EN NEC

ENNECVS ARCHIEPISCOPVS TARRA-
conensis in primo concilio Tarracone celebra-
to, anno Domini. M. CCCXCI.
Nonis Aprilis.

Præcipitur vt liber, quo officiorum iuxta vsum cuiusque ecclesiæ contineatur
descriptio, in choro cathe næ alligatus habeatur.

VIA per cæremonias, quas per anni circulū ad Dei laudem,
& cultus diuini augmentum in ecclesiis cathedralibus, col-
legiatis, & aliis, vbi est vltra numerū duodecim officiantium
numerus, obseruare debent ecclesiasticæ personæ, cum in scri-
ptis non appareat quæ quisq; in qualibet ecclesia facere teneatur, officii
diuini turbatio, & scandala oriuntur, præcipimus in qualibet dictarum
ecclesiæ infra biennium fieri vnum librum, qui stet in choro eccle-
sia cathena, vbi omnia pertinentia ad diuinum officium secundum
vsum ecclesiæ infra annū, & quis illa facere debeat, exactè conscribatur.

D ALM ATIV S TARRACONENSIS AR-
chiepiscopus in concilio celebrato, anno Domini
M. CCCXXIIII. sexto
Idus Decembris.

Præter librum, cui CONSVENTAE nomen est, Prælati, & Capitula li-
brum iubentur confidere post triennium ab edita hac constitutione: in
quo ratio descripta sit officiorum. Qui si id facere neglexerint, maiores
quidem xxv. librarum poena plectuntur: inferiores x. librarum: quæ mul-
ta fabricis ecclesiæ applicatur.

PER constitutionē bonæ memorie Enneci prædecessoris no-
stri incipientem, QVIA PER CAEREMONIAS,
fuit salubriter statutum, vt in qualibet ecclesiæ cathedrali
librum, & aliarum vbi est vltra numerum duodecim offician-
tium, fieret unus liber, qui staret in choro ecclesiæ cum cathe næ, vbi
omnia pertinentia ad diuinum officium secundum vsum ecclesiæ infra
annum, & quis illa facere deberet, exactius scriberentur. Sed quia nulla
fuit poena addita, executione caruit usque queaque. Vt itaque qui desideres
fuerint in eadem exequenda poenæ formidine astringatur, sacro appro-
bante concilio illam innouantes mandamus Episcopis, Capitulis, & aliis,
qui ecclesiæ præsident memoratis, in virtute sanctæ obedientiæ & poena
etiam infra scripta, vt infra tres annos proxime venturos dictæ constitu-
tionis seriem exequentes, dictum librum vltra librum vocatum C O N-
S V E T A M, fieri facere teneantur. Episcopi autem, qui negligentes in
hoc reperti fuerint, & Capitula item ecclesiæ cathedralium xxv. li-
brarum, & alii inferiores x. librarum poenam ipso factò incurvant, ec-
clesiarum fabricis infallibiliter acquirendam.

De auct

DE AVCTORITATE, ET
vsu Pallii. Tit. IIII.

Archiepiscopus Tarraconensis, quoniā est Legatus natus, iure potest impe-
rare vt sibi per vniuersam Tarraconensem prouinciam Crux preferatur.

INNOCENTIVS Episcopus seruus seruorum Dei, vene-
rabilis fratri Archiepiscopo Tarraconensi salutem, & aposto-
licam benedictionem. Cum pro CHRISTO Legatione
fungaris, natus pro patribus inter alios filios gratiæ, filius ado-
ptiuus, ac diuinorum ministeriorum dispensator fidelis: vt illius sigilli
signeris signaculo, qui te dispensatorem, ex iniuncta tibi officii cura, con-
stituit verbi sui, & per sigillum appensum & suspensum legatio pareat
manifesta, quæ sic CRVCFIXI nuntium probet exteriū ad deco-
rem, vt intus ipsius tibi memoriam imprimens ad timorem, ad portanda
CRVCFIXI stigmata in tuo corpore te inducat, vt dum iudicari
subsequeris, ab auditione mala, quam proferet cōtra malos, iudicantem
non timeas, tuæ fraternitatis meriti prouocati, vt ecclesia tua in
te recipiat munus gratiæ amplioris, & fructus palmæ, tibi ascendentis in
palmam, fiat gutturi tuo dulcis, externo decore internum multipliciter
ampliante, quod per totam Tarraconensem prouinciam metropolitico
tibi iure subiectam, liceat tibi tuisq; successoribus in perpetuum viuificæ
Crucis vexillum facere anteferri, auctoritate vobis presentium indulge-
mus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ conce-
fessionis infringere, vel ei ausu temerario cōtrà ire. Si quis autem hoc atten-
tare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri
& Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Dat. Lugduni xv. Cal.
Decembris. Pontificatus nostri anno tertio.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOPVS
Tarraconensis in secundo concilio Valentiae ce-
lebrato, anno Domini. M. CCXL.
octauo Idus Maii.

Vetatur Archiepiscopus Toletanus Crucem iubere sibi præferri, palliōve
vti, aut indulgentias concedere in prouincia Tarraconensi. Vbi id faciet,
à diuinis cestandum: ipse autem excommunicatur.

SACRO approbante concilio statuimus, quod si Toletanus
Archiepiscopus per Tarraconensem prouinciam transitum
faciens Crucem ante se portare fecerit, vel pallio vsus fuerit,
vel indulgentias dederit in nostra prouincia, quæ, sicut dici-
tur, fuerūt per eundem temerè alicubi attentata, loca ad quæ ipse taliter
venerit, & in quibus prædicta attentauerit, quādiu ibidem fuerit, cessent
penitus à diuinis. Et ne eius præsumptio remaneat impunita, si supradic-
ta in prouincia nostra de cætero commiserit, auctoritate nostra, & sacri

B 3 concilii

concilii ipsum ex nunc quasi ex tunc excommunicationis sententiæ de-
cernimus subiacere.

RODERICVS IN PRIMO CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXCI. Idibus Martii.

Dioceſanus, qui nō vetuerit quominus Archiepiscopus Toletanus, aliūſve quif-
piam Crucem ſibi präferri iubeat, palliōve vtatur, aut indulgentias concedat
in prouincia Tarraconensi, templi ingressu prohibetur: & tanquam falsi cri-
mini obnoxius punitur, qui literis indulgentiarum ab illis conceſis vſus fuerit.

SA C R O approbante concilio statuimus, quod si Toletanus
Archiepiscopus, vel quicunq; alijs Archiepiscoporum per Tar-
raconensem prouinciam tranſitum faciens Crucem ante ſe
portari fecerit, vel pallio vſus fuerit, vel indulgentias deder-
it, quæ ſicut dicitur, fuerunt per aliquos temere attentata, ſi Dioceſanus, in cuius dioceſi talia committentur, non ſe oppoſuerit, & hæc non
inhibuerit, vt melius poterit, ſit ab ingressu ecclesiæ eo ipſo ſuspensus.
Et, ſi aliquis literis indulgentiarum aliquorum Archiepiscoporum in noſtra
prouincia vſus fuerit, tanquam falfarius puniatur.

De renunciatione. Tit. V:

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCVS
Tarraconensis in ſeptimo concilio Tarracone
celebrato, anno Domini. M. CCXL-
VII, decimo Cal. Maii,

Statuitur renunciationes, & collationes beneficiorum promulgari debere infra
tempus à die vacationis conferendis beneficiis conſtitutum: alioqui non va-
lere eiusmodi collationem: & eius tantum collationis potestate eum carere
qui non publicarit, eamque ad ſuperiorem deuoluſi.

CVM occulta donatio ſuspicio ne careat iuxta canonicas
ſanctiones, ſacro approbante concilio donationes occultas de
dignitatibus, personatibus, rectoriis, präbendis, ſeu portioni-
bus, & aliis omnibus administrationibus, ministeriis, officiis,
& beneficiis eccleſiaſticis, quo cunque nomine ceneſantur, fieri prohibe-
mus: ſtatuentes, vt tam donator quam donatarius donationem recipiens
factam intra tempus de conferendis beneficiis à canonibus definitum, à
vacationis tempore computandum, taliter ſtudeant publicare, vt appa-
reat cui donauerit, & quo tempore ſit donatū. Aliter quidem facta dona-
tio ipſo iurē non valeat, nec alicui competat actio, vel defensio ex ea-
dem. Sanè donator, qui contra hoc ſtatutum venerit, conferendi po-
testate careat ea vice, & ad alios ſecundum Lateranensis ſtatuta conciliū
huiusmodi collatio deuoluatur,

DE

DE AETATE, QUALITATE, ET OR-
dine Praficiendorum. Tit. VI.

IOANNES CARDINALIS SABINENSIS,
Légatus apostolicus in concilio Illeſdensi, anno
Domini. M. CCXXIX, quar-
to Calendas Aprilis.

Beneficiati, quibus non inepta ætas literis diſcendis, subtractione beneficiorum
eas vt diſcant cogendi, quoad latine loqui ſciant. Diſcendis triennium conce-
ditur: & toto eo tempore integra fructuum percepſio indulgetur. Beneficiis
tamen ſuspenduntur, quibus id temporis ſine profectu abierit. Grammatices
ignorans tonsurā minime confeſenda: ſed neque ad ſacrum admittendi gra-
duum, qui loqui latine neſciant.

STATUIMVS, vt omnes beneficiati, & promouendi in
ecclesiis parochialibus, qui latinis verbis loqui neſciant, exce-
ptis illis de quorum defectu propter ætatem non eſt ſperan-
dum, in studio ab Epifcopo & Archidiacono loci, vbi tale ius
confueuit habere Archidiaconus, per subtractionem beneficiorū, quo-
ad vſque latinis verbis loqui ſciant, addiſcere compellantur. Illis autem,
qui ſtudere in Grammatica, & proficere voluerint, miſericorditer indul-
gemus, vt beneficia ſua integrè in ſcholis habeant à proximo feſto ſancti
Ioannis vſque ad triennium, ac ſi in ecclesiis deſeruirent: prouifo tamen
ne ecclesia eorum remaneat debito ſeruicio deſolata. Qui vero in fra huc
terminum non tantum proficeret curauerit, vel latinis verbis loqui ſciat,
quia ſuam iuare, vel vincere neglexerit ignorantiam, donec talem ne-
gligentiam per ſubsequens ſtudium corregere, beneficio ſuspendatur eo-
dem. Et quoniam multi affectant clericalē characterem, vt libertatem
eccleſiaſticam, vel beneficium aſſequantur, & tamen addiſcere negli-
gunt, präcipimus vt à talibus tonsurandis caueatur attente: präfertim
in illis locis, in quibus, obtenta prima tonsura, ratione natalis ſoli ſibi in
ecclesia vendicant portionem. Ad ſacrum autem gradum nullus cleri-
cus ſecularis promoueat, qui latinis verbis loqui neſciat.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS,
Archiepifcopus Tarraconensis in primo concilio Tar-
racone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XXIX, quarto Cal. Martii,

Qui latine neſciant, ad ordines non admittendi; tamenſi diſpensatione non
interdicuntur Epifcopi quatenus à iure permittitur.

QONIAM illi ſunt ad honores eccleſiaſticos promouendi,
qui moribus, ætate, ſcientia pollere noſcuntur, ſtatuimus, ac
prohibemus ne ad ſacros ordines promoueantur, niſi per-
sona, qua Grammaticam ſciant, ſeu latinis verbis loqui valeant
competenter. Illi vero, ad quos ratione dignitatum, vel personatu, quos
obtin-

obtinent, competit examinare clericos, & ad omnes ordines præsentare, propensiùs caueant, si huiusmodi cupiunt honore gaudere, ne defectum super hoc patientes, scienter ad ordines audeant præsentare. Potestatem autem dispensandi super his, ex causa, & quatenus à iure permittitur, per hoc non intendimus Episcopis interdictam.

A R N A L D V S A R C H I E P I S C O P V S T A R R A C O-
nensis in secundo concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXXXVIII. Cal. Aprilis.

Tonsura non conferenda nisi iis, quos verisimile sit ad sacros ordines pro-
moueri in animo habere. In clericos nocentes, ne impunitate confisi pri-
uilegium clericale allegent, seuerè animaduertendum.

R I M A tonsura nemini conferatur de quo nō sit verisimile,
quod intendat ad sacros ordines promoueri. Episcopi vero, &
eorum Officiales taliter punire studeant clericos criminosos,
ne aliquis pretextu impunitatis alleget priuilegium clericale.

P E T R V S S E C V N D V S A R C H I E P I S C O P V S
Tarraconensis in concilio celebrato, anno Domini.
M. CCCLXVII. Idibus Februarii.

Canonici ecclesiæ cathedralis infra annum à die adeptæ possessionis pacifi-
cæ, nisi si ætas aliudve impedierit, ad sacros ordines iubentur promoueri,
saltem subdiaconatus: alioqui Canonici priuati censemur.

R A N D I A damna, & pericula, quæ ecclesiis & monasteriis
ac aliis piis locis, Prælatis & personis ecclesiasticis obuenierūt,
& haec tenus, ac in præsentiarū obueniunt in prouincia Tar-
raconensi diabolica instigatione quorūdam, qui de C H R I-
S T I patrimonio sublimati detestantes ascribi militiae clericali, ponen-
tes ad aratrum manum, respicientes retro vitam elegerunt ducere laica-
lem, tollere affectantes, sacro approbante concilio statuimus, vt quicun-
que de cætero in Canonicum cathedralis ecclesiæ assumptus fuerit, ne à
statu retrocedere valeat clericali, infra annum à die pacificæ possessionis
adeptæ computandum, postquam ad legitimam ætatem peruererit, ad
ordinem subdiaconatus saltem, legitimo impedimento cessante, se faciat
promoueri: alias ex tūc Canonica, quam adeptus fuerit, sit ipso facto pri-
uatus: alii per illos, ad quos collatio pertinuerit, liberè conferenda.

P E T R V S S E C V N D V S A R C H I E P I S C O P V S
Tarracoñ. in tertio concilio celebrato, anno Domini.
M. CCCLXX. septimo Idus Nouemb.

Infra annum à promulgata in ecclesiis cathedralibus hac cōstitutione, Canonici,
& Presbyteri de Capitulo, qui Canonicatum ante hoc tempus pacificè inte-
grum annum possederint, ad subdiaconatum saltem curare iubentur promo-
uerti, si nihil vel ætas, vel quippiam aliud impedierit: si non fecerint, præbendis,
& beneficiis priuati habentur, quæ eorum ratione obtinebunt.

CVM

V M nudius tertius in sacro cōcilio, quod continuando ce-
lebramus, ordinauerimus, quod quicunque in Canonicum
ecclesiæ cathedralis assumptus fuerit, infra annum à die pa-
acificæ possessionis computandum, postquam ad ætatem le-
gitimam peruererit, ad ordinem subdiaconatus saltem, le-
gitimo impedimento cessante, se faciat promoueri: alias Canonica, quam
adeptus fuerit, sit priuatus ipso facto, alii per illos, ad quos collatio per-
tinet, liberè conferenda: cumq; ante dictam constitutionem nonnulli fue-
rint, & sint Canonici cathedralium ecclesiarum, & in ipsorum Canoni-
catum pacifica possessione, qui saltem ad ordinem subdiaconatus, ces-
sante legitimo impedimento, non se fecerunt promoueri: ideo eodē con-
cilio approbante prædictam constitutionem ad illos extendentis sanc-
imus, vt præfati Canonici, & Presbyteri de Capitulo, qui ætatem legitimi-
mam habent, infra annum à die præsentis constitutionis publicatae, quam
etiam volumus in ecclesiis cathedralibus publicari, cum ætatem legitimi-
mam habuerint, ex tunc infra annum immediate computandum se fa-
ciant, cessante legitimo impedimento, promoueri, saltem ad ordinem sub-
diaconatus: alioqui eo ipso canonicatibus, & præbendis, quas obtinent,
& beneficiis etiam, quæ obtinent in dictis ecclesiis, quæ obtinere nō pos-
sent, nisi essent Canonici præbendati, sint priuati: quæ aliis conferantur
per illos, ad quos pertinet collatio eorundem.

E N N E C V S I N C O N C I L I O S E C V N D O
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XCV. vndecimo Cal. Decemb.

Nisi qui vel ad sacros ordines promoti fuerint, vel ordinem regularē pro-
fessi, ad prouinciale concilium, vt procuratores admittendi.

V M nullus in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis seculari-
bus, vel regularibus vocem habeat in Capitulo, etiamsi hoc ab
aliis libere cōcedatur, nisi saltē in subdiaconatus ordine fuerit
constitutus, de consensu sacri cōciliū duximus statuendum, vt
nullus de cætero admittatur ad prouinciale concilium vt procurator Ca-
pituli, vel alterius personæ, qui in dicto cōcilio habeat interest, nisi in fa-
bris ordinibus constitutus, vel ordinē regularē fuerit exprefse professus.

D A L M A T I V S A R C H I E P I S C O P V S T A R R A-
coñ. in concilio celebrato, anno Domini. M. CCC-
XXIII. quarto Idus Decembris.

Canonicis, & Presbyteris de Capitulo, qui superiores constitutiones pro irritis
habuerunt, quibus cogebantur infra annum à die pacificæ possessionis adeptæ
ad sacros ordines subdiaconatum saltem promoueri, si nihil ætas, aliudve im-
pediret, tanquam iure ipso priuatis fructuum annuorum perceptio adimitur:
nisi dispensationem sufficientem attulerint. Qui hanc constitutionem viola-
rint sunt excommunicati.

C CVM

VM per constitutiones bonae memorie Domini Petri predecessoris nostri incipientes, GRANDIA PERICVL A, & CVM NVDIVSTER TIVS, salubriter sit prouisum, vt Canonici, & Presbyteri de Capitulo ecclesiarum Cathedralium nostrae prouinciae Tarragonensis, ne à statu retrocedere valeant clericali, infra annum à die pacifice possessionis adeptæ computadum, postquam ad legitimam ætatem peruererint, ad ordinem subdiaconatus saltē, legitimo impedimento cœlante, se faciant promoueri: aliás ex tūc Canonicatibus, & beneficiis, quæ in eisdem ecclesiis obtinent, & quæ obtinere non possent, nisi essent Canonici prebendati, sint ipso facto priuati: & cum lapsō huiusmodi anno iidem Canonici, & Presbyteri de Capitulo sic priuati, in suis Canonicatibus & præbendis, ac beneficiis tolerentur, fructusq; suarum præbendarum, & beneficiorum eisdem integraliter ministrentur, in eorum graue periculum animarum, iecirco super his prouidere volentes, præfatas constitutiones renouando, & exequendo, eisdem sacri approbatione concilii adiicimus, quatenus lapsō huiusmodi anno, eisdem Canonicis, & Presbyteris de Capitulo, ut præmittitur, non promotis, & sic vigore dictarum constitutionum ipso iure priuatis, dispensatione sufficienti per eisdem super hoc non ostensa, de fructibus, redditibus, & prouentibus suarum præbendarum, & beneficiorum prædictorum, per illos, ad quos pertinet & spectat, nullatenus respondeatur, declaratione alia minimè expectata: alioqui contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrire volumus ipso facto.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, APOSTOLICÆ sedis Legatus in concilio Dertusensi, anno Domini.
M. CCCXXIX. Nonis Nouemb.

In clericis ad sacros ordines promouendis examinanda ætas, mores, & literæ, seruandaque ea quæ à sacris canonibus, constitutionibus, ac synodis super his decretis sunt. Sacerdotes de quorum infictia rumor dilatus fuerit, quoad proficerint, munere sacerdotali suspendendi. Episcopi, & Capitula monentur gymanasiorum literariorum curam gerere.

IHIL est quod ecclesiæ Dei magis officiat, quām indecens promotio indignorum. Nam cum indignis ad sacros ordines patet ascensus, inordinata crescit ambitio: & proficiendi in scientia cura, & studium amputatur: & ecclesiastici ordinis dignitas deducitur in contemptum. Vniuersos igitur Episcopos sub obtestatione diuini iudicij commonemus, vt vnuſquisq; tanquam seruus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, fideliter, & prudenter attendat, cui diuina sacramenta committat: ne, si ultra debitam mensuram alicui credat, aut infidelitatis, si scienter: aut imprudentia, si ignoranter, in districto iudicio valeat culpa notari. Sed promouendi

uendi ad sacros ordines de ætate, qualitate, moribus, & scientia debito subiiciantur examini: & circa eos quæ à sacris canonibus, constitutione domini Sabinensis, & constitutionib; prouincialib; & synodalib;, & nostra etiam statuta sunt, tenaciter obseruentur: nec, sub spe futuri profectus, aliquis ordinetur, nisi actualiter tempore promotionis reperiatur idoneus. Sanè quia aliqui propter Prælati notitiam fugiendo, vel aliis exquisitis coloribus, & modis minus idonei, immo penitus illiterati sacerdotale officium ambierunt, omnibus ecclesiarum Prælatis iniungimus, eorum conscientias onerando, vt, si de aliquorū insufficientia eorum aures notabilis fama pulsauerit, tales examinationi subiiciant: & si eos sic insufficientes reperiant, ab officiis sacerdotalis executione sufficiente, vñquequo per studii exercitium debitam sufficientiam fuerint assentiuti. Cæterū vt addiscendi, & proficiendi in scientia opportunitas talis conferatur, ecclesiarum Prælatos, & Capitula propensiū exhortamur, vt circa reformandas, & conformandas scholas artium solerter, ac diligenter intendant: vt tales in scololis clericis nutriantur, qui meritò idonei fieri valeant sacerdotes.

DE SACRA VNCTIONE. Tit. VII.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOPVS TARRACONENSIS in tertio concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCXLII. tertio Idus Maii.

Sacramentum extremæ unctionis gratis conferendum: a cathedralibus ecclesias quatuor annis olea petenda.

ACGRAMENTVM extremæ unctionis potentibus libere, & sine pecunia à sacerdotibus ministretur: et singulis annis clericis ampullam deferat, in qua oleum recipient infirmorum, quando eis Chrisma, & catechuminorum oleum tribuetur: consuetudine quavis non obstante.

DE FILIIS PRESBYTERORVM

ordinandis, vel non. Tit. VIII.

IOANNES SABINENSIS IN ILERDENSI concilio, anno Domini. M. CXXIX. quarto Calendas April. & est §. constitutionis incipit. Ad extirpandam.

Soboles clericorum, velut spuria, in bonis paternis prohibetur succedere, & ad tonsuram admitti.

SOBOLES quoque clericorum post hoc concilium, de concubina suscepit in bonis paternis, iure hereditario secundum decretalem domini Honorii non succedat: & ad primā tonsuram velut spuria, nullatenus admittatur: quæ omnis beneficia, & privilegia clericalis expers existit.

ARNALDVS ARCHIEPIS COPVS TARRA-
conensis in secundo concilio, anno Domini. M.
CCCXXXVIII. Cal. April.

PRESBYTER cum suo proprio filio spurio Missam non audeat
celebrare.

PETRVS SECUNDVS ARCHIEPIS COPVS
Tarragonensis in tertio concilio Tarracone celebra-
to, anno Domini .M. CCCLXX. se-
ptimo Idus Nouembris.

Dimidium bonorum, quæ ex beneficiis parta fuerint, ecclesiæ, unde profe-
cta sunt, acquiritur, si in prolem illegitimam, siue per se, siue per interpo-
litam personam translata fuerint; reliquum, loci ordinario.

VIA bona, quæ ab ecclesiasticis beneficiis habentur, per
Rectores, seu administratores beneficiorum debent in vti-
litatem eorundem beneficiorum, & non prophanis usibus
applicari, & iis quamplurimi abutuntur, ideo sacro appro-
bante concilio statuimus, ut de cætero nulla persona ecclæ-
siastica beneficiata cuiuscunque status, dignitatis, gradus, ordinis, reli-
gionis, vel conditionis existat, habens prôlém illegitimam eidem prôli-
terras, possessiones, honores, seu alia iura beneficiorum audeat stabilire,
seu in emphyteosin concedere: nec eidem prôli aliquid in vita, vel in
morte, seu testamento de pecunia seu aliis bonis, quæ à dictis suis benefi-
ciis acquisiuit, per se vel interpositam personam, vel alio quæsito colore
donare, concedere, seu legare: dari seu legari faciat. Alias quicquid tali
prolifuerit, vt præfertur, in vita, vel in morte datum, seu relictum, me-
diatas in ornamenta beneficii, seu beneficiorum ipsius donantis, seu re-
linquentis erogetur: & reliqua medietas eius ordinario applicetur.

DE SERVIS NON ORDINANDIS,
& eorum manumissione. Tit. IX.

PETRVS SECUNDVS ARCHIEPIS COPVS
Tarragonensis in tertio concilio Tarracone celebra-
to, anno Domini. M. CCCLXX. se-
ptimo Idus Nouembris.

Monentur Episcopi ante promotionem ad sacros ordines edicere, sibi in animo
non esse eos promouere, qui sint de redempzione; qui si se obtulerint, prius
domino suo sufficienter caueant de iure ad eum pertinenti.

CVM iuri sit consonum, vt quilibet in suis iuribus fouetur, &
factum viuis alteri nocere non debeat, eodem approbante
concilio statuimus, & ordinamus, vt quilibet Episcopus, cum
clericales tonsuras, vel alios ordines in aliqua ciuitate, villa, vel
castro duxerit conferendos, habeat in principio proponere edictum per
se, vel

se, vel per alium loco sui, quod ipse Episcopus non intendit promouere
ad dictam clericalem tonsuram, vel alios ordines: nec admittere aliquem
de redemptione, existente alicuius domini ecclesiastici, vel laici tempo-
ralis. Et si aliquis de redemptione apparuerit, qui velit dicta clericali tonsu-
ra, vel aliis ordinibus insigniri, si sui iuris fuerit, vel eius pater, tutor, vel
curator, vel alius pro eo, ante habeat præstare cautionem idoneam, & cum
iuramento in posse dicti domini Episcopi, quod conueniet cum domino
suo de iure copetenti eidem domino ratione redemptionis: si, & quando
ipsi domino placuerit. De qua protestatione, & cautione habeat fieri scri-
ptura in libro, vel registro ordinum ipsius Episcopi, in memoria regestæ.

DE OFFICIO ARCHIPRES-
byteri. Tit. X.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdensi celebrato, anno Domini. M. CXXIX.
quarto Calendas Aprilis.

Archipresbyteratum nemini concedi debere sub aliqua pensione.

CMV Archipresbyteratus spiritualem iurisdictionem habeat, distri-
cte prohibemus, ne Archipresbyteratus sub aliqua pensione ad ter-
minum alicui concedatur.

DE OFFICIO VICARIIL ET SA-
lariis Officialis, & iure sigilli.
Tit. XI.

SANCIVS ARCHIEPIS COPVS TARRA-
conensis in quarto concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCL VII. de-
cimo tertio Cal. April.

Sancitur ne in provincia Tarragonensi Vicarii, Officialis principales, vel foranei
creentur nisi de regnis Aragonum, Valentiae, Balearium insularum, & princi-
patu Cathaloniæ: externi autem non nisi re ipsa Canonici fuerint, aut de Ca-
pitulo regnorum supra memoratorum Vicarii, aut officialis principales fiant:
foranei autem non nisi qui saltem beneficiati fuerint. Si sectis factum fit, Vi-
carii, Officialibus principalibus, ac foraneis non parendum, irritaque haben-
da quæcumque censuerint.

ARCHEPISCOPALIS apicis nos cura inuigilare im-
pellit, vt quæ in ecclesiis nostræ prouinciarum non absque mini-
strorum dispendio, diuini cultus detrimento, & omissione iu-
stitia, quæ sumnum bonum est, in rebus fieri viderimus, ap-
positione opportuni remedii, quantum cum Deo poterimus, succurra-
mus. A longis citra temporibus ad nostrum auditum multorum perdu-
xit relatio fide digna, quod nonnulli Vicarii, seu Officialis venerabilium

Suffraganeorum nostrorum absentium extraneæ nationis plura damna ecclesiis inferant, crimina impunita relinquent: quinimo paſſim recepta pecunia absolutiones facinorofis hominibus faciant: qui effent suis demeritis exigentibus corporali perpetua, & temporali poena plectendi: defunctorum pias voluntates vltimas infringant, deſtituendo beneficia ab ipsis defunctis, pro animarum suarum ſalute, de bonis à Deo ſibi collatis maximis laboribus instituta: diectorum defunctorum bona, quæ ex ipsis ſuam pia largitione deberent personis religioſis, mendicantibus, vel aliis C H R I S T I pauperibus erogari, imburſare conentur: & recepta pecunia absolutiones, & quitationes faciant executoribus eorundem, vt de aliis taceamus: querentes quæ ſua ſunt, potius quam C H R I S T I. Ex quibus primū perit iuſtitia, propter quod Deus offenditur: ius partium lœditur: delinquendi præparatur occaſio, cum facilitas veniæ incenſiu[m] tribuat delinquendi: diuinus cultus minuitur, propter beneficia ſic contra conſcientiam deſtituta. Alii, qui forſan beneficia inſtituere cupiebant, ab institutionibus huiusmodi retrahuntur, quæ quidem deſtituentes ad gehennam ædificant, & defunctorum animæ, qui propter beneficia inſtituta ſperabant per Miffas, & orationes, ſeu ſacrificia ſacerdotum, quos in beneficiis inſtituerant, per D[e]c[re]tum Clementi[us] a picinis purgatorii eripi, impediuntur, quod dolentes referimus, ad coeleſte patriam conuolare. Nos igitur Archiepiscopus prælibatus tot & tam nefandis malis, ac periculis obuiare volentes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ſacro concilio approbante, quod de cætero nec nos nec venerabiles fratres nostri Epifcopi prouinciae Tarragonensis, qui nunc ſunt, & qui pro tempore fuerint, Vicarios vel in ſpiritualibus, vel temporalibus, Officialesve principales, vel foraneos teneamus, nec teneant in diocesis nobis, & eis creditis extraneæ nationis, ſed de regnis Aragonum, Valentia, Maioriciarum, vel de principatu Cathaloniae duntaxat: niſi extranei conſtituti Vicarii, vel Officiales principales eſſent Canonici realiter præbendati, vel de Capitulo ecclieſiarum cathedralium principatus, & regnorum prædictorum: & Officiales foranei eſſent beneficiarii in eisdem. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſeu attentatum, ſubditi non teneantur talibus Vicariis, ſeu Officialibus in aliquo obdere: imò ſi de facto diſti Vicarii, ſeu Officiales procederent contra quenquam, ſeu iurisdictione aliqua vterentur, ſententiæ, & processus per eos facti ſint ipſo facto inualidi, & inaneſ.

I D E M S A N C I V S A R C H I-
epifcopus in eodem.

Statuitur pro iure ſigilli, decretis, ac ſcripturis non plus exigunt pecunia debere, quam ſuperioribus temporibus exigi ſolitum fuerit ab Archiepifcopo Tarragonensi, Valentiniensi, Dertufensi, Illeſensi, Barcinoñensi, Gerundensi, Vrgellensi, Vicensi Epifcopis,

LO QVI

QVI veremur, & tacere non expedit ea quæ noſtris auribus nuntiarunt fide digni relatus. A tempore enim pestilentiaz, & mortalitatis præteritæ, quo ecclieſi plurime cathedrales noſtræ prouinciae fuere paſtorū ſolatio deſtitutæ, licet ad eas Prælati præfecti fuerint: in quibusdam tamen eiusdem prouinciae ecclieſi, de quo dolendum eſt, Prælati minimè reſederunt, nec hodie reſident: propter quod ecclieſiarum detrahitur commodis, & honori: quæ carentes deſensorum auxilio in iuribus ſuis, & libertatibus multipliciter opprimuntur, animarū cura negligitur, & vitiorum ſentibus fomentum periculose præbetur. Vicarii enim, Officiales, Procuratores, & Thesaurarii eorundem emolumenta prouenientia ex iure ſigilli curiæ eorundem ultra morem ſolitum diuerſis exquisitis coloribus augmentarunt: quod in gregum eis creditorū preiudicium & iacturam, ad ambitionis, & auaritiae improprium, dictis Prælatiſ hæc forſitan ignorantibus, noſcitur redundare. Nos igitur prædictus Archiepifcopus approbatione ſacri cōciliū ſtatuiſimus, quod nos ſeu venerabiles fratres nostri Epifcopi, Vicarii, Officiales, Procuratores, Thesaurarii, aut alii quoque nomine nuncupentur, pro iure ſigilli noſtræ curiæ, ſeu curiæ epifcopalis, Vicariorū, ſeu Officialiatus eiusdem plus nō exigant pro iure ſigilli, & collationibus benefiſiorum, quam Reuerendus Dominus bona memoria Arnaldus Tarragonensis Archiepifcopus, vltimus prædeceſſor noſter, Venerabiles bona memoria fratres nostri Hugo Valentiniensis, Iacobus Dertufensis, & Illeſensis, Ferrarius Barcinoñensis, Arnaldus Gerundensis, Nicolaus Vrgellensis, & Hugo Vicensi Epifcopi confueuerunt recipere. Quod ſi ſecus actum fuerit, nos, & Epifcopi illis, à quibus ultra exactum fuerit, reſtituere teneamur, remiſione quacunque nobis nec ipſis facta vllatenus profutura. Et eundem modum habeant obſeruare Officiales, qui nunc ſunt, quem Officiales prædictorum obſeruarunt in recipienda pecunia pro decretis, & notarii pro ſcripturis. Et niſi fecerint, reſtitutioni prædictæ ſe nouerint ſubiacere.

P E T R V S S E C V N D V S A R C H I E P I S C O P V S
Tarracoñ. in concilio ſecundo Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCLXVII.

Iudices ecclieſiſtici, qui iubentur fine vlla mercede ius dicere, in fraudem cauſas committere, vel patrocinari veſtantur: quorū ob alterum excommunicationis poenam incurru[n]t, ob alterum munere quo funguntur, ac ſimilibus, vt inabitiles, priuati censentur.

RA V D E S commiſſas haſtenus de medio extirpare, ac committendas in posterum præſcindere, quantū cum Deo auctoritate poterimus ſatagenteſ, præſenti conſtitutione perpetuā valitura ſtatuiſimus, vt nulli Vicarii generales, Officiales principaleſ noſtri, vel venerabilium Suffraganeorum noſtrorum cauſas, quas iure

iure ordinario, & gratis sine ullo salario tenentur decidere, in fraudem partium vel aliorum, quorum intersit, delegent. Quod si secus egerint, ipso facto excommunicationis se nouerint sententiam incurrisse. Prohibemus insuper ne in causis praedictis, posito quod iuste possent eas committere, pro neutra partium officium aduocationis assumant. Quod si fecerint, officio cuicunque praesidebunt, cum infamia, ultra iuris poenas contra tales editas, perpetuo sint priuati, & effecti inhabiles ad alia officia similia obtainenda.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Statuitur Decanos foraneos, Procuratoresve fiscales non nisi presbyteros, aut certe tonsuratos, quos ad sacros ordines verisimile sit promotum iri, legi posse: alioqui eorum acta iuribus carere.

VIA non decet causas ecclesiasticas per personas laicas pertractari, statuimus ut in curiis nostris, & Suffraganeorum nostrorum non constituantur, seu ponantur, vel sint de cetero Decani foranei, procuratores fiscales, nisi presbyteri vel saltem tonsurati: de quibus verisimiliter presumatur, quod debeant ad sacros ordines promoueri. Quod si secus actum, seu ordinatum extiterit, processus, qui cum praedictis fient, ipso facto, absque exceptionis ope, careant viribus, & effectu.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in concilio celebrato, anno Domini. M.

CCCCXIII 1. tertio Idus Martii.

Sancitur Vicarios, & Officiales principales in sacris ordinibus esse oportere: eorum autem qui in sacris non fuerint ordinibus, acta omnia ipso iure nulla esse.

O Consultissimo prohibemus edicto, sacri approbatione concilii, præteritis moniti exemplis, quod neq; nos, neq; suffraganei nostri, Vicarios, vel officiales principales, nisi in sacris fuerint ordinibus constituti, in nostris dioecesibus, & suis, yllatenus tenemus. Et si contrariū fiat, omnes actus, qui per dictos Vicarios, & Officiales in sacris, vt praedicitur, nō promotos, inde fient, sint ipso iure nulli.

PETRVS DE FVXO CARDINALIS, APOSTOLICÆ sedis Legatus in concilio Dertuf. celebrato, anno Dni. M. CCCXXIX. Nonis Nouemb.

Idem statuitur.

PERPETVO ordinamus edicto, Vicarios generales, aut principales Officiales dioecesorum, seu ordinariorum ecclesiasticorum esse debere in sacris ordinibus constitutos: deinceps omnes actus Vicarii, aut principalis Officialis non constituti in sacris ordinibus, si quos contigerit de cetero actitari, nullius esse roboris, ac valoris.

D E

DE OFFICIO, ET POTESTATE
Iudicis delegati. Tit. XII.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Delegati apostolici subentur primæ citationi delegationis tenorem integrum inferere, potestatisque suæ limites minimè transilire. Fertur hanc constitutionem à Paulo quarto Pontifice maximo antiquatam esse.

T S I apostolicæ sedis prouidentia circumspecta salubriter studiuit prouidere, vt talibus personis Conseruatoris, & Delegati officia committerentur, de quibus verisimiliter sperari posset, quod sic iniuncti sibi officii vires expedirent, vt potestatis sibi traditæ limites non excederent, experientia tamen rerum magistra docente comperimus ex multorum talium abusibus sæpe grandia illata discrimina: censura ecclesiastica iniuste ligando, ac denunciando ipsius censuræ sententia innodatos, pluraque enormia perpetrando in perniciem ecclesiarum, & scandalum plurimorum. Nolentes igitur sedis apostolicæ auctoritatem per actus indiscretos, & improbos quorundam Conseruatorum, vel Delegatorum ipsorum Executorum, vel Subexecutorum, quasi tenebrosi fumi caligine obfuscari, sed eorum ausus temerarios reprimere cupientes praesentis tenore in virtute sanctæ obedientiæ auctoritate, qua fungimur, districte præcipiendo mandamus eisdem, ne ultra limites traditæ potestatis aliquid facere, seu attentare presumant: cum enucleati iuris existat, potestatem eis concessam excedentes velut præsumtos debere, & quidem meritò reputari: & sit iustum contra non seruantes traditam eis formam, iura, & ipsorum ministros taliter insurgere, vt effrenata audacia debita iustitia compescatur. Et vt omnis fraudis & figmenti materia penitus evitetur, in prima litera, quæ ab aliquo Conservatore vel Iudice delegato, Executore, vel ab eis gerentibus vices in causa aliqua emanauerit, tenor suæ commissionis integraliter inseratur.

DE OFFICIO ORDINARII.

Tit. XIII.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOPVS
Tarracoñ. in tertio concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCXLII.
tertio Idus Maii.

Præcipitur vt Ordinarii gratis ius dicant: Notarii moderata mercede contenti sint.

PRAECLIPIMVS vt Episcopi, vel Officiales eorum, & alii clericis ordinariam iurisdictionem habentes, gratis causas examinent, sententias proferat, nullam inde pecuniam recipientes salvo eo, quod pro iustitia, ratione dominationis debetur. Notarii autem pretium recipient pro labore scripturaræ temperatum.

D ROD

RODERICVS ARCHIEPIS COPVS IN
quarto concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCCV. octauo Cal. Martii.

Cauetur ne Prælati inferiores quenquam ad sacros ordines aliis Episcopis præsentent, né de causis matrimonialibus cognoscant: prohibenturque Episcopi eos ad sacros ordines admittere, quos illi præsentarint: nisi si priuilegio apostolico licuerit. Quæ decreta sunt contra eos, qui sibi Episcoporum partes vendicant, acerrimè obseruari iubentur.

VM nonnulli Abbates, & Prælati prouincie Tarracensis usurpando iurisdictionem Episcoporum, prouincie Tarracensis clericos ordinandos præsentent per suas litteras alias Episcopis, ipsorum Episcoporum, ad quos pertinet dictorum clericorum ordinatio, licentia minimè requisita, cognoscant etiam, vel cognosci faciant de causis matrimonialibus in circuitibus, & diœcesibus prædictorum Episcoporum, & alâs usurpent ipsorum iurisdictionem, aliaque faciant, quæ ad ordinem pontificalem pertinere noscuntur, mādamus vniuersis Episcopis suffraganeis nostris, quod ad presentationem dictorum Abbatum, vel inferiorum Prælatorum nullum clericum ordinent: donec fidem ficerint, quod ex priuilegio sedis apostolicæ hoc sibi specialiter sit indultum: & quod sententias excommunicationis per ipsos Episcopos, vel eorum Officiales latas, & ferendas contra impudentes, & usurpantes iurisdictionem Episcoporum ipsorum obseruent, & faciant inuiolabiliter obseruari.

SANCIVS ARCHIEPIS COPVS IN QUARTO
concilio Tarracensi, anno Domini. M. CCC-
LVI I. decimotertio Cal. April.

Qui admisso aliquo delicto, ut sibi impunè sit, alio profugerū, à suo Iudice reuocati, & ad pœnam expediti remitti debent, nisi si nomine malevolentia suspectus Iudex fuerit, aut alio de crimine ab eo Iudice, à quo detinetur reus, quaestio habeatur. Qui Iudices secùs ficerint commodis constitutionū priuantur.

BONVS & grauis Preses curare debet ut pacata atque quieta prouincia sit, quam regit. Quod obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus prouincia careat: eosq; conquirat, & prout quisq; deliquerit, in eum animaduertere satagat. Quod vt frequenter accidit, non potest de facili obtineri. Commisso enim per aliquem maleficio in vna diœcesi seu territorio, ad aliam se transfert: ne pro suis demeritis puniatur. Et cum per suum ordinarium, vel alium, in cuius iurisdictione, vel territorio crimen commisit, de delinquentे seu delicto petitur, seu sequitur ad locum delicti fieri remissio, per eum a quo petitur modis variis impeditur, & consequenter iustitia: & inde mala malis, facinora facinoribus cumulantur. Nos igitur Archiepiscopus approbante sacro concilio ordinamus, quod per nos, & venerabiles fratres nostros

stros Episcopos, & per alios iurisdictionem obtinentes, cuiuscunq; conditionis, vel status existant, etiam si exempti, vel de ordine militari fuerint, ad Iudices ecclesiasticos nostræ prouinciae fiant remissions ad inuicem de omnibus clericis criminosis: cum vñus per alterum fuerit requitus: nisi forsan ille de quo peteretur ut fiat remissio, contra Iudicem remissionem petentem iustam causam allegauerit, & eam probauerit coram Iudice, à quo huiusmodi remissio fieri petitur: vel Iudex à quo fuerit petita, eam facere minimè teneretur. Si verò aliquis præmissorū, vt prædictus, requisitus remissionem criminosi, seu delati non fecerit: cōmodo, & auxilio constitutionum sacrorum conciliorum Tarracensium contra inuasores, raptore, & deprædatores rerum ecclesiasticarum, hominum, ecclesiæ, & locorum religiosorum editarum, se nouerit eo ipso priuatum. Prædictam verò constitutionem per omnes superius nominatos in virtute sancte obedientiæ, cessante omni fraude, & dolo, præcipimus inuiolabiliter obseruari.

DE MAIORITATE, ET OBEDIENTIA. Tit. X. 27

Monentur Prælati, & Clerici vniuersi Archiepiscopo Tarracensi pro ecclesiæ immunitatis defensione adesse, eidēque parere, & dicto esse audientes.

LEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Suffraganeis ecclesiæ Tarracensis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archipresbyteris, ac aliis ecclesiæ Praelatis: nēcnon & clericis vniuersis, per Tarracensem prouinciam constitutis Salutem, & apostolicam benedictionem. Si debitum exoluere officii, ad quod existit obligati, ac discrimina uitare propria, sicut viros decet constantes & prouidos, affectatus, nequaquam opus videtur ut super eo, quod in præsentiarū scribimus, apostolicis vos literis excitemus: qui ad illud promptis animis, ac studiis efficacibus promouendū motu tenemini exurgere proprio, & debetis non requisiti aliquatenus vel rogati: cum specialiter de re vestra dubium non sit agi, quæ absq; vniuersali vestro periculo neglit, vel postponi. Licet igitur de sinceritatis vestræ prudentia fiduciam habeamus, quod ad libertatem libenter intendat ecclesiasticam obseruandam, pro qua vestra interest murum defensionis ex aduerso ascendentibus opponere pro viribus, ne valeat cōculari. Quia tamen nil nocet ad bona voluntarios inductionibus animare congruis, ac sollicitis vigilantium suadere: super hoc apostolicis cōmonitionibus vos eo propensiore cura decreuimus inuitados, quod diebus istis, quibus, prout non sine cordis dolore accepimus, libertas ipsa in partibus istis impugnatur: grauiter, ac enormiter derogatur eidem: vestraque in hac parte præsidia opportuna, magna & necessaria reputantur. Ideoq; vniuersitatē vestram

D 2 rogam

rogamus attentiūs, & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus venerabili fratri nostro Tarragonensi Archiepiscopo metropolitano, in libertatis tuitione ipsius, circa quam laborare debet, studiosius pro nostra, & apostolicae sedis reuerentia sic efficaciter assistatis, ac ei alias in iis, quæ ad Archiepiscopal ministerium dignitatis pertinent, sic intendatis deuotè ac humiliter pareatis: ut libertatis prædictæ feruidi zelatores, ac obedientiæ filii operibus comprobemini ex effectu: & propterea vestra deuotio ex hoc apud nos reddatur commendabilis: ac propterea fauorem apostolicum dignè mereatur vberius cum actionibus gratiarum. Datum Perusii, VIII. Idus Aprilis. Pontificatus nostri anno secundo.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINUS Archiepiscopus in primo concilio Tarracone celebrato, anno domini. M. CCCXXIX.
quarto Calendas Martii.

Prælati, & Canonici cappis nigris indui iubentur: alioqui in superiori, vel maiori choro non sedeant, necnon in processionibus cappatos præcedant.

STATUTUM VS vt Archiepiscopus, & Episcopi, & alii prælati, & Canonici cathedralium & collegiatarum ecclesiæ, secularium, vel regularium, intra ecclesiæ suas, vel claustra, ad diuina officia, & processiones à festo omnium sanctorum usque ad sabbatum Paschæ deferant cappas nigras: exceptis diebus, quibus cappis sericis solent vti. Alioquin in superiori choro, seu maiori, non sedeant: nec in processionibus inter cappatos incedant, sed eos præcedere teneantur.

DALMATIVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXXIII. quinto
Idus Decembri.

Canonici & Presbyteri de Capitulo cappis, siue almuciis ornati cultui diuino iubentur interesse: si secus fecerint, distributionibus multantur.

Non decentius, deuotius, & honestius Canonici ad celebracionem diuini cultus accedant, constitutionem per bonæ memoriae Dominum Ioannem Patriarcham prædecessorem nostrum editam de cappis portadis à festo omnium sanctorum usq; ad Pascha, incipientē STATUTUM VS, renouantes & ad Presbyteros de Capitulo extenderentes, eidem constitutioni sacri approbatione concilii adiucimus, quod Canonici & Presbyteri de Capitulo ecclesiæ cathedralium, & collegiatarum ecclesiæ nostræ prouinciæ Tarragonensis, in choro ad horas diuinæ almuciæ extensas super spatulas, à festo Paschæ Domini usque ad festum omnium sanctorum portare omnimode teneantur.

teneantur. Quod si secus fecerint, cappas, seu almuciæ suis temporibus, ut præmittitur, non portando, amittant distributiones illa hora, qua contrarium fecerint, ipso iure.

PETRVS QVARTVS DE CARDONA AR-
chiepiscopus Tarragonensis in concilio celebrato,
anno Domini. M. D. XVII.

Quæ, quibuscque temporibus cappæ, & almuciæ pro cuiusque dignitate, & gradu in ecclesiæ gestari debent: & quæ pena sit contra huius constitutionis præscriptum venienti.

STATUTUM VS facro approbante concilio, quod personæ in dignitate constitutæ, & Canonici cathedralium ecclesiæ, deferant almuciæ folratas ex satino carmesino: nisi sint religiosi, qui eas deferant ex satino nigro, vel colorum à iure permisorum. Canonici verò collegiatarum ecclesiæ, tam secularium, quam regularium etiam deferant ex satino nigro. Præpositi verò in ecclesiæ, in quibus habent certum locum in choro, & in processionibus post Canonicos eas deferant de satino morato. Beneficiati autem, si sint Canonici ecclesiæ cathedralium, aut nobiles, seu doctores, magistri, vel licenciati, de satino nigro: Commensales, Portionarii, Bacchalaurei in iure, vel sacra Theologia, ex tafatano nigro, et beneficiati. Contrarium verò facientes perdant eas ipso facto, & applicata censeantur fabricæ ecclesiæ, cui deseruiunt. Verùm si transgressor recusauerit infra tres dies tradere dictæ fabricæ almuciæ, sit priuatus distributionibus dictæ ecclesiæ, donec almuciæ fabricæ tradiderit cum effectu. Prælati, vel superiores qui negligentes fuerint in executione prædictorum, teneantur astimationem dictarum almuciarum tradere fabricæ dictæ ecclesiæ. Quod verò ad cappas chori portadas tempore hyemis pertinet, seruetur consuetudo vniuersitatis ecclesiæ.

DE PACTIS, ET COLLEGIIS
illicitis. Tit. XV.

SPARAGVS ARCHIEPISCOPVS TARRA-
conensis in concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCXXX. Cal. Mai.

Qui illicitem societatem cum aliquibus coierint, conspirauerintve ad beneficia obtinenda, beneficiis priuantur sum adeptis, sum adipiscendis.

CVM aliqui quarentes quæ sua sunt, nō q[uo]d IESV CHRI-
STI, cum beneficia ecclesiastica in ecclesiæ Dei vacant, socios sibi attrahunt, & pactionibus illicitis eos sibi alligant, ut propter maiorem numerum prauitatis, obtinere valeat quod intendent, ad offensam Dei & scandalum populi christiani, ut propriæ am-
bitioni

bitioni damnabiliter satisfaciant. Ideoq; statuimus generali concilio approbante, quod quicunque de cætero talia præsumperit attentare, omnino beneficio careat sic obtento, ita quod nunquam in eadem ecclesia beneficia valeat adipisci.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOPVS TARRACONENSIS in quinto concilio celebrato, anno Domini. M. CCXLIII. Pridie Idus Ianuarii.

Qui illicitam societatem cum aliquibus coercent, excommunicantur,

ON S P I R A T O R V M genus odibile cupientes à perueritate huiusmodi coercere, sacro approbante concilio excommunicamus omnes conspiratores, & colligationes illicitas facientes in clero, & cōtra constitutos in clero. Sententiam autem huiusmodi ad præterita duximus extendendam: nisi infra mensē, à tempore scientiæ, conspirationem, colligationēque huiusmodi posse duxerint reuocandam.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHIepiscopus in tertio concilio celebrato, anno Domini. M. CCCCVI. Idib. Martii.

Ilicita collegia ius collegiorum non habentium excommunicatione coercuntur. Qui ab iis non destiterint instituendis, beneficiis & officiis priuantur.

NT E R curas innumeræ, quas Pastoralis officii debitū humeris nostris imposuit, illas præcipue amplectimur, & solvere cupimus, per quas status, & iurisdictio ecclesiastica illibata permaneat: & subditi ab illicitis actibus compescatur. Ad auditum igitur nostrum veridica relatione deductum est, quod nonnulli cathedralium ecclesiarum beneficiati, & clerici seculares collegium non habentes, ac parochialium ecclesiarum Rectores, & beneficiati prouinciarum nostrarum, ordinariæ disciplinæ iugum abiicere satagentes, sub figmento obfuscatae deuotionis, & utilitatis personarum, & beneficiorum suorum, quæsito colore collegia illicita & congregations à iure reprobatas per se facere, & procurare non formidant: contra iurisdictiōnem Prælatorum, in eorum & Capitulorū, & ecclesiarum cathedralium præminentias calcaneum erigere non verentes. Præmissa igitur tanto fortius detestantes, quanto ipsa perniciosius exemplū pariunt, vel à iuris æquitate sunt aliena, ac volentes prædictorum temerariam & effrenatā voluntatem iusto retinaculo prohibere, omnes & singulos talia attentantes, vel fieri procurantes, ipso facto, approbatæ sacro concilio, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere: & si moniti infra decem dies ab huiusmodi illicitis actibus non destiterint cum effectu, ipsos, eisdem lapsis, eorū beneficiis, administrationibus, vel officiis, quæ tunc temporis obtinebunt, decernimus hoc edicto cōsultissimo perpetuō esse priuata: per eos quibus ipsorum beneficiorum, officiorum, vel administrationum collatio spectet, aliis idoneis conferendis: aliis pœnis contra talia peragentes in suo robore permansuris. Datum in sacro concilio prouinciali celebratio in

lapsis, eorum beneficiis, administrationibus, vel officiis, quæ tunc temporis obtinebūt, decernimus hoc edicto cōsultissimo perpetuō esse priuatos: per eos quibus ipsorum beneficiorum, administrationum, vel officiorum collatio spectet, aliis idoneis conferendis: aliis pœnis contra talia peragentes in suo robore permansuris.

Superior constitutio apostolica approbatione confirmatur, Episcopo Barcinonensi, & Capitulo postulantibus.

BENEDICTVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romani pontificis prouidentia circumspecta, his, quæ pro ecclesiarum, Prælatorum, ac aliarum personarum ecclesiasticarum utilitate proinde facta sunt, vt illibata consistant, libenter adiicit apostolici muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte venerabilis fratris Ioannis Episcopi, & dilectorum filiorum Capituli Barcinonensis petitio continebat, quod olim pro correctione morum subditorum, clericorum, & personarum ecclesiasticarum, ac honestatis disciplina, & pro iurisdictiōne ecclesiastica conseruanda, in concilio Tarracensi constitutio Canonice edita extitit tenoris subsequentis. IN TER curas innumeræ, quas pastoralis officii debitum humeris nostris imposuit, illas præcipue amplectimur, & solvere cupimus, per quas status, & iurisdictio ecclesiastica illibata permaneat: & subditi ab illicitis actibus compescantur. Ad auditum igitur nostrum veridica relatione deductum est, quod nonnulli cathedralium ecclesiarum beneficiati, & clerici seculares, collegium non habentes, ac parochialium ecclesiarum Rectores, & beneficiati prouinciarum nostrarum, ordinariæ disciplinæ iugum abiicere satagentes, sub figmento obfuscatae deuotionis, & utilitatis personarum, & bonorum suorum, quæsito colore collegia illicita, & congregations à iure reprobatas per se facere, & procurare non formidant, contra iurisdictiōne Prælatorum suorum, & Capitulorum ecclesiarum cathedralium præminentias calcaneum erigere non verentes. Præmissa igitur tanto fortius detestantes, quanto ipsa perniciosius exemplū pariunt, vel à iuris æquitate sunt aliena, ac volentes prædictorum temerariam & effrenatā voluntatem iusto retinaculo prohibere, omnes & singulos talia attentantes, vel fieri procurantes, ipso facto, approbatæ sacro concilio, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere: & si moniti infra decem dies ab huiusmodi illicitis actibus non destiterint cum effectu, ipsos, eisdem lapsis, eorū beneficiis, administrationibus, vel officiis, quæ tunc temporis obtinebunt, decernimus hoc edicto cōsultissimo perpetuō esse priuata: per eos quibus ipsorum beneficiorum, officiorum, vel administrationum collatio spectet, aliis idoneis conferendis: aliis pœnis contra talia peragentes in suo robore permansuris. Datum in sacro concilio prouinciali celebra-

to in castro Archiepiscopali Tarracoñ. per dominum Ennecum Archiepiscopum die Iouis XV. mensis Martii, anno domini. M. CCCC VI. Quæ supradicta constitutio, quæ tunc in eodem concilio, nemine discrepante, edita extitit, cum postmodum in ecclesia Barcinonensi, quæ de prouincia Tarraconensi existit, publicata fuisset, nonnulli beneficiati in eadem ecclesia falsò prætendentes ex constitutione prædicta se fore grauatos, tam pro se, quam suis huic parti adhærentibus ad sanctam sedem apostolicam appellarunt: nosq; causam appellationis huiusmodi dilecto filio Aymerico Abbatii monasterii sancti Saturnini Tholosaneñ. ordinis sancti Augustini, in Romana curia cōmoranti, ad instantiam dictorum Episcopi Capituli audiendam commisimus, & fine debito terminādam, non obstante quod causa ipsa de sui natura ad Romanam curiam legitime deuoluta, in ea tractāda & finienda non esset: & cum potestate citandi præfatos beneficiatos, & adhærentes, extra Romanam curiam, & ad partes, quoties opus esset. Idemq; Abbas ad instantiam magistri Francisci Pineda Canonici Barcinonensis procuratoris dictorum Episcopi, & Capituli coram eo in iudicio cōparentis, præfatos beneficiatos per suas literas citari mandauit ad partes, vt coram eo certo termino peremptorio competenti tunc expresso, cum omnibus iuribus & munimentis suis causam huiusmodi tangentibus comparerent: processu in causa ipsa ad singulos actus necessarios usque ad definitiū sententiam, prout existeret iuris & rationis. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, constitutio supradicta pro conseruatione iurisdictionis ecclesiastice, & morum subditorum correctione fuerit, vt præmititur, canonice edita, pro parte ipsorum Episcopi, & Capituli nobis fuit humiliter supplicatum, vt non obstantibus appellatione prædicta, & processu cause huiusmodi constitutioni prædictæ robur confirmationis adiicere: ac defectus, si qui interuenerint, in eadem supplere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur statū causæ huiusmodi habentes, præsentibus pro expresso huiusmodi supplicationibus inclinati, prædictam cōstitutionem non obstantibus appellatione, & lite huiusmodi, ac cōstitutionibus apostolicis contrariis quibuscunque, ex certa scientia, auctoritate apostolica confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio cōmunitus: supplentes omnes defectus, si qui forsitan interuenerint in eadem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā nostræ confirmationis, & supplicationis infringere, vel ei ausu temerario contraria ire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Massiliæ apud sanctum Victorem X V. Calend. Martii. pontificatus nostri, anno X. III.

DE

De postulando. Tit. XVI. 33

DE POSTVLANDO. Tit. XVI.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPIS COPVS TAR-
raconensis in secundo concilio Valentiae celebrato, anno
Domini. M. CCXL. octauo Id. Maii.

Gauetur ne quis clericus Tarraconensis cuiquam contra Tarraconensem ecclesiā patrocinetur, præterquam ecclisiæ in qua intitulatus fuerit, aut sibi, ac suis: nisi facultate impetrata.

SACRO approbante cōcilio statuimus, quod si aliquis clericus Tarraconensis prouinciae contra Tarraconensem eccliam aduocationis officium nō petita licentia, & obtenta præstiterit, nisi pro sua ecclia scilicet nostræ prouinciae, in qua intitulatus fuerit, vel nisi suam causam, vel suorum prosequatur, beneficio quod habuerit in Tarraconensi prouincia auctoritate huius constitutionis nouerit se priuatum.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Statuitur ne quis clericus Tarraconensis contra Episcopum suum cuiquam possit esse aduocatus.

SATVIMVS quod aliquis clericus contra Episcopum suum non aduocet: nisi pro Episcopo à quo maius beneficium obtinuerit quam a suo: vel nisi suam, vel suorum iniuriam prosequatur.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRI-
nus in quarto concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXX X IIII. decimo octa-
uo Calendas Februarii.

Interdicuntur clericis laicorum patrocinio contra clericos pro suis beneficiis litigantes: nisi quatenus coram Iudice laico postulare clericis licet. Qui secus fecerint excommunicantur.

VM. ecclia vna sit, vnum Deum prædicet, atque colat: & omnia, quæ ipsa ecclia habet, vnum sit patrimonium crucifixi: & quilibet clericus beneficiatus, qui de ipso patrimoniio viuit, ipsam eccliam non impugnare, imo defendere teneatur, & aliqui clericis beneficiatis de patrimonio supradicto, cōtra eam in causis nō dubitent laicis patrocinium impartiri, siccirco præsenti constitutione statuimus perpetuò valitura, quod nullus beneficiatus in aliqua causa, quam clericus aliquis cōtra aliquem laicum ratione sui beneficii habeat, agendo, vel defendendo in iudicio ecclesiastico, seu etiam seculari laico, contra clericū, nisi in casibus, in quibus permisum est clericis corā seculari indice postulare, impendat patrocinium in iudicio, vel extra publicè, vel occulte aduocati, seu procuratoris officium exercendo: in facientes contrarium excommunicationis sententiam proferentes.

E ARN

ARNALDVVS ARCHIEPISCPVS TARRA-
conensis in concilio tertio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCXXXIX.
quinto Nonas Augusti.

Superiorem constitutionem ad religiosos etiam decernitur pertinere.

O N S T I T U T I O N E M olim editam in prouinciali concilio Tarraconensi per bonæ memoriarum Dominū Ioannem Patriarcham Alexandrinum, & administratorem ecclie Tarraconensis, qua cauetur ne clericus beneficiatus pro laicis cōtra clericos aduocatus, vel procurator existat, ad religiosos quoscunq; ita quod non recipiant aduocationis, seu procurationis officiū contra clericos, vel alios religiosos, seu personas quascūque ecclesiasticas, vel beneficiati clerici cōtra eos, duximus extendendā.

PETRVS QVARTVS DE CARDONA AR-
chiepiscopus Tarraconensis in concilio pereum Bar-
cinone celebrato, anno Domini. M. D.
XVII. pridie Cal. Julii.

Decem ducatis primum multantur clerici, qui aduocatum, aut procurato-
rem pro aliquo egerint: nisi quatenus à iure permittitur: grauiore poena,
qui id facere perrexerint,

V L L V S clericus in sacris ordinibus cōstitutus, aut religio-
sus audeat postulare, seu aduocare, vel etiam procurare in curia ecclesiastica, vel seculari: nisi in casibus à iure permisis, sub poena x. ducatorum pro prima vice. Si vero deinde cul-
pabilis fuerit repertus, grauiori poena per ordinarios puniatur.

DE PROCVRATORIBVS. Tit. XVII.


PETRVS TERTIVS ARCHIEPISCPVS
Tarraconensis in concilio celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXIII. ter-
tio Idus Martii.

Statuitur, ut in singulis dioecesibus aduocatus & procurator constituantur qui pau-
perum causam diligenter defendat, quos pauperes esse Episcopus, aut eius Of-
ficialis censuerit. Ea merces de mensa episcopalí decernitur: ne quid à paupe-
ribus vila ratione exigatur.

SUPER genum, & pauperem intendentés, cum pleriq; vi-
duæ, & pupilli, & aliæ miserabiles personæ propter indigen-
tiam, & paupertatem nequeant agendo, vel defendendo du-
cere causas suas: & sic eorum iura percutant indefensa, capro-
pter cupientes, sicut tenemur indigentibus aperi viscera charitatis, sta-
tuimus

tuimus & ordinamus sacro approbante concilio, quod nos, & quilibet Suffraganeorum nostrorum in curiis nostris & eorum, aduocatum & procuratorem pauperum constituere, ordinare, & continue habere te-
neamur: quibus de mensa nostra, & ipsorum Suffraganeorum, & in suis dioecesibus de cōpetenti salario satisfiat. Qui quidem aduocatus, & pro-
curator pauperum teneatur aduocare, & procurare in dictis curiis so-
llerter, et diligenter causas dictorum pauperum, viduarum pauperum, &
personarum illarum scilicet, quæ ab Episcopo, Vicariis, vel Officialibus
suis verè pauperes fuerint inuenta summaria informatione recepta, &
eisdem aduocato, & procuratori expressè quod pauperes sint, nota
facta: nihilq; ab eis quoquis colore, vel modo inde recipientes:
sed constituto per nos, & dictos Suffraganeos nostros
in dictis dioecesibus salario sint contenti: ultrà
quod labores eorum cum multiplicato fru-
ctu retribuet infallibiliter eis ille qui
bonorum retributor est om-
nium, & pauperum
fideiussor.

E 2 LIB



LIBER SECUNDVS. DE IUDICIIS.

TIT. I.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdensi, anno Domini. M. C. XXIX.
quarto Calendas Aprilis.

Clericum crimen fragrante, si quis minister Iudicis laici comprehendenterit, vt ecclesiastico Iudici reddat, omni poena liberatur: modò vt ne comprehensum tractet durius. Sin id fecerit crimen minimè fragrante, sine ecclesiastici Iudicis mandato, culpæ affinis censetur.

VM Iustitia secularis, fragrante maleficio, in furto, rapina, homicidio, vel raptu mulierū, vel cedendo falsam monetam clericū comprehendenterit, non vt vindictam in ipsum exerceat, sed vt eundem reddat ecclesiastico Iudici, & cum eum ita captum reddiderit ecclesiastico Iudici, nisi manifeste excesserit contractando captum enormiter, nullam in hoc poenam incurrat: & qui sic fuerit deprehensus, canonice puniatur. Maleficio autem non fragrante, si iustitia secularis minister clericum ceperit absque mandato ecclesiastici Iudicis, reus habeatur.

DE FORO COMPETENTI.

Tit. II.

Archiepiscopo Tarragonensi mandatur, vt quæstionem de iis habeat, qui, ecclesiasticis Iudicibus spretis, ad seculares profugint.

RBANVS Quartus Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis ecclesiasticis Prælatis, Capitulis, & clericis vniuersitatis exemptis, & non exemptis per Tarragonensem ecclesiam constitutis salutem, & apostolicam benedictionem. Quanvis sit graue nimis, & diuinij plenum animaduersione iudicii, quod aliqui laici falcem in messem Domini sacrificis ausibus ingerentes, personas ecclesiasticas suis subiiciendo iudiciis, in periculum fidei ecclesiastica moliuntur subuertere libertatem: hoc tamen ardentiùs zelum cōmonet vltionis, quod idem

Deforo competenti. Tit. II. 37

idem laici sui fomentum erroris dicuntur in clero aliquotiens inuenire, dum clerici à clericis, & quod est grauius, religiosis non solum inuiti, sed interdum voluntarii, spretis ecclesiasticis tribunalibus, ad publica iudicia pertrahuntur. Ad aures nanque Apostolatus nostri peruenit, quod nonnulli vestrum spredo foro ecclesiastico, super his quæ ad illud pertinent, se mutuo protrahunt ad iudicium seculare: aliqui vero iudicium ecclesiasticum retardare, vel totaliter impedire volentes, regias prohibitions contra alios impetrare præsumunt: aliquotiens rem litigiosam per regem ipsum, & alias seculares personas occupari temere procurando. Quia igitur illud indignum est, & diuini iudicii animaduersione dignissimum, & ideo minimè tolerandum, vniuersitati vestrae districtius inhibemus, ne aliquis vestrum in contemptum publici beneficii, quod clericorum collegio ita inuiolabiliter est indultum, vt ei priuatis aliquorum pactis, vel cōsensibus nequeat derogari, suo relicto iudice ad publica trahere iudicia prætextu consuetudinis, qua quidam se super hoc, vt dicitur, munire contendunt, quanvis in talibus aliqua consuetudo conualefcere nequeat, vel impetratē prohibitionis, aut occupationem procurare huiusmodi non præsumat. Nos enim timentes ne nos, nisi hæc corrigitis, & nos si ea neglexerimus incorrecta, indignationem æterni Iudicis incurramus, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Tarragonensi per nostras damus literas in mandatis, vt contra omnes, quos circa prædicta culpabiles inuenerit, auctoritate nostra procedat iuxta canonicas sanctiones: contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum apud Vrbem veterem, secundo Idus Iunii. Pontificatus nostri, anno secundo.

RODERICVS ARCHIEPISCOPVS IN SE-
cundo concilio Ilerdæ celebrato, anno Domini.
M. CCXCIII. Calend. Aug.

Qui clericum ad iudices seculares citarit, siue clericus existerit, siue laicus, excommunicatur, & ius agendi amittit, latæ que in eiusmodi iudicio sententiae inualidæ habentur.



A B E T tam de iure canonico, quam ciuili libertatis ecclesiastice priuilegium, vt clericus in causa ciuili, & criminali, volens etiam, & consentiens nequaquam valeat coram seculari iudice conueniri: præsumunt tamen alicubi in prouincia Tarragonen. clerici, & laici, clericos super violentiis, & iniuriis, & quod est absurdius, super decimis, ad seculare iudicium trahere, ac temere euocare. Iudices etiam seculares falcem in aliena segete inmittentes, de causis huiusmodi inter clericos cognoscentes captis pigroribus, ac mulcta iudicata, cogunt clericos sic conuentos, & per ipsos sententialiter cōdemnatos satisfacere, fori exceptione declinatoria proposita, non admissa.

E 3 Vnde

Vnde cum prædicta in præiudicium vergant non modicum ecclesiasticae libertatis, idcirco nos Rodericus miseratione diuina sancte Tarragonensis ecclesie Archiepiscopus, approbante sacro concilio, statuimus & censemus, ut clericus aut laicus, qui in criminalibus, aut ciuilibus, temporalibus, aut spiritualibus clericum vocauerit coram iudice seculari, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat. Ac nihilominus clericus actionem sic temere attentatam amittat. Sententias vero prædictas tanquam a non suo competenti iudice latae decernimus viribus penitus vacuatas: consuetudine quavis, quæ corruptela debet veraciùs nuncupari, in contrarium non obstante.

DE FERIIS. Tit. III.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOPVS TARRA-
conensis in tertio concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCXLII.
tertio Idus Maii.

Qui per anni circulum festi dies habendi.

VM otium, & desidia fomentum pariant vitiorum, festiu-
tatum multitudinem ducimus temperādam: cum in illis, in
eo quod non laborat pauperes, aggrauentur, & otiosi & de-
sidiosi ad illicita prouocentur. Quare festiuitates colendas
necessariò subnotauimus: quas, qui cōtempserint colere, per suum Pref-
byterum compellantur: festum scilicet Circuncisionis Domini, Epiph-
aniæ, sancti Vincentii, Purificationis sanctæ Mariæ, Mathiæ apostoli, An-
nunciationis beatæ Mariæ, duorum dierum octauarum Paschæ, sancti
Marci Euangelistæ, Philippi & Iacobi, Inventionis sanctæ Crucis, Ascen-
sionis Domini, feriæ secundæ octauarum Penthecostes, Ioannis Baptista,
Petri & Pauli, & sancte Mariæ Magdalena, Iacobi apostoli, & sancti Lau-
rentii, Assumptionis beatæ Mariæ, sancti Bartholomei, Nativitytatis virgi-
nis Mariæ, Matthæi apostoli, sancti Michaëlis, Lucæ Euangelistæ, Symo-
nis & Iudæ, Omnim apostorū, sancti Martini, sancti Andreæ, sancti Ni-
colai, sancti Thomæ, Nativitytatis domini, sancti Stephani, sancti Ioannis
apostoli. Et quælibet parochia obseruet festiuitatem illius sancti, in cu-
ijs honore constituta est maior eius ecclesia. Officia vero harum sol-
lennitatum, & omnium aliarum, siue sint nouem, siue trium lectionum,
prout haec tenus consuevit fieri a clericis, & in ecclesiis, & in portionibus
obseruentur: & ad audiendum officia laici nihilominus moneantur.

BERNARDVS IN SECUNDO CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CC-
LXXVII. quinto Nonas Maii.

Vigesimus tertius dies Septembri iubetur esse facer, & festus diuæ Teclæ
virgini & martyri: eoque a seruilibus operibus abstinentum.

CAET



AETERVM quæ ecclesia Tarragonensis, quæ caput &
mater existit totius prouincie Tarragonensis, sub inuoca-
tione, & titulo beatissimæ Teclæ virginis, & Martyris est
constructa, propter quod ad inuocationem & venerationem
cujusdem omnes, & singuli de prædicta prouincia specialiter astringun-
tur, constitutiones prædecessorum nostrorum super hoc editas innoua-
tes, volumus, ac vniuersis & singulis Suffraganeis nostris in virtute san-
ctæ obedientiæ firmiter dicimus & mandamus, quatenus obseruent con-
stitutiones editas in sacro concilio Tarraconensi, super obseruatione fe-
stiuitatis Beatæ Teclæ virginis supradictæ, videlicet ut festum Beatæ Te-
clæ virginis & Martyris, quæ nono Calend. Octobris festiuari intitula-
tur per suas ciuitates, & diececes in abstinentia cuiuslibet seruiliis ope-
ris faciant celebrari.

DE TESTIBVS. Tit. IIII.

ENNECVS ARCHIEPISCOPVS TARRA-
conensis in primo concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCXCI.

Nonis Aprilis.

A procuratore fiscalis testes inquisitionis recipi non debere, sed ab Officiali.



PRISIA, quæ recipi debet, antequam contra delatum of-
ferantur capitula, vel alijs molestetur, nisi timeatur de fuga,
vel fragrante criminè capiatur, no per Procuratores fiscales,
sed per Officialis, sub excommunicationis poena recipi præ-
cipimus: cum officium sit iudicis, & non partis.

DE FIDE INST RVM E N-
torum. Tit. V.

PETRVS SECUNDVS TARRACONENSIS
Archiepiscopus in concilio celebrato, anno Do-
mini. M. CCCLXIII, tertio

Calendas Martias.

A Notariis, qui obtinent scribanias ecclesiasticas non esse in tabellis quas scribunt
contractionibus, aut abbreviationibus dictionum, aut formularum vtendum:
veluti cum scribunt &c, aut aliquid simile, sed plene ac diserte, ut continent
literæ, ita scribendum,



ESIDIAE, quæ hactenus in Notariis seu tabellionibus ec-
clesiarum, ciuitatum, dieceesium, & prouincie Tarragonen-
sis inoleuit, necnon litigis & damnis, quæ interdum contra
hentibus ad inuicem inferuntur propter abbreviaturas, quas
Rectores, Vicarii perpetui, & alias personæ ecclesiasticæ, & seculares
prouinciez supradictæ habentes, seu tenentes, & regentes scribanias, seu
notarias

notarias ecclesiæ ponunt in instrumentis, quæ recipiunt ad instantiam contrahentium prædictorum per verbum &c, vel simile, occurrere cū pientes sacro approbante concilio statuimus, quod quicunque Rector, Vicarius perpetuus, seu quiœvis alia persona ecclesiastica, vel secularis, aut quicunque aliis notariis, seu scriptor habens, tenens, seu regens scribaniam seu notariam ecclesiæ, seu ecclesiasticæ personæ intra provinciam Tarragonensem, qui formam alicuius instrumenti recipiet, scribat, seu scribi faciat in suis capibreuiis, vel libris notularum, notam dicti instrumenti largo modo, & per continentiam literarum dictatam, sic quod in ipsa nota non sit aliqua abbreviatura, per verbum &c, vel simile, prout hactenus confituit fieri: quam quidem notam scribere, seu scribi facere teneatur infra duos menses, post firmas omnium contrahentium, & aliorum, qui ipsum instrumentum firmare habent, interpositas, computandos: ipsis tamen contrahentibus dictis notariis exoluentibus medietatem ipsius salarii, de, & pro ipso instrumento eis pertinentis. Si vero dictum instrumentum, aut contractus, super quo ipsum instrumentum recipietur, ad cognitionem sapientis, vel alterius personæ dictari habeat, eo casu, tempus dictorum duorum mensum, postquam ipsa cognitione interposita fuerit, incipiet currere, & non ante, & illud idem in testamentis volumus obseruari. Terminus tamen duorum mensum post publicationem testatorum, quæ per mortem testantium coram suis amicis solet fieri, vel post mortem testatoris in locis vbi dicta publicatio non est solita fieri coram amicis, ut præfertur, incipiat currere, & non ante. Et, si forsitan testator in vita sua requirat instrumentum suum in notulam, aut capibreuum notularum redigi seu scribi, illud notario infra duos menses à tempore ipsius requisitionis immediate sequentes, facere teneatur: ipso tamen testatore medietatem salarii ipsius testamenti eidem notario persolente. In locis tamen vbi iam ordinatum existit, quod notarii habeant testamenta in notas capibreuiorum redigere, seruetur id quod iam in ipsis locis extitit ordinatum. Et, si prædicta, aut prædictoru aliquod Rector, Vicarius, aut Notarius, scriptor aliquis habens, regens, seu tenens notariam, seu scribaniam ecclesiæ in ciuitate, dioecesi, & provincia prædictis, repertus fuerit non seruare, penam viginti solidorum pro quolibet instrumento, vel testamento, quod repertum fuerit, breuiter notatum, seu in quo dicta abbreviatura per verbum &c, vel simile facta fuerit, incurrire volumus ipso facto, in ornamenti, vel alias necessitates ecclesiæ, in cuius scribania hoc repertum fuerit, per ordinarium conuertendam. E nihilominus teneatur restituere omnia damna & interesse, quæ atque ipsius abbreviaturæ secuta fuerint, contrahentibus, vel alteri eorundem, quæ damna & interesse soluere teneantur, facta prius taxatione de ipsis damnis, & interesse per Archiepiscopum, Episcopum, vel Vicarium, aut Officiale, seu Rectorem, vel Vicarium prædictorum.

IDEM

IDEM PETRVS TARRACONENSIS AR-
chiepiscopus in concilio secundo celebrato, anno
Domini M. CCCLXVII.
Idibus Februarii.

Rectores, Vicarii, ac Notarii, quique Notariorum vices gerunt prohibentur extra fines Rectoriae, aut loci, cuius scribanias tenent, quancunque scripturam publicam exportare: idque si fecerint, excommunicationis pena puniuntur: qua nequeant liberari, nisi prius parochiæ, & iuris iniuriam, Archiepiscopi, aut Episcoporum, Vicariorum, aut Officialium arbitrio satisfecerint: & ius temeritatis penas dederint.

SA CRO approbante concilio statuimus, ut nullus Rector, seu Vicarius, seu quius alius Notarius, seu loci tenens Reatoris, Vicarii, seu Notarii cuiuscunq; ecclesiæ, loci, seu parochiæ nostræ dioecesis & provinciæ Tarragonensis, aut alia quæcunq; persona ecclesiastica, vel etiam secularis notulam, seu notulas aut protocollum, seu protocolla notularum ipsius ecclesiæ, loci, seu parochiæ instrumentum, seu instrumenta, aut quancunq; aliam scripturam publicam, quam idem Notarius, vel locum tenens Notarii tenere debeat extra fines aut terminos loci, seu parochiæ, aut notariæ ipsius extrahat, seu extrahi faciat quois modo absq; nostra, vel venerabilium fratrum nostrorum, aut Vicariorum, seu Officialium nostrorum, vel eorum, aut aliorum dominorū Prelatorum, dominorum, scribaniarum, speciali licentia, & permisso. Quicunque autem huiusmodi prohibitionis, seu statuti temerarius extiterit violator, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat: à qua absolvi nequeat, nisi prius ecclesiæ loci, seu parochiæ ipsi, ac passis inde iniuriam, siue damna satisficerit arbitrio nostro, vel dictorum Suffraganeorum nostrorum, aut Vicariorum, seu Officialium nostrorum, vel eorum, de transgressione huiusmodi nihilominus puniendus.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Domini temporales inuaderi prohibentur in scripturas, contractus, atque instrumenta, quæ per testes ecclesiistarum scribi ius est. Quod si fecerint, excommunicantur: monenturque excommunicatione liberari non posse, nisi prius satisficerint de dannis datis ad arbitrium Iudicis ecclesiastici. Quinetiam de dannis, si que ante hoc tempus illata sint, teneri commonentur.

V. I A nonnulli domini temporales, Baiuli, seu Officialles suis in locis, in quibus scribaniae sunt, & fuerunt hactenus ecclesiistarum, ab aliquibus citra temporum, postquam iurisdictionem dictorum locorum, ciuilem vel criminalem, idem domini temporales emerunt, iura ad dictas ecclesiasticas scribanias, vel Rectores ipsarum, vel alias personas ecclesiasticas ratione instrumentorum, & aliarum scripturarum pertinentia, in fraudem &

F detrim

detrimentum prædictorum Rectorum, & ecclesiarum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum usurpari permittunt, seu usurpare nituntur: faciendo in registris suis, vel suorum Officialium scribi inuentaria, contractus, & alia, de quibus erant per dictos Rectores, seu eorum Vicarios, seu alias personas ecclesiasticas instrumenta publica facienda: propter quod euidenter diminuti fuerunt, & diminuuntur redditus, prouentus, & emolumenta ad dictos Rectores, & ecclesias, ac ecclesiasticas personas alias pertinentes. talia deinceps sub excommunicationis anathemate, quam contrarium facientes ipso facto incurrāt, fieri prohibemus: à qua absoluī nequeant, donec de damnis, ecclesiis & Rectoribus eisdem ad arbitrium diocesanū, huiusmodi usurpantis Vicarii generalis, vel Officialis principalis ipsius, fuerit plenarie satisfactum. Sciantq; præfati domini temporales, Baiuli vel Officiales prædicti, se ad restitutionem dannorum per eos iam illatorum, eisdem ecclesiis, & Rectoribus teneri, si diuinam cupiunt euitare vltionem.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Notarii, qui facultate minime impetrata instrumenta acceperint in iis locis, in quibus scribania ad Prælatos, Ecclesias, ac Rectores pertinent, excommunicantur: actus ab iis recepti nullius esse roboris dentificantur. Notarii autem Archiepiscopi, Episcoporum, Capitulorum & Ecclesiarum Cathedralium à confuetudine recedendum non esse dicitur.

CV M nullus in alienam segetem ponere debeat falcem suam, approbatione huius sacri concilii, quoscunque notarios, vel scribas publicos, qui in locis, in quibus notaria, seu scribania ad Prælatos, Abbates, ecclesias, vel Rectores corundem, aut alias personas ecclesiasticas pertinent, instrumenta, vel documenta, ac testamento, vel quoscunq; alios contractus acceperint deinceps excommunicationis vinculo innodamus: nisi ea ficerint de expressa licentia, de qua apparuerit: eorundemq; instrumenta, & alia sic confecta careat roboris firmitate. Nostræ tamen intentionis existit, quod Notarii nostri Archiepiscopi, & venerabilium Suffraganeorum nostrorum, & Capitulorum ecclesiarum cathedralium in locis prædictis vrantur, prout habetens est fieri assuetum.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Contrahentes, qui Notarium induixerint, vt in alia parochia actus recipiat, quam in qua recipi nō fuerit, excommunicantur: ibenturque Rectori seu paſto iniuriam iatificare prius quam absoluantur.

QVIA frus & dolus nemini debent patrocinium impartiri, statuimus quod contrahentes alicuius parochia, seu Abbatū, seu aliarum personarum ecclesiasticarū, quibus competit publica confidere instrumenta, vel alios quoscunq; contractus, seu obligationes recipere, ad conficiendum instrumenta per Rectorem,

vel

vel alium quencunq; Notarium, vt in alia parochia prædicta instrumenta recipiat, ne inducant, excommunicationis sententiam, ipso factō, si sc̄us actū fuerit, incursum: à qua nullatenus absoluantur, nisi ecclesiæ, Rectori, aut damnum paſto, de salario quod erat eidem debitum, si instrumenta, vel contractus huiusmodi receperisset, fuerit plenarie satisfactum.

IDEM PETRVS IN EODEM.

Aestimatio mercedis Notariorum, quæ vulgo Taxa dicitur, ordinariorum relinquitur arbitrio.



ENIQVE quia in concilio per nos celebrato, anno à Na-
tiuitate Domini. M. CCCXIII. in constitutione quæ
incipit, DESIDIAE &c. fuerat ordinatum, quod Recto-
res & alii Notarii, ad quos pertinet, in protocollis, seu schedis
contractus scribere largo modo teneantur sine, &c: & quod eis instru-
mentorū salary taxentur, taxationē præfata remittimus ad ordinarios
in suis diocesibus per se vel Vicarios, vel Officiales suos debite facienda.

HIERONYMVS DE AVREA IN CON-
cilio Tarracone celebrato, anno Domini.

M. D. LV. Nonis Maii.

Cum neutra pars litigantium restituendis litis expensis damnata fuerit, tan-
tum ab ynaqua exigendum, quantum instruendæ liti expenderit, nec
eo quicquam amplius.

VM nil magis æquitati & rationi conueniat, quām in col-
litigantium controversiis negotium æqua libra pertractari,
& hactenus in aliquibus huius prouinciae curiis cōpertum
sit, inter litigantes per Notarios, & curiæ scribas abusiū salary
processuum equaliter exigiri, nulla habita consideratio-
ne expensarum, quæ pro qualibet parte fuerunt productæ, deductæ &
exhibitæ: ideo sacro approbante concilio statuimus de cætero id solum,
& à quocunque litigante ante sententiam, vel ea lata, & neutra parte in
expensis condemnata, exigendum esse, quod pro sua parte iudicialiter in
processu productum, deductum, ac exhibitum fuerit: & quod Notarii
& curiarum scribæ in quolibet intermedio debitum, ex dicto processu à
litigantibus exigere valeant,

DE IVREIVRANO.

Tit. VI.

RODERICVS ARCHIEPISCVS IN
primo concilio Tarracone celebrato, anno Domini.

M. CCXI. Idibus Martii.

De periuro confessus, aut certè cōuictus viginti morabatinis multatur: qui Or-
dinario ad dicuntur. Si soluendo non fuerit, in eum grauiter animaduertiri iu-
betur; nihilque hac cōstitutione derogatur pœnis contra periuros constitutis.

F 2 QVAN



V A N V I S pia sit consideratione statutum, quod non mereuntur ecclesias regere, qui sunt per iurii crimine irretiti: nec vivere debent de patrimonio C R V C I F I X I, quem sic irreuerenter, & enormiter contemperint: attendentes quod nonnulli, antiqui hostis inuidia procurante, in contumeliam redemptoris, & non modicum animarū suarum dispendium temere violent prestatā à se iuramenta, nos huic morbo damnabili, & pestifero, quantum possumus, competentibus remedii obuiare volentes, hac edita constitutione fancimus, vt si quis clericus famae suæ prodigus, & proprii perseguitor honoris, iuramenti religionem spreuerit, nulla cogente necessitate, sed libero arbitrio & voluntate, contra ius iurandum à se praestitum putauerit esse veniendum, & de hoc coram suo iudice sit confessus, vel legitima probatione conuictus, vel aliás de præmissis constiterit evidenter, poenam viginti morabat in orum ipso facto se nouerit incurrisse: eius ordinario, absque remissione aliqua, confiscandam. Dignum est enim, vt quos Dei timor à malo non reuocat, temporalis saltem coercent seueritas disciplinae. Quod si soluendo non fuerint, sic aliás reatus talium castigentur; quod poena ipsorum ceteris auferat audaciam similia præsumendi: saluis tamen omnibus aliis poenis canonicas contra tales editis, quibus per constitutionem præsentem non intendimus in aliquo derogari.

DE APPELLATIONIBVS.

Tit. VII.

SANCIUS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in quarto concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCLVII. Decimo-tertio Calendas Aprilis.

Triginta dies, qui ad prouocandum dantur, fluere ac labi incipere declaratur à die appellationis emissæ: & ab Archiepiscopo, aut Episcopis, aut horum Vicariis iudicibus præscribi certum diem debere appellanti, infra quem is apostolos recipiat.



N S V P E R. quia ab aliquibus citrā temporibus quidam inoleuit abusus per Iudices, & Officiales ecclesiasticos, à quibus in vocem appellationis prorumpitur introductus, quem diversorum doctorū, seu glosatorum opinio anteā præparauit, disceptantium an triginta dies, qui dantur iudicibus, à quibus vox appellationis, seu prouocationis emittitur, ad tradendum apostolos appellanti, currant à die latæ sententiae, vel illati grauaminis, cum extra iudicium prouocatur, & appellationis emissæ nonnullis afferentibus quod à die latæ sententiae, aliis quod à die appellationis emissæ debent currere: propter quod est in Iudicis optione: vtram maluerit prædictarum opinionum eligere, & certum iuris terminum præfigere appellanti, ex quibus appell

appellant laboribus, ac sumptibus fatigantur: cum plures habeant coram appellato seu prouocato Iudice comparere: quinimo interdum ius appellantium possit ex causis præmissis facile deperire: cum appellationes ex hoc reperiantur desertæ: affectates disceptionem prædictam de Tarraconensi prouincia radicitus extirpare, & sub tuto & certo ponere appellantes, ideo sacri approbatione concilii præsenti irrefragabili constitutione duximus ordinandum, quod dicti triginta dies currant à die appellationis emissæ: siue à sententia definitiua, siue interlocutoria; vel extra iudicium ab illato, vel inferendo grauamine appelletur. Adiuentes quod cum à nobis, & Suffraganeis nostris, vel quibusvis Iudicibus ecclesiasticis nostræ prouinciæ fuerit appellatum, nos & ipsi nostri Suffraganei, & nostri, & eorum Iudices certum diem dictorum triginta dierum, & certum Calendarium continentem teneamus, & teneantur præfigere appellanti ad recipiendum apostolos, & eadem die, & non vltérius appellans coram appellato habeat, seu prouocato Iudice comparere apostolos recepturus.

P E T R V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I E P I-
scopus in secundo concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCLVII.
Idibus Februarii.

Apostolos, siue literas dimissorias nimis prolixas esse non debere.



B V S V M qui in aliquibus locis Tarraconensis prouinciæ inoleuit, per quem fuerat introductū, quod ecclesiastici Iudices in appellationibus ab eis emissis nimis prolixos apostolos, seu literas dimissorias in grauamen & detrimentum appellantium concedebant penitus detestantes, talia de cætero fieri per Prælatos, Officiales, vel Iudices, ad quos præmissa concedere pertinet, sub obtestatione diuini Iudicii, & in virtute sanctæ obedientiæ fieri prohibemus.



LIBER TERTIVS.
DE VITA ET HON-
STATE CLERICI.
RVM. TIT. I.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdensi, anno Domini. M. C. XXIX.
quarto Calendas Aprilis.

Instruuntur vita, habitus, & mores clericorum.



CRAPVLA & ebrietate omnes clerici dili-
genter abstineant: officia, vel commercia secu-
laria non exerceant, maxime inhonesta. Iocula-
toribus, mimis, & histriionibus non intendant:
tabernas prorsus euitent, nisi forte necessitatis
causa in itinere constituti. Aleis, vel taxillis non
ludant: nec huiusmodi ludis intersint. Corona, &
tonsuram competentem habeant: clausa de-
super deferant indumenta, nimia breuitate, vel
longitudine non notanda. Pannis rubeis, vel sendatis, seu viridibus, seu
virgatis tunicis, vel supertunicis sic apertis vt ostendant latera, sed astri-
ctis, vt femoralia non demonstrent: nec manicis, nec sotularibus consu-
titis vel rostratis, aurifricis, pictis palliis, serico superornatis, fibulis, aut
corrigiis auri, vel argenti ornatum habentibus, cincturis sericeis, sellis
quoque deauratis, vel deargentatis, vel coloris varii, frenis, pectoralibus,
calcaribus deauratis, vel aliam superfluitatem gerentibus non vtantur.
Nullus in sacerdotio, vel personatu constitutus cappam manicatam ge-
rat, nisi iusti timoris causa exegerit habitum transformari. Ad diuinum
officium intra ecclesiam cappam manicatam nullus deferat: & infrà in
ecclesiis, ciuitatibus, villis, vel aldeis, clerici cultellos acutos, vel arma
portare non præsumat: nisi forte ad defensionem proprii corporis iusti
causa timoris. Si quis autem contra nostram hanc constitutionem veni-
re præsumat, & beneficiatus sit, suspendatur ab omnibus beneficiis: &
cum ad emendationem venerit, tanto tempore postmodum eorum per-
ceptione beneficiorū careat, quanto in sua contumacia permanere præ-
sumperit. Si vero beneficiatus nō fuerit, ab introitu ecclesiæ suspēdatur.

BEN

BENEDICTVS ARCHIEPISCOPVS TAR-
racon, in tertio concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCL XI. duodecimo
Calend. Nouembbris.

Prælati monentur curare, dum cibum capiunt, aliquid sacri vt legatur.

NE solū fauces sumant cibum, sed & aures audiant verbum
Dei, & cessent vaniloquia & tumultus, statuimus quod singuli
Episcopi in palatiis suis, dum comedūt, ad mensam faciant legi
sibi. Idem volumus, & statuimus de Abbatibus, Prioribus, &
Præpositis in suis conuentibus, dum in refectorio comedunt, obseruari.

ARNALDVVS ARCHIEPISCOPVS TARRA-
conensis in secundo concilio Tarracone celebrato,
anno Dom. M. CCCXXXVIII.
Calendis Aprilis.

Vestitus clericorum præscriptur, & quo in templo, & quo extra templum vtan-
tur præfigiturque comparandis vestibus pretium, vt luxus omnis absit.

VLLVS clericus vestes rubeas aut virides publicè deferat,
quouis abusu cōtrario non obstante. Nec aliquis clericus se-
ipsum, nec nos etiam Archiepiscopus, aut ali⁹ Prælati & per-
sonæ ecclesiasticæ socios nostros induamus de panno, cuius
commune pretium vltra vigintiquinq; libras: nec alios clericos vel Scu-
tiferos, & Officiales inferiores, vel scholares de panno, cuius commu-
ne pretium vltra duodecim libras: nec alios seruitores pedites de panno,
cuius cōmune pretium vltra octo libras monetæ Barcinonensis constet.
Nec aliquis clericus in sacris ordinibus cōstitutus portet pelles varias in
mantello. Canonici insuper, & clerici de Capitulo cathedralis, vel colle-
giatarum ecclesiæ, & alii in sacris ordinibus constituti manicas super-
tunicalium rotundas & largas habeat competenter, nec in circunferen-
tia manicarum vel gramiarum, & aliarum vestium portent circunfe-
rentias pellum additarum: nec portent sotulares albos, vel cum chorda
patenti: nec in galero forraturam alicuius coloris, de quo eas indui non
liceret, nec Canonici, nec alii clerici de Capitulo cathedralis ecclesiæ
portent in caputiis capparum de choro, quæ nigræ esse solent & debent,
forraturam nisi de variis grisilis, vel de pellibus nigris, vel de aliquo pan-
no nigro: nec easdem cappas faciant ita longas, quod vltra palmum tra-
hat per terram. Pretium verò dictarum capparum, quæ causa honestatis
fiunt & portantur, sic temperent, quod non posit in eis aliquis denotari
excessus. Alii vero clerici in caputiis dictarum capparū non portent aliquam
forraturam: nec eas ita longas, quod trahant per terram, sed suffi-
ciat quod cooperiat pedes suos. Nec aliquis clericus in sacris ordinibus
constitutus, induat se de nigro, seu de vestibus lugubribus per mortem
alicu

alicuius, nisi fuerit pater, vel mater, frater, aut soror, aut dominus: quas etiam ultra duos menses portare non possit. Sella vero cuiuscunq; clerici sit honesta, nec cum freno, & pectorali ultra tres libras constare possit. Quicunque in predicitis, seu aliquo predictorum excesserit, vestes seu sella in quibus excesserit, teneatur dare pauperibus infra mensem. Alioquin ad hoc per suum Episcopum compellatur: vestibus tamen, & sellis iam factis, quae alijs sunt honestae, quilibet ut possit.

IDEA R N A L D V S IN
eodem concilio.

Prælatorum mensis non nisi duo fercula apponi debere, quorum in uno duo sint genera carnium, in altero vnum, falsis exceptis: die ieiunii, tria.

STATVIMVS quod nos, vel aliquis Episcopus, seu Prælatus, aut quicunque alius clericus non donet in uno prandio, seu comedione nisi duo fercula: in quoru altero possint esse duo genera carnium, in altero de vna duntaxat: in quibus tamen carnes falsæ minime computentur. In diebus vero ieiunii possint dari tria fercula, & non ultra.

PETRVS SECUNDVS TARRACONENSIS
Archiepiscopus in tertio concilio celebrato, anno
Domini. M. CCCLXX. septimo
Idus Nouembri.

Clericis beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis lancea, scuro, balista interdictur, etiam tumultu & clamore excitato, qui exercitari confuerit contra vim inferentes, aut delinquentes: qui quoties in huiusmodi armis deprehensi fuerint, viginti solidis multandi.

VM usus armorum clericis sit prohibitus, & maximè qui gestum & habitum clericalem detur pat, propterea sacro approbante concilio statuimus, quod nullus beneficiatus, seu clericus in sacris ordinibus constitutus, a modò absque iusta & rationabili causa equitando, vel peditando portet lanceam, scutum, vel balistam cum sagittis: nec ad sonum de viafis, seu rixam, quæ aliquando in ciuitatibus, villis, seu castellis, seu locis fieri contingunt, exeant cum armaturis predicitis: cum nō sit licitum clericis aliquæ offendere, nec inter offendentes existere, nisi causa defensionis sui, vel rerum suarū. Qui vero contrarium fecerit, nisi ex iusta, vel rationabili causa, vt præteritur, & nisi de licentia sui superioris hoc fecerit, genam viginti solidorum incurrat pro qualibet vice, qua culpabilis inuentus fuerit in præmissis, applicandam suo Prælato.

PET.

PETRVS TERTIVS TARRACONENSIS

Archiepiscopus in concilio celebrato, anno Domini. M. CCCXIII. tertio Idus Martii.

Clericis beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis vestium vel retrò, vel ad latus scissarum vsu interdictur: multanturque amissione vestium, qui non paruerint.

A C R O R V M canonum imitantes statuta sacro concilio approbante statuimus, quod nullus canonicus, religiosus, vel secularis in quacunque dignitate, vel officio constitutus, aut clericus beneficiatus, vel in sacris ordinibus constitutus audeat portare vestes superiores retrò, aut in lateribus fissas. Contrarium vero facientes perdant vestes, fabricæ ecclesiæ, in quibus resederint, vel pauperum vībus ipso facto applicandas.

DALMATIVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in concilio celebrato, anno Domini. M.
CCCCXIII. quinto Idus
Decembris,

Ad superiores constitutiones, quibus vestitus, atque habitus clericorum reformatur, hac constitutione adiiciuntur, quæ post eas latas agnitus est ad honestatem clericorum, præter ea quæ illis vetita fuerant, eriam pertinere.

OMPOSI & variis ornatibus vestium ecclesiasticæ vilitate & honestati contrarii, quibus nonnulli clerici nostræ provinciæ magis ad faustum, & etiam ostentationem, quam necessitatis & utilitatis gratia, à paucis citrè temporibus assuefecunt, fatigentes se in his laicis conformare, obuiare quantum cum Deo possimus, cupientes, quanquæ circa hæc per bonæ memorie Domini Sabiniensis Episcopi, apostolicæ sedis Legati constitutionem incipientem A CRAPVLA, & aliam Domini Arnaldi Archiepiscopi prædecessoris nostri incipientē NVLLVS CLERICVS, ultimata per decretu Constantiense incipiens INTER CAETEROS PRAE-
LATORVM EXCESSVS, aliqualiter sit prouisum, tamen quia in forraturis & alijs subscriptis etiam inoleuit abusus, & nouis morbis noua sint antidota præparanda, vt dictorum clericorum mores, & actus in melius reformatur, sacro approbante concilio eisdem constitutionibus infrascriptis adiicimus, & hac nouella constitutione sancimus quod de cetero nulli Canonici, vel clerici regulares, vel secularis, in sacris constituti ordinibus, seu beneficiati nostræ provinciæ Tarracensis, cuiuscunq; præminentia, status, gradus, vel conditionis existat, vestes rubeas, vel virides, nec forraturas pellium de martis, defaginis, neque de vebres, aut vulpium in vestibus, neq; riuetos duplices in G collar.

collaribus, in fimbriis, nec in manicis, nec etiam vestes fissas retrò, nisi in itinere constituti: neque in lateribus quoquo modo, vel etiam ante vltra tres palmos: neq; etiam longas retrò vltra quatuor digitos ex transuerso, ne caudati more incedant muliebri, manicasq; cum forraturis duplicatas, neque etiam diploides siue, iubons, de serico, neque etiam in caputiis cucullas longas vltra duos palmos, nisi in itinere constituti: neque etiam cooperturas sellarum in equitaturis longas vltra vnum palmum prope, lo strep, deferre aliquatenus, seu portare presumant: sed se omnes honestos Deo, & hominibus exhibeant vita, moribus, & exemplis, ac in omni decentia habitus & incessus. Nam habitus clericorum ab habitu laicali penitus debet esse distinctus. Qui verò contrarium egerit, vestes illas ipso facto amittat, fabricæ ecclesiæ ciuitatis, villæ, vel loci, vbi transgressor huiusmodi statuti repertus fuerit, ipso iure irremissibiliter acquirendas. Adiicimus quod si deferens ab inde vestes rubeas, vel virides, aut forraturas pellium de martis, de faginis, de vebres, aut vulpium, vestesq; fissas retrò, nisi vt supra præmittitur, vel in lateribus diploidis de serico: & vestes, & diploides illas requisitus realiter, & de facto intra tres dies tradere fabricæ iam dictæ recusauerit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat. **Statuimus nihilominus diu approbatione concilii,** quod Episcopus, in cuius dioecesi proximè dictorum transgressor fuerit adiuentus, aut ipso extra locum agente, eius Vicarii, vel **Officiales** infra tres dies, postquam eis prædicta per summariam informationem, in qua non oporteat partem vocare, innotuerit, illum requirere faciat: & si requisitus parere noluerit, excommunicatum publicent, seu publicari faciant sine mora. Quod si in his Episcopus remissus fuerit, ab ingressu ecclesiæ, donec illum publicauerit, sentiat se suspensum: Vicarii autem & Officiales in his modo prædicto remissi, excommunicationis sententia sint ligati. Illi verò qui riuetos duplices in collaribus, in fimbriis, vel manicis, aut vestes ante fissas vltra tres palmos, vel longas retrò vltra quatuor digitos, manicasq; duplicatas, cum forraturis, aut cucullas in caputiis vltra duos palmos, siue cooperturas sellarum longas vltra vnum palmum portauerint, vt prætangitur, quæ omnia perdere debent iuxta presentis constitutionis tenorem ad illas tradendas per Episcopos, vel eorum Vicarios, seu Officiales æqualiter, & sine personarum acceptatione, seu exceptione per illa iuris remedias, quæ elegerint, omnimode compellantur. Constitutionem autem huiusmodi post quatuor menses à tempore publicationis in præsenti concilio facienda ligare volumus, & non ante.

P E T R V S D E F V X O, C A R D I N A L I S, S E D I S
apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato, anno
Dñi. M. C C C C X X I X. Nonis Nouemb.

Hac quoque constitutione ad superiores de habitu, & vestitu clericorum pleraque adiunguntur, quæ eodem pertinent: vt honestati clericalis ordinis consulatur.

D E C E T

DE CET vitæ ecclesiasticæ professores tantū præ cæteris honestate pollere, quantum à vulgari populo segregati, Dei sunt in sorte assumpti: vt in domo Domini familiaribus obsequiis insūtentes morum compositionis, & honestatis cæteris de se præbeant speculum & exemplum. Hinc est quod circa clericorum vitam moribus adornandam, & honestatem gestu, & actu, & habitu exhibendam, & ab indecentibus secularium rerum negotiis clericos sequestrando, tam à iure cōmuni, quam per constitutiones legatorum apostolicæ sedis, quāq; per prouinciales, & synodales plura fuerunt laudabiliter instituta, quorum multa præsumptuosa transgressorum audacia sauciauit. Vniuersos igitur ecclesiæ Prælatos propensiū exhortamus, vt circa prædicta per actuales executiones rigidas, & districtas, constitutiones & iura prædicta solerter studeant instaurare: & clericos beneficiatos, aut in sacris ordinibus constitutos à procurandis, & administrandis bonis vel negotiis laicarum personarum penitus arceant. Huic insuper addimus sanctioni, quod nullus in sacro ordine constitutus, aut religiosus, vel clericus, ecclesiasticum beneficium obtinens, cuiuscunque dignitatis, status, aut conditionis existat, publice vestiri audeat vestibus alterius panni, quam de lana, vel stameno: nec rubei, vel viridis coloris, & breuitate, ac longitudine nimia notandis: & vltra tres digitos vestium inferiorum longitudo non superet vestimentum superius, neq; forraturas deferat pellium de martis, de faginis, de vebres, de ludries, de squirols, aut vulpium: neque vestes fissas in lateribus vlo modo, neq; etiam retrò: præterquam in itinere, itinerandi causa constitutus: neq; diploides, aut collaria, neque manicas de panno serico. Et quod Prælatis, doctribus, & magistris, licentiatis, & nobilibus, & cathedralium ecclesiæ Canonicis, dignitatemq; vel personatum obtainentibus duntaxat exceptis, nullus audeat in vestibus, seu caputis forraram portare de vais albis, vel de grisis, vñi riuetorum quaruncunq; pellium in manicis, & collaribus ab omnibus, & singulis supradictis penitus reiecto. Qui verò contra aliquod superius expressorum præsumperit facere, vel venire, vestem, quam contra nostram prohibitionem huiusmodi ausu temerario publicè portare præsumperit, fabricæ vel ornamenti cathedralis, vel Collegiarum, aut parochialis ecclesiæ, vel monasterii, vbi talis fuerit transgressio attentata, erogare & tradere teneatur. Ad hæc insuper adiungimus quod si quisquam præsentis constitutionis transgressor fuerit, & ad sui Prælati mandatum vestem contra hanc constitutionem delatam, infra sex dies fabricæ vel ornamenti, vt prædictur, recusauerit erogare, per tres annos ipso iure, à beneficiis, quæ obtinet, sit suspensus. Et non beneficiatu ~~per~~ item tempus efficiatur inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtainendum: locorum ordinarios sub obtestatione diuini Iudicij commonentes, quatenus circa huiusmodi obseruantiam statuti sic se vigiles exhibeant & solentes,

G 2 ne in

ne in distrito Iudicio Dei, sanguis subditorū de Prælatorum negligentium manibus requiratur. Quod si negligentes extiterint in præmissis, ad valorem vestis propter eorum negligentiam nō traditæ ipsi fabricæ vel ornamentis, in foro conscientiae teneantur: aliis iuris communis, legatorum, & prouincialibus & synodalibus statutis circa ea, quæ præsens non complectitur cōstitutio, in suo robore permanentibus & valore. Per hoc tamen non intendimus præjudicare illis, qui super præmissis apostolicæ sedis priuilegiis, de quibus legitimè constare poterit, fuerint muniti.

P E T R V S D E C A R D O N A T A R R A C O -
nensis Archiepiscopus in concilio Barcinone celebrato,
anno Domini. M. D. X V I I . Pridie Calen-
das Iulii. Hic est constitutio-
nis, Statuimus.

Vestitus, atque habitus clericorum honestati parum congruens hac consti-
tutione tollitur.

RO HIBEMVS etiam ne clerici in sacris ordinibus cō-
stituti, neve beneficiati cuiuscunq; dignitatis, gradus, seu
conditionis existant, deferant camisia vulgo dictas, Ab lle-
tugueta, neq; fronsitas in pugno, nec in eis deferat aliquem
colorem præter album: nec manicas diploidum, nisi stri-
etas in pugno: neque caligas crocei, rubei, viridisq; colorum, seu albas:
neque braguetas ex aliquo serico vel panno, nec cum diuersis riuetis, seu
fissuris: neq; sayones scotatos, neq; manicas fractas, nec fotalares siue co-
turnos coloris à iure vel consuetudine prohibiti: neque fotalares aper-
tos, siue scotatos, nec cum scissuris. Nec vestes superiores coloris à iure
vel consuetudine prohibiti, nec nimia longitudine, vel breuitate nota-
das, sed talares ante & retrò clausas: neque botonus ex auro, siue argento
vel smalto. Prohibemus etiam quod exceptis Canonici cathedraliū ec-
clesiarū, & dignitates obtinentibus, nobilibus, & doctoribus, nullus cle-
ricus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficiatus deferat sericum
cuiuscunq; qualitatis: neque vestes superiores de camelloto, neq; Xias
de tafatano. Contrarium verò facientes, vt suprà. Per hoc autem non
intendimus derogare constitutionibus prouincialibus, vel legatorum
super his editis, præmissis non contrariis: sed eas esse volumus in suo ro-
bore permanuras.

IDE M PETRVS DE CAR-
dona in eodem.

Clericis in sacris ordinibus constitutis, vel beneficiatis balistam vel sclope-
tam ferentibus multa decem ducatorum infligi tur: lanceam autem, aut
alia arma offensiva præter ensim gestantibus, quinque ducatorum: reli-
quæ pœna arbitrio ordinariorum relinquuntur.

APPRO

APPROBANDO constitutiones prouinciales mandantes clericis ne arma deferant, Statuimus quod quicunq; clericus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficiatus repertus fue-
rit cum balista, vel sclopeta, puniatur pœna decem ducato-
rum: si autem cum ense, gladio, siue punyal, seu daga, pœna duorum du-
catorum. Si verò cum lancea, vel aliis armis offensiuis, præter ensim &
gladium, puniatur pœna quinq; ducatorum, & aliis pœnis arbitrio suo-
rum superiorum ordinariorum: super quibus eorum conscientias one-
ramus. Et nihilominus arma amittat, nifli licentiam habuerit à suis ordi-
nariis: quam ex iusta causa possunt concedere. Hortamur tamen eos vt
cautè in dando dictam licentiam se habeant: permittimus tamen clericis
itinerantibus deferre ensim.

DE COHABITATIONE CLE-
ricorum & Mulierum.
Tit. II.

IOANNES SABINENSIS EPISCOPVS IN
concilio Ilerdensi, anno Domini. M. CXXIX.
Quarto Calendas Aprilis:

Episcopi in primis synodis monentur publicè denunciare omnes sacerdotes, Dia-
conos, Subdiaconos, beneficiatos, qui vel domi suæ, vel in aliena concubinas
habuerint, sacerdotali munere suspensos: ipsas autem excommunicationi ob-
noxias ac, si mori cōtigerit, sepultura ecclesiastica carituras. Si quis hac de causa
suspensus, munus sacerdotale tamen obierit, non beneficii solùm spoliari iu-
betur, sed etiam perpetuò deponi. Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris,
in concubinarios vt inquirant, & re comperta, denuncient suspensos, & ad Epi-
scopos deferant, negotium datur.

A D extirpandam clericorum incontinentiam statuimus, vt
quilibet Episcopus in prima synodo, quam ipsum celebrare
contigerit, suspensos denunciet omnes sacerdotes, Diaconos,
Subdiaconos, & omnes beneficiatos, qui ex tunc in suis, vel
alienis domibus detinere præsumperint publicè cōcubinas: & illas, quæ
de cetero talium fuerint concubinæ, denuncient excommunicationi sub-
iectas, & sepeliendas, si deceperint, a finorum sepultura. Et has sententias
Episcopi, & alii sacerdotes in publicis prædicationibus denuncient. Si
quis verò hac de causa suspensus, præsumperit celebrare diuina, non so-
lùm ecclesiasticis beneficiis spoliatur, verumetiam pro hac dupli-
ca perpetuò deponatur. Et vt statutū hoc melius executioni mandetur,
præcipimus vt Decani ecclesiarū in suis Capitulis, Archidiaconi, & Ar-
chipresbyteri, vbi fuerint, in suis officiis, diligenter inquiringant, si quos in-
uenerint post dictam denunciationem in prædicta synodo factam, in-
continentiæ vitio laborantes: & eosdem statim ab officio, & beneficio no-
minatim suspensos denuncient: & eorum incontinentiam Episcopo si-

G 3 gnific

gnificant: & Episcopus percepta veritate, à beneficiis ipsos perpetuò spoliare non omittat: sicut actum est in concilio generali.

Archiepisco Tarragonensi, & eius Suffraganeis permittitur, vt eos qui superiore constitutione Cardinalis Sabinensis censuris irrestiti fuerant, queant absoluere. Conceditur etiam vt cum iis dispensent, qui vel juris ignoratione, vel obliuione concubinatus tempore sacros ordines, vel acceperint, vel ministrarent. Qui nequibunt ignorantem excusare, absit modò contemptus, iubentur biennio sacris ordinibus suspendi, & pœnitentia salutari expiari: quia peracta cum eis vt dispensetur, permittitur. Archiepiscopus cum Episcopis, qui in has irregularitatis sententias incurrerint, dispensare monetur.

N N O C E N T I V S Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Tarragonensi, & Suffraganeis eiusdem salutem, & apostolicam benedictionem. Ex parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum, vt, cum nonnulli clerici vestrarum ciuitatum, & dicēsium pro manifesta cōcubinarum cohabitatione, quidam vero pro detentione illicita plurium dignitatū, vel beneficiorum curam habentium animarum annexam, contra inhibitionem bonae memoriae Sabinensis Episcopi in Hispaniæ partibus apostolicæ sedis Legati, suspensionis & excommunicationis sententias incurrerent, & tam illorum, quam istorum aliqui sacros suscepserunt ordines, & diuina celebrarunt officia, sic ligati: saluti eorum consulere cum difficile sit, eis pro absolutionis obtinendo beneficio ad sedem apostolicā personaliter laborare, fraterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, facientes personis vestris specialem gratiam, fraternitati vestre præsentium auctoritate cōcedimus, vt tam prædictos clericos, quam alios etiā qui deinceps sententias easdem incurrerint, absoluere valeatis iuxta formam ecclesiæ vice nostra: prouiso quod concubinarii, concubinis à se procūl abiecti, sufficientem cautionem exhibeant, quod illas vel alias non resumant, & contra huiusmodi detentores procedatis, prout de iure fuerit procedendū. Dispensandi præterea cum illis qui facti immemores, vel iuris ignari, sacros suscepserunt ordines, vel ministrarunt in ipsis, aut suscipient, vel ministrabunt in posterum, post iniunctam eis pœnitentiam competentem, prout eorum saluti expedire videritis, tribuimus vobis liberam facultatem. Si qui verò scienter talia, non tamen in contemptum clauium præsumperunt, vel præsumpserint in futurum, eos per biennium ab executione ordinū suspendatis, iniuncta eis pœnitentia salutari. Qua peracta, si fuerint bonae conuersationis & vitae, liceat vobis dispensare cum eis, sicut videritis expedire. Adhac si aliquis Suffraganorum tuorum, frater Archiepiscopi, sententias irregularitatis in hunc modi incurrerit, cura, ipsi beneficio eiusdem absolutonis impenso iuxta formam ecclesiæ, & sicut tibi videbitur, auctoritate nostra dispensare. Datum Lugduni X III. Calendas Septembri. Pontificatus nostri anno tertio. M. CCXLVII.

AEG

AEGIDIUS CARDINALIS LEGATVS.

Prælati Hispaniæ committitur pœna concubinarii à Cardinali Sabinensi infictæ in aliam commutatio.



ENERABILIBVS in Christo patribus Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Prælati ecclesiarū per Hispaniam constitutis, Aegidius diuina prouidentia sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus Cardinalis salutē in vero salutari. Ad regimen animarum, & curam sedes apostolica per sedem summi Pontificis instituta, pericula, per quæ commissæ sibi animæ cadunt grauiter in commissa, cura debet sollicita remouere, salubrem animabus ipsis adiiciendo medelam. Sanè cum recolendæ memorie venerabilis in Christo pater Dominus Ioānes Sabinensis Episcopus in partibus Hispaniæ legationis officio fungeretur pro reformādis moribus, & præcipue clericorum, qui pro vita munditia, & conuersatione laudabilem formā in moribus dare debent cæteris pura conscientia, fecit & statuit omnes sacerdotes Diaconos, & Subdiaconos, & omnes beneficiatos qui in domibus suis, vel alienis detinere publicè præsumerent cōcubinas, denunciari suspensos, & concubinas talium excommunicationis sententiae subiacere. Verū quia sæpe quod prouidetur ad bonū, antiqui hostis procurante inuidia, tendit ad noxam, prædictæ sententiae, quæ pro animarum procuranda salute fuerant promulgatae, tamen propter irregularitates, quas clerici sententiis eisdem ligati multotiens contrahebant, cum propter contagiosæ pœnae contagium, qua excommunicati per excommunicationem sibi cōmunicantes inficiunt excommunicationis labē, animabus ipsis laqueos æternæ mortis parabāt: & quam plurimi sæpissimè vnius laqueo ligabātur. Huic autem morbo Dominus Papa salutiferam intendens adhibere medelam, nobis viua voce mandauit, vt contra morbum eundem tam pestiferū, tam damnosum, in clerum Hispaniæ infamiam inducentem, conueniens adhibereremedium curaremus: vt animarum vñaretur periculum, & nihilominus delinquentes canonicam non effugerent vltionem. Nos igitur cum Prælati & aliis viris Hispaniæ discretis apud sedem apostolicam constitutis, super his deliberatione præhabita, & diuide commutatione pœnae prædictæ tractatu habito, cum eisdem prospeximus, quod cum per varietatem personarum, & etiam regionum pœnae sint proinde variæ, ne ad instar imperiti medici omnium curare oculos uno collyrio videremur, vobis qui conditionem personarum, & locorum vestre prouinciae melius scire potestis, eadem auctoritate cōmittimus districte præcipiendo mādantes, quatenus habentes præ oculis solum Deum, cui de animabus vobis commissis reddituri estis in die Iudiciorum rationem, pœnas clericis & concubinis prædictis per sententias memoratas impositas, in pœnas alias, quas personarum, locorum, & temporum circumstantiis prouida circumspectione pensatis, earundem animarum

rum

rum saluti magis expedire videritis, commutetis: eis Legati sententias auctoritate apostolica postmodum relaxantes. Singuli autem vestrum nihilominus circa suos subditos, qui ex dictis sententiis in excommunicationis vel irregularitatis laqueos haec tenus inciderunt, per absolutionis & definitionis gratiam, prout merita personarum exegerint, eadem auctoritate, discretione praevia, prouidere curetis: prouiso ut quod pro correctione morum duxeritis ordinandum, ad iniquum compendium nullatenus conuertatis. Datum Genuæ Calendis Iunii. Pontificatus Domini Innocentii Papæ quartiano octauo. Domini. M. CCL.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesie Tarragonensis in primo concilio
Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCXIX.Cal.Martii.

Prælati in concubinarios publicos, & Restores in suis ecclesiis non residentes in visitationibus annuis iubentur procedere.

VONIAM, teste Scriptura, mundos, & sedulos esse conuenit, qui domini vasa ferunt, ideo sacro approbante concilio ordinamus, vt contra clericos concubinarios, praesertim publicos, eorumque concubinas: & Rectores ecclesiarum in suis non residentes ecclesiis, Episcopi in visitationibus, quas semel in anno fieri præcipimus, seu aliâs, sic procedant iuxta canonica, seu synodalia statuta, ne peccatum eorum proprium facere videantur.

ARNALDVS ARCHIEPISCVPS TARRA-
conensis in primo concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCCXXXVI. C. fuit in præ-
senti. §. Et Clericos: est infra, de cele-
bratione Missarum.

Concubinarios, qui ad vomitum redierint, hæc constitutio iubet relegari quopiam, non pecunia multatari.

PER clericos concubinarios publicos beneficiatos, vel in sacris ordinibus constitutos, qui post primam & secundam correctionem reperti fuerint dicto vitio laborare, ad peragendam pœnitentiam ad tempus, prout eis videbitur expedire, in aliquem locum detrudant, pecuniâ ab eis in casu præmisso nullatenus recepturi.

PETRVS SECUNDVS TARRACONENSIS
Archiepiscopus in tertio concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCLXX. se-
ptimo Idus Nouembbris.

Vetantur Episcopi in concubinatu manifesto bis deprehensos pecuniarie puniri: sed vel corporis pena, vel priuatione beneficiorum, vel certe eorundem, aut ordinum suspensione à peccato deterrere. Suspensionis fructus beneficiis applic

applicantur. Conferri beneficium concubinario vetatur: eisque facta collatio ipso iure nulla declaratur. Concubinarius si Prælatus, vel Canonicus fuerit, ad negotia Capituli, generales curias, & concilia admitti, aut vllum Episcopi, aut Prælati honorem gerere prohibetur.

VANVIS ad decorum domus Dei circa vitam, honestatem, & continentiam clericorum in Dei conspectu diuina ministratium sacramenta per sanctiones canonicas, & provinciales constitutiones aliâs sit prouisum, quia tam nonnulli punitiones pecuniarias ipsarum non formidantes, correctiones ipsorum criminum deducunt penitus in contemptum, nosq; debitum nostri officii exoluere cupientes, sacro approbante cōcilio statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, ne aliquis Episcopus per se, vel aliū clericos concubinarios beneficiatōs, vel in sacris ordinibus constitutos, qui in domo propria, vel aliena teneant publicè concubinā, quorum concubinatus non possit per aliquam tergiversationem celari, ex quo bis eos, vel eorum alterum in concubinatu inuenerit, & puniuerit, ne possit in pecunia, vel bonis aliquo modo punire: sed tales concubinarios, & eorum quemlibet teneantur in persona, seu eorum beneficiorum priuatione, seu ad tempus suspensione, aut ab eorum ordinū executione punire: eius conscientiam onerantes. Prout tamen, quod fructus beneficiorum aduenientes durante tempore suspensionis, si forte fieri cōtingat occasione prædicta, conuertantur in utilitatem ipsorum beneficiorum. Cæterum cum ex ingenio calliditatis humanae naturæ proteruitas criminum proteletur, conuenit super hoc de speciali remedio prouidere. Idcirco eodem approbante concilio prouidemus, ne de cætero alicui clericu in crimen concubinatus publicè, vt prædictur, constituto, cuiuscunque status, seu conditionis existat, beneficium ecclesiasticum quocunque nomine censeatur, conferri possit vlo modo. Et, si collatum fuerit, collatio huismodi sit nulla ipso iure. Et si talis clericus concubinarius Prælatus, seu canonicus ecclesie cathedralis, vel collegiatæ fuerit, ad communes tractatus Capituli, vel ad curias generales, vel concilia minime admittatur: nec possit tenere officium aliquod honoris alicuius Episcopi, seu Prælati.

PETRVS DE LVNA SEDIS APOSTOLICAE
Legatus in concilio Gerundæ celebrato, VIII. Calendas
Nouemb. Pontificatus Clementis septimi,
Anno Duodecimo.

Concubinarii quandiu in concubinatu vixerint, & duos menses postquam à concubinatu se abstinerint, inhabiles iubentur esse ad quodus beneficium obtinendum, & ordines recipiendos, & exequēdos: donec fuerit sufficenter cum iis dispensatum. Tunc facta iis collatio ipso iure nulla declaratur: iubenturque collatores in collationis literis clausulam addere, se nullā velle eam collationem, si is cui fiet, concubinarius sit, aut nondum elapsis duobus mensibus fue-

H rit. Sta

rit. Statuitur etiam, vt qui post duos menses à denunciatione facienda à concubinatu non se abstinerint, tertia parte fructuum beneficiorum priuentur. Quod si duos alteros menses ultra superiores duos in luto hæserint, altera parte: si alios duos ultra quatuor, reliqua fructuū parte. Si priuati partem aliquam fructuū attigerint, à Prælatis restituere cogantur. Si ultra sex superiores menses in eodem hæserint luto, alios continuos quatuor, beneficiis, donec ad bonā frugem redierint, iubentur priuari, denunciarique inhabiles ad duos menses vt quævis beneficia obtineant, aut sacros ordines recipient. Qui priuati, à fructibus manus non abstinerint, ita excommunicantur, vt absolvi nequeant, nisi restitutis quæ rapuerint. Fructuum, quibus priuati fuerint, partes duæ eorum addicuntur beneficiis: exequenti hanc constitutionem tertia. Qui tempore orbitus, aut nondum lapsis duobus mensibus ex quo se remouerint à concubinatu, vita sancti fuerint, iure testandi priuantur: bonis confiscatis, & partim fabricis ecclesiæ, partim ordinario, partim redemptioni captiuorum applicatis. Ipsi, & cōcubinæ sine sepultura ecclesiastica abiici iubentur, qui sepelierint excommunicantur: locus autem interdictus quoad cadavera amota. Hoc autem ita statuitur, vt sine fraude cuiusquā fiat, ad quem bona decedentis pertineant. Episcopis etiam præcipitur, vt diligentiam adhibeant in pœnis tum exigendis, tum colligendis per viros duos ad id destinatos: restesque synodales legant, qui quæ repererint, quorannis in synodis Episcopis denuncient, aut eorū vicariis, ne ignorationem queant excusare.

P E C C O S V S forma præ filius hominum, & plenus gratia, fons virtutum, gloriosus sponsus virtutum, gloriosus sponsus ecclesiæ I E S V S C H R I S T V S inter alia sanctitatis insignia, quibus sponsam suam inclytam insigniuit, gloriosam constituit castitatem: vt in illa, sine qua nullum bonum opus extitit, sponsæ ipsius, & ministri eius eidem sponso virginis, nato de virginie, vita puritate fulgentes, deuotione supplici deseruerint. Sed nonnulli clericorum, & religiosorum famæ suæ, & latutis immemores, cum concubinis publicè vitam ducunt enormiter dissolutam. Super quo bona memoria Ioannes Episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalis, in partibus Hispaniæ apostolicæ sedis Legatus, cupiens salubriter prouidere, quandam constitutionem prouide edidit, quæ antiqui hostis procurante versutia, vsquequaq; non extitit obseruata. Propter quod nos aduersus huiusmodivitium prouidere de salubribi remedio cupientes, prouiderimus omnes & singulos presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, & clericos beneficiatos, ac etiam religiosos cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, & conditionis, atque ordinis existant, eosq; monemus ne concubinas in domo propria, aut aliena publicè audeant detinere. Contrarium facientes sint inhabiles, dum sic, vt præmirtitur, tenuerint publicè concubinas, & per duos menses sequentes, postquam etiam easdem dimiserint realiter & cum effectu, ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum: etiam si beneficium patrimoniale existat, vel Capellania fuerit temporalis. Sit etiam eis per idem tempus ad recipiendum sacros ordines aditus interdictus, vt sic ab executione ordinum infra idem tempus receptorū suspensi mancant, donec cum eisdem fuerit dispensatio.

dispensatum sufficienter: & collatio beneficiorum eis facta infra ipsum tempus vacua, irrita sit, & nulla ipso iure: si ipsas concubinas tempore receptionis dictorum ordinum, aut collationis beneficii, seu beneficiorum eis factæ, vel infra terminum duorum mensium antè publicè tenuerint, vt præfertur. Et vt de prædictis certius constet, & nullum dubium in posterum oriatur, volumus quod beneficiorum collatores in literis per eos concedendis super collationibus huiusmodi beneficiorū, apponi faciant clausulam sequentem, Nostræ tamē intentionis existit, quod si tempore collationis per nos de huiusmodi beneficio tibi factæ, aut à duobus mensibus proximè lapsis citrè, publicus concubinarius fueris, præsens nostra collatio nullius sit roboris vel momenti: adiicientes etiā, & insuper statuentes, prout Ioannes Episcopus Sabinensis præfatus statuit, quod quicunque clerici, & religiosi, qui post duos menses à publicatione constitutions, & monitionis in ecclesia cathedrali cuiusq; diœcesis facienda numerandos, concubinam, seu concubinas modo prædicto retinuerint, vel dimissam, seu dimissas, aut alias, seu alias admiserint, si beneficiati existunt, tertiam partem fructuum omnium beneficiorum, quæ pro illo tempore obtineat, sint priuati ipso facto. Si vero per alios duos menses prædictos, duos immediate sequentes in eodem crimen continuauerint vitam fecadam, alia tertia parte: & si forsan Dei timore contempto, per alios duos menses prædictos, quatuor immediate sequentes in peccato remanserint memorato, reliqua tertia parte dictorum beneficiorum fructuum omnino priuati existant: præcipientes eisdem, quod ad aliquam partem fructuum prædictorum, postquam ipsa, vel ipsi, vt prædictitur, priuati existent, manus temerarias aliqualiter non extendant. Et, si forsan contrarium attentauerint, sub obtestatione extremi Iudicij Prælatis eorū, siue sint diœcesani, siue alii, districte præcipimus, quod ad restituendū quicquid de prædictis tertiiis fructuum, seu ipsarum aliqua parte, postquam modo prædicto priuati existent, occupauerint, seu detinuerint, vel consumferint, per censuram ecclesiasticā, & alia iuris remedia ipsos compellere non omittant. Quod si forte prædicti clerici, vel religiosi concubinarii adhuc ad cor non redierint, sed nostrum contemnentes mandatum se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores, Prælatis suis prædictis, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo districte præcipimus, & mandamus, quatenus, si infra quatuor menses post supradictos sex menses continuè numerandos transgressores prædicti cōcubinas præfatas omnino non dimiserint eisdem, vel alias ulteriū admiserint, eos priuent beneficiis suis, in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint: & postea per duos menses inhabiles esse denuntient ad quæcumque beneficia ecclesiastica obtinenda: eisq; decernat per idem tempus ad suscipiendum sacros ordines adiutum interdictum. Volumus, inquam, quod si quis de prædictis, postquam

beneficio, seu beneficiis priuatus fuerit modo prædicto, manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorū fructus, seu ad aliquam earum partem, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto: à qua non possit absolui, nisi de sic occupatis restitutionem integrā, & beneficii, seu beneficiorum, quibus priuatus fuerit, vt prædictitur, dimissionē plenariam prius fecerit. De fructibus verò beneficiorum, quibus concubinarii huiusmodi priuati decernuntur, vt præmittitur, dimissione plenaria duæ partes assignentur pro seruitio beneficii, vel ecclesiæ, cui concubinarius ipse deseruiebat, faciendo. Tertia verò pars ordinario diœcesis, vel alteri ipsius concubinarii Prælato huiusmodi nostram constitutionem exequenti: aliás pro dicto seruitio remaneat applicata. Et vt tanto maior in eisdem concubinariis exerceatur pena, quanto grauior in ipsis fuerit culpa reperta, præfatæ ordinationi adiucimus statuentes, quod præfati Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & clerici beneficiati, ac religiosi, qui tempore sui obitus, vel infra duos menses tunc immediate lapsos in criminе concubinatus huiusmodi reperti fuerint publicè permanisse, sint intestabiles: & bona ipsorum tam mobilia quam immobilia locis, & personis ac negotiis infrascriptis remaneant confiscata. Et nihilominus tam ipsis concubinarii, quam eorum cōcubinæ ecclesiastica careant sepulta: nisi per duos menses ante sui obitum, fraude cessante, ad inuicem fuerint separati. Qui verò ipsorum aliquem in cimiterio sepelire, aut eorum sepulturæ interesse præsumperint, excommunicationis sententiam incurvant ipso facto: & cimiterium vbi hoc factum fuerit, seu præsumptū, interdictum remaneat, donec corpora concubinorum, seu concubinarum huiusmodi sic sepulta ab inde proiecta fuerint in signum damnationis eorum. Bona verò dictorum concubinorum, sic decedentium, tam mobilia, quam immobilia in tres partes diuidantur: quarū vna pars fabricis ecclesiarum, vbi beneficiati fuerint, reliqua ipsius concubinarii Prælato, siue diœcesano, seu alteri huiusmodi nostram constitutionem, quoad hoc, exequenti: tertia verò pars redemptioni captiuorum remaneat, & sit applicata. Quam tertiam partem redemptioni captiuorum deputatam Prælatus diœcesis concubinarii ipsius, per fratres de Mercede, vel de Trinitate ordinū, quos ad hoc magis promptos, & utiles nouerit, exigi faciat, & leuari: & per ipsos in dicta redemptionsē captiuorum fideliter dispensari. De quibus, diœcesanis ipsis, de his, quæ in eorum diœcesis prædicta de causa receperint, teneantur reddere computū, seu rationem: in quo si culpabiles reperti fuerint, vel remissi, per diœcesanos ipsos subtrahatur eis portio, quam illi de similibus petere, seu leuare debuerint. Per hanc autem ordinationē ecclesiis, vel personis, aut locis quibus ius aliquod in dictis bonis concubinorum decedentium pertinet, præiudicare non intendimus: neque volumus quoquo modo. Dictis autem Prælatis districte præcipiendo mandamus, quatenus in exigendis pœnis præ-

nis prædictis diligentiam adhibeāt, & per duos viros idoneos per eos infra limites diœcesium, seu iurisdictionum suarum deputandos recolligi faciant describendas iuxta formam superius ordinatam. Volumus insuper & mandamus, quod Prælati in ciuitatibus, & dicecessibus suis, testes deputent synodales, qui per eorum diœceses veritatem perquirāt super omnibus supradictis: & ea quæ repererint, quam citissimè potuerint suis Prælatis in synodis, quas annuatim propterea celebrari iubemus, vel ipsis in remotis agentibus, eorum vicariis semel anno quolibet teneātur nunciare: ne idem Prælati excusationē prætendere, seu ignorantiam aliquam valeant allegare.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in concilio celebrato, anno Domini. M.

CCCCXIII. tertio Idus Martii.

Declaratur constitutionem, cuius initium est, QVANVIS AD DECOREM, ad quoscunque Prælatos etiam inferiores pertinere: pecuniariè nimisrum bis in concubinatu deprehensos punire non posse. Si punierint, restituere quod acceperint debere. Cætera autem eiusdem constitutionis in suo vix ore permanere. Inferiores Prælatos, qui contrarium fecerint excommunicari.

 ONSTITUTIONEM per bonę memorię dominum Petrum prædecessorem nostrū editam super modo correctionis concubinariū incipientem, QVANVIS AD DECOREM, quia nonnulli causam editionis eiusdē non quarentes, Episcopos suffraganeos nostros duntaxat, & non alios Prælatos & eorum inferiores, & officiales principales, & quoscunque alios inferiores comprehendunt, præsentū irrefragabili statuto approbante sacro concilio ad eos omnes duximus extendendam: præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ de cætero debere illā ab omnibus obseruari. Si qui verò ex prædictis contra formā dicti statuti concubinarios ultra secundam vicem duxerit pecuniariè puniendos, punitionis illius debitores effecti, ad restitutionem tanquam de re penitū aliena se nouerint obligatos: aliis etiam pœnis super his appositis in suo robore permanuris, & duraturis. Adiucimus etiam quod Vicarii, & Officiales, Procuratores & alii inferiores Episcopis scienter contrarium facientes excommunicationis sententiam ipso facto incurvant.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, SEDIS apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato, anno Domini. M. CCCCXXIX.

Nonis Nouembri.

Prælati, religiosi secularis, vel regularis vitæ, vel etiam ordinis militaris monentur in extirpanda incontinentiæ macula euigilare: in concubinatu deprehensos officio, & beneficio suspenso, & ad quodcumque obtinendum inhabiles denunciare: eosque restituere vetantur, nisi se à concubina per duos men-

H 3 ses

ses saltem segregauerint: penitentiāmque egerint per Superiorē indicendam. In idem vitium relapsos similiter punitos restituere prius veratur, quām quatuor mensium ī patio continenter vixerint, penitentiāmque egērint lūperioris arbitratu decernendam: tertio relapsos beneficiis omnibus priuare, & carceribus affligere. Ordinarius, aut Officialis, qui exequi hāc neglexerit, à superiori iubetur multari, prohibeturque à concubinariis manus accipere: si acceperit, non modō id restituere, sed etiam duplum poenae nomine in pios vſus erogare. Superioribus constitutionibus, excommunicatione excepta, suū robur seruatur.

AD extirpandam incontinentiā maculam, quā inter cætera vitia diuinam prouocat maiestatem, & ecclesiastici status honorem deducit in vilipendium & contemptū, plura tam à sacris canonibus quām à constitutionibus Legatorum apostolicæ sedis, prouincialiumq; & synodalium medicaminum sunt præparata fomenta. Attamē, proh dolor, penitū eliminari nequivuit: propter quod est iugiter insistendum, ne multiplicata inualefacat, & C H R I S T I militiam valeat deuastare. Hinc cogimur vetera pariter & noua cōmemorare remedia: & sollicita meditatione pensare, quomodo pestem hāc exterminate radicitūs valeamus. His omnibus sedula cogitatione digestis, tandem duximus, vt sequitur, prouidendū. Vniuersos & singulos Archi-episcopos, Episcopos, Abbates, Magistros, Ministros, & alios ordinarios cuiuscunque status, ordinis, vel conditionis existant, siue secularis vitæ, siue regularis: vel etiam ordinis militaris, eorumq; Vicarios, & Officiales Testes synodales, Procuratores fiscales sub obtestatione diuini Iudicii strictissimè commonemus, vt circa extirpandum à clero, ecclesiasticisq; personis incontinentiā vitium, prout inferiūs continentur, sollicitè ac vigilanter intendat, quatenus omni libidinis fœditate repulsa puritas fulgeat pulcherrimæ honestatis: quodq; si quisquam clericus, ecclesiasticae persona reperta fuerit in concubinatu notorio permanere, ab officio, & beneficio denuntietur suspensus, & inhabilis ad obtinendum beneficium ecclesiasticum, gradus, vel honoris ascensum: & pro tali in ecclesia, in qua est beneficiatus, & in ecclesia sub qua degit, necnon in cathedrali ecclesia publicetur: nec ad ea, à quibus sic suspensus & inhabilis fuerit nuntiatus, vñquam restituatur, quo usq; abiecta & separata à se penitūs concubina, saltem per duos menses in castitate permanferit, & penitentiam egerit sui corporis superioris arbitrio indicendā. Et, si postea repertus fuerit eandem admittere, vel aliam concubinam, & notoriè in concubinatus crimen relabatur, iterum pro suspenso, & inhabili consimiliter publicetur: nec tunc restitui valeat à quocunque, nisi abiecta penitūs concubina, saltem per quatuor menses vitam in castitate perduxerit, & sui poenitentia: quam in corpore suo iudicis sui arbitrio decernimus indicendam. Et si deinceps tertio relapsus fuerit in cōcubinatum notorium, priuetur omnibus beneficiis, & carceribus affligatur: vt sic ferro exusta vulnera, & siccata sanentur: quā fomentis nequivuerunt medic

medicinæ sanari: taliumq; grauis castigatio exemplo mentes terreat, & incensiua comprimat aliorum. Sanè, si quisquam ordinariorum, vel Officialium prædictorum circa hāc corrigenda notabili negligentia fuerit culpabilis repertus, per superiorē ipsius negligēntia suppleatur, & digna punitione mulctetur. Prohibemus insuper ne ab aliquo fornicario notorio in suo dānato concubinatu permanente aliquā pecuniā in munus, vel donum quisquam ordinariorum, vel Officialium prædictorum publicè, vel occultè recipiat. Quod si secūs à quoquā fuerit attentatum, ad ergandum in pios vſus id quod receperit, & duplū valoris eiusdem ipso facto, etiam sine superioris mandato, poenæ nomine teneatur: constitutionibus omnibus super hac materia editis, & illa domini Sabinensis, nisi in eo quōd excommunicationis sententiam accidit, remanentibus illibatis.

IDE M IN EODEM CONCILIO.

Religiosos ordinis militaris concubinarios excommunicationis poenam incurre declaratur: excōmunicatos tandem denunciari publicè debere, quoad meruerint absoluī. Absoluī autem non licere, nisi concubinam abiecerint, & totos quatuor mentes castè, & continenter vixerint. Si ad vomitū redierint, sine spe venia dignitate, officio, ac benencio priuari, & ad ea obtinenda inhabiles fieri. Iis iniungitur, vt eo habitu vestitūque incedant, qui cuiusque ordinis fiatutus descriptus est.

NTER sollicitudines nostræ Legationis officio incūben-tes illa præcipua est, virtutes infondere, & virtua eradicare. Licet enim sacrī canonibus strictissimè sit iniunctū, religiosos castitatem seruare, concubinas vitare, vt debitum altissimo valent reddere famulatum: quorundam tamen relatione fidelium nostris auribus est intimatū, quod aliqui militarum ordinum religiosi non solum Creatoris sui offensores, verum etiam famæ sua prodigi, & proprii persecutores honoris, mulieres ita in suas domos paſsim admittunt, cum eisq; cohabitant, & morātur, quod nisi celeriter adhibeat remedium, præceptoriae, ecclesiæ, cōuentus, ac eorum membra, & bona ipsorum ad irreparabilis desolationis opprobrium deducentur, prout iam docente experientia grandem patiuntur ruinā. Attendentes autem perulgatam infamiam graue scandalum, & vehementem suspicionem contra ipsos exortam esse, cum inter alia substantialia regulæ, ossibus religiosorū annexa sit custodia castitatis, porta & principium aliarum virtutum, sitq; iam nostro salubri statuto prouisum super continentia personarum ecclesiasticarū, quod præcipimus tenaciter obseruari: peculiariū tamen, prout decet, circa religiosos in fœditate luxurię inuolutos rigorem dulcedine misericordiæ temperantes irrefragabili constitutiōne iancimus, vt quisq; religiosus ita studiose votum castitatis obseruet, & concubinatum euitet, vt Deo animam cum fiducia valeat præsentare. Si vero religiosus militaris exemptus, vel non exemptus cuiuscunque dignitatis, ordinis,

dinis, militiae, vel status existat, de praesenti, vel in posterum concubinarius notoriè fuerit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto: districte præcipentes ordinariis locorum, quod religiosum ordinis militaris sic excōmunicatum tandiu faciant publicè nuntiari, donec ab huīusmodi sententia meruerit absolutionis beneficium obtinere: à qua absolui non posit, nisi prius sine fraude penitus abiecerit concubinam: et per menses quatuor in castitate vixerit, vt tenetur. Quod si ad vomitum redierit ipsius vel alterius concubina, absq; spe veniae dignitate, officio, & beneficiis ecclesiasticis quibuscumq; perpetuò sit priuatus, & effectus inhabilis ad dignitatem, officium, vel beneficium ecclesiasticum obtinendum: in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis poena eisdem religiosis militaribus iniungentes, quod honestis vestibus in panno, colore, forma, & habitu vrantur: prout in fundatione ipsorum ordinum, & secundum statuta regulæ portare, & incedere tenentur, & obligati existunt.

P E T R V S Q V A R T V S D E C A R D O N A

Tarragonensis Archiepiscopus in concilio Barcinone
celebrato, anno Domini. M. D. XVII.

Pridie Calendas Iulii.

Mandatur Prælati, vt circa animaduersionem concubinorum diligenter, & seuerè se gerant ex præscripto superiorum constitutionum: nisi fecerint, Archiepiscopus futurum monet, vt contra virosque procedat.

VA NVIS tam à Iure, quam per plurimas constitutiones Legatorum apostolicæ sedis, & prouinciales sit rigidè tam solenniter prouisum contra clericos cōcubinarios, tamen Prælati (quod dolentes, & cum graui cordis dolore referimus) in eis exequendis tam negligentes sunt, ac si sanguis delinquentium de eorum manibus non esset requirendus: nec cernunt grauia scandala, & alia quam plurima pernicioса mala, quæ inde sequuntur. Quare cupientes, quantum in nobis est, huic tam pernicioſo morbo prouidere, exhortamur enixè ordinarios, & , sacro approbante concilio, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus vnuſquisque in suos subditos summam adhibeant diligentiam, & rigidam executionem iuxta formam, & tenorem constitutionum super hoc editarum: certificantes eos, quod si in præmissis negligentes fuerint, nos tam contra eos, quam etiam contra eorum subditos concubinarios distri- ctius procedemus: ne in die Iudicii de eorum negligentiis, maximè statum ecclesiasti- cum tam enormiter diffamanti- bus, rationem reddere teneamur.

D E

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS. Tit. III.

IOANNES SABINENSIS EPISCOPVS LEGATUS apostolicus in concilio Ilerdensi, anno Domini.
M. C. X X I X. quarto Cal. April. C. Cum
in pleriq; locis. §. Adiicimus.

Priores subtractione beneficiorum ad sacerdotalem ordinem ascendere cogendi: vt ecclesiis deseruant. Qui plures curas obtainent, residentiæ tempora iubentur diuidere pro numero: Portionarii portiones, vel præstimonia percipere nisi ecclesiis deseruerint, vetantur.

DIICIMVS quoque, vt Priores per subtractionem beneficiorū ad ordinem sacerdotalem ascendere, & in suis ecclesiis deseruire cogātur: hoc adhibito moderamine, vt qui ex dispensatione sedis apostolicæ plures curas retinere noscuntur, in eisdem vicissim resideant, secundum numerum curarum residentiæ tempora diuidendo. Clerici quoque, qui in ecclesiis parochialibus portionarii existunt, nec portiones quotidianas, nec præstimonia de eisdem ecclesiis percipiāt, nisi in ipsis curauerint personaliter deseruire.

IDE M S A B I N E N S I S E P I S C O P U S in eodem.

Qui ob irregularitatem non possunt suis muneribus fungi, fructibus tandem priuantur, quandiu exequi munera sua nequitunt: nisi cum iis dispensatum à sede apostolica fuerit.

VONIAM ecclesiasticis personis propter seruitia diuini cultus assignata sunt beneficia, & propter multorum irregularitates multæ ecclesiæ diuinorum officiorum patiuntur detrimentū, Statuimus vt qui propter irregularitatem, quam culpa sua incurrerunt, in ecclesiis propriis sua non possunt expiere diuina officia, à perceptione beneficiorum suorum priuentur, quandiu tali impedimento durante suis ecclesiis non poterunt deseruire, nisi super hoc cum ipsis à sede apostolica fuerit dispensatum.

IDE M I O A N N E S S A B I N E N S I S in eodem.

Canonica portione priuantur per tres dies, qui in templo, vel claustris processione tempore inambulant habitu seculari.

VM Canonicos, & alios clericos conuentualium ecclesiæ seruitiis deputatos omnino non deceat, quod aliis diuinis inferuentibus officiis, ipsi per ecclesiæ, vel claustra, processione tempore, deambulent in habitu seculari: ne id fiat de cætero districtiis inhibemus, statuentes poenam transgreltoribus, ut per tres dies canonica portione priuentur.

I R O D

RODERICVS ARCHIEPIS COPVS TARRA-
conensis in tertio concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCXCIII. tertio
Idus Augusti.

Quius ecclesiasticus in sacris ordinibus constitutus, vel beneficium obtinens, vel
religiosus curiam secularē continuē sequi, aut propemodum continuē pro-
hibetur, sic ut de eius sit familia, vietūmque & stipendiuī inde recipiat: nisi Præ-
lati sui, vel Capituli missus. Qui secūs fecerit, excommunicatur. Sed Episco-
pus huic sententiae non est obnoxius.

T vt malitiis obuietur, & ecclesiæ debitibus seruitiis non fra-
udentur, ac vagandi & dissolutionis materia substrahatur, Sta-
tutum ne aliqua prædictarum personarum ecclesiasticarum,
quæ in sacris ordinibus sit vel fuerit cōstituta, vel beneficium
ecclesiasticum obtinens, vel religiosa, præsumat sequi continuē vel quasi
cōtinuē aliquam curiam secularē: sic quōd sit de familia sua, vel vietūm,
seu stipendum recipiat ab eadem: nisi sui Prælati vel superioris cōsilio,
& assensu sui Capituli, seu conuentus, vel maioris partis eiusdem licentia
priūs habita, & obtenta. Si quis verō horum temerarius violator exte-
rit, excommunicationis sententiam incurrat ipso factō. Episcopum verō
propter prærogatiuam pontificalis officii ligari nolumus hac sententia
lata. Sed nihilominus à nobis Archiepiscopo, vel successoribus nostris
super his petere licentiam teneatur.

ARNALDVS ARCHIEPIS COPVS TARRA-
conensis in primo concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCCXXXVI. Cal. April.

Cogendi beneficiati vt in suis ecclesiis resideāt, quantumuis facultatem habeant
abcedendi nisi abscesserint studiorum causa.

T vt prædicta de diuino officio in cathedralibus, & colle-
giatis ecclesiis per Canonicos, & alios quoscunq; beneficia-
tos in dictis ecclesiis horis debitibus, sine murmure, & aliis cō-
fabulationibus solenniter, & deuotè fiant, compellant Epi-
scopi Rectores ecclesiarum, & alios beneficiatos, præsertim habentes be-
neficia requirentia ex speciali statuto, vel ordinatione residentiam per-
sonalem in suis ecclesiis, & beneficiis residere: non obstantibus licentiis
per eos de non residendo quibusunque, nisi studiorum causa personis
docibilibus, vel alia rationabili causa concessis.

ARNALDVS ARCHIEPIS COPVS TARRA-
coñ. in secundo concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCCXXXVIII.

Calendis Aprilis.

Canonicum ab Episcopo, vel Capitulo missum canonicam portionem de-
bere recipere.

CAN



ANONICVS, seu clericus de Capitulo ecclesiæ cathedrales quandocumque per Episcopum, & Capitulum, seu per ipsum Capitulū pro negotiis ipsius ecclesiæ missus fuerit, re-
cipiat, ac si præsens esset, canonicaportionem.

PETRVS SECUNDVS TARRACONENSIS
Archiepiscopus in secundo concilio Tarracone cele-
brato, anno Domini. M. CCCLX-

VII. Idus Februarii.

Extenditur superior constitutio ad Canonicos, & Presbyteros de Capitulo ca-
thedralium vel collegiarum ecclesiarum, à dictis ecclesiis missis, eosque qui
à pluribus ecclesiis missi fuerint ad communia negotia.



NSVPER quia per dominum Arnaldum bona memorię
Archiepiscopum fāctæ ecclesiæ Tarracōn. prædecessorem
nostrū fuit prouide institutum in constitutione, quæ incipit
CANONICVS, quōd Canonicus qui ab ecclesia cathedra-
drali pro ipsius ecclesiæ negotiis missus esset, reciperet in absentia por-
tionem, præfatam constitutionem ad Canonicos, & Presbyteros de Ca-
pitulo cathedralium, & collegiarum ecclesiarum, qui à dictis ecclesiis,
pro earundem ecclesiarum cathedralium, vel collegiarū ecclesiarum
negotiis missus fuerit, ducimus extendendam. Et quōd præbendatus, qui
in pluribus ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis missus fuerit per alte-
ram ex ipsis ad tractandum negotia, quæ communiter tangunt ipsis ec-
clesias, vt sunt negotia concilii prouincialis, vel curiarum domini Re-
gis generalium, habeat portionem suam, quam reciperet, si personaliter
adesset in ipsis ecclesiis: quam etiam extendi volumus ad illos qui ad præ-
sens concilium venerint.

DALMATIVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in concilio celebrato, anno Domini. M.
CCCCXXIIII. quinto Idus
Decembris.

Declaratur superior cōstitutio, doceturque de omnibus, qui missi fuerint, intelli-
gi debere: siue cōiunctim, siue diuīsim ab Episcopo, aut Capitulo missi fuerint.



ICET per constitutiones prædecessorum, scilicet domino-
rum Arnaldi, incipientem CANONICVS, & Petri me-
morię celebris incipientē INSUPER, sufficienter, vt con-
gruit, sit prouisum, quōd canonici, seu Presbyteri de Capitulo
per Episcopum, & Capitulum ad cōcilium prouinciale missi, seu ad cu-
rias vel alia parlamenta fructus suarum præbendarum, & beneficiorum
recipiant integrē, ac completē, ac si in dictis eorum beneficiis existerent
residentes: aliqui tamen curiosi innituntur in dubium deducere, an hoc
solum de syndicis per Episcopū, & Capitulum, vel per Capitulum tan-
tum

I 2 tum

tum missis intelligi deberet. Nos itaq; huiusmodi dubii materiam, quantum possumus, amputare volentes, sacro approbante concilio ducimus declarādum, quōd constitutiones superiūs declaratæ, seu expressatæ, non solum syndicos, vel procuratores Episcopi, & Capituli, vel Capituli tantum, sed etiam procuratores ipsius Episcopi meritò amplectuntur, & ad omnes coniunctim, & diuisim in dubio extendūt: volentes quōd præsenti constitutione, seu declaratione non solum futuri, sed etiam qui in præsenti sunt concilio gaudere valeant cum effectu.

DE P R A E B E N D I S E T D I G N I-
tati bus. Tit. I I I I.

IOANNES SABINENSIS EPISCOPVS, L E-
gatus apostolicus in concilio Ilerdensi, anno Domini.
M. C. XXIX. quarto Cal. Aprilis.

Procedendum in eos, qui post generale concilium plura receperint beneficia, quæ simul nequeunt obtineri: ac nisi sponte cesserint, vbi hæc constitutio illis innotuerit, excommunicantur. Et qui non deseruiunt parochiali ecclesiæ, cui præsunt, ea priuantur.

VONIAM propter hominum malitiam sacræ constitutiones steriles sunt penitus & inanæ, nisi eas executionis diligentia fecerit fructuosas, districte præcipimus, vt contra illos qui sine dispensatione domini Papæ post generale concilium plura receperunt beneficia habentia curam animarum, vel vnum simile ei quod ante concilium haberent: & contra illos, qui sine apostolica dispensatione plures dignitates, vel personatus post concilium generale receperunt, vel vnum, cum ante concilium alium personatum, vel dignitatē fuissent adepti: necnon & contra illos, qui in conferendo proprio beneficio, personatu, vel dignitate, recepto secundo negligentes extiterint, secundum statuta generalis concilii procedatur. Et quoniam qui taliter adeptus est beneficia, quibus cura animarum est annexa, seu personatus, vel dignitates, ipso iure priuatus est primo: & non sine culpa sacrilegi, quōd beneficium, quod nō suum est, sed spirituale de facto detinere præsumperit, si postquam monitus fuerit, vel ad ipsum huiusmodi cōstitutionis notitia peruererit, spontaneus eidem nō cesserit sine mora, & eandem cessionem non declarauerit, excommunicationis vinculo sit astrictus. Adiicimus quoq; vt iuxta statutū generalis concilii, si quis parochiale habet ecclesiæ, in ipsa personaliter deseruiat in officio quod requirit ecclesia: aut eadem sit ipso iure priuatus secundū cōstitutionem generalis concilii. Et præcipimus quōd alii conferatur, nisi fuerit prædicta dignitati annexa: & tunc in ea perpetuus Vicarius instruatur. Et qui constituti sunt in personatibus, vel dignitatibus ad ordinē, quem ipsa requirit dignitas, per ipsarum subtractionem ascendere compellantur.

I D E M

I D E M I N E O D E M.

Qui non habuerint beneficium, aut patrimoniu sufficiens, ad ordines sacros non promouendi: aut iis sumptus ab eo, qui promouerit, vel suppeditandi vel certè prouidendi. Indigni iuxta constructiones, neque ad ordines, neque ad beneficia promouendi. Illegitimi dignitates adepti, iis priuantur.

RAECIPIMVS ne quis promoueat in subdiaconatu, diaconatu, presbyteratu, nisi habeat sufficiens beneficium ecclesiasticum, vel saltem sufficiens patrimonium, ad cuius quasi titulū ordinetur. Et qui aliter ordinauerit, sufficienter prouideat in necessariis ordinato, vel à præsentatore ipsius ordinato faciat prouideri: donec ei competens beneficium fuerit assignatum. Constitutiones quoq; de indignis nequaquam promouendis ad ordines, siue ad beneficia sub interminatione dñationis æternæ præcipimus à modò districtiūs obseruari, per poenam super hoc in generali concilio editam: adiicientes, vt ii qui illegitimi personatus, aut dignitates haec tenus receperūt, vel recipere præsumperint in futurum, dispensatione canonica non obtenta, eisdem sint ipso iure priuati.

I D E M I N E O D E M.

Præcipitur, vt cuique parochiali ecclesiæ suus Rector præsit, non vnu pluribusve. Si tamen tenues fuerint, pluribus modo ne supra quam necessæ fuerit ad moderatam sustentationem Prælati.

VONIA M quælibet ecclesia parochialis proprium, & perpetuum debet habere Prælatum, vt oues gregis dominici non mercenario subiaceat, sed pastore regantur, districte præcipimus, vt quælibet ecclesia parochialis proprium Prælatum habeat, qui ad curam animarum iure perpetuo sit canonice institutus: & nullus in duabus ecclesiis parochialibus obtineat Prælaturam. Hanc autem constitutionem non referimus ad illas ecclesiæ, quæ ita sunt tenues, quod nulla earum competenter sufficiat sustentare proprium sacerdotem. In quo casu præcipimus, vt tot & non plures habeat, quam quæ sufficere debeant, cum moderamine debito, ad sustentationem Prælati.

I D E M I N E O D E M.

Statuitur, vt vnu sacerdos ex deseruentibus ecclesiæ parochiali, velut caput, præficiatur: cui oblationes confessionum attribuuntur: reliqui subserviant.

VONIA M scortū videtur ecclesia, & quasi pluribus viris exposita, in qua plures clerici pro indiuso curā sibi vendicant animarum, & hoc vitium non sine graui periculo in partibus Hispaniæ plurimū inoleuit, præsentis approbatione concilii Statuimus, vt in illis ecclesiis, in quibus sunt plures clerici, vnu principaliter curam habeat animarū: & alii ipsi in diuinis seruitiis & aliis necessariis coadiutores existant. Et qui curam habuerint, oblationes

I . 3 nes

7º Constitut. Prouinc. Lib. III.

nes confessionum suas habeant : quatenus maiora stipendia percipient, qui plus noscuntur laborare.

I D E M S A B I N E N S I S E P I-
scopus in eodem.

Episcopi, Archidiacomi, Archipresbyteri prohibitur ab ordinandis quicquam accipere, aut curare sibi ab iis caueri beneficium ecclesiasticum minimè peturos.

NVLLVS Episcopus, Archidiaconus, vel Archipresbyter, vel quæcunq; persona clericum ad ordinem repræsentet, vt per se, vel per alium ab ordinādis aliquid exigat, vel recipiat cautionem, vel quancunq; aliam promissionem quod ab ordinatore vel repræsentatore non petet ordinatus, & repræsentatus sibi de ecclesiastico beneficio prouideri.

P E T R V S A R C H I E P I S C O P V S I N P R I M O
concilio Tarragonensi, anno Domini. M. C C-
XXXIX. Decimo quarto Cal. Maii.

Cauetur ne ab uno duo obtineantur canonicatus, qui singuli residentiam personalem postulent.

STATVIMVS & mandamus, quod aliquis in eodem episcopatu, vel in diuersis duas canonias nō obtineat aut habeat: quæ ex speciali statuto residentiam personalem requirat, sed altera tantum debeat esse contentus.

I O A N N E S P A T R I A R C H A A L E X A N D R I-
nus in secundo concilio prouinciali, anno Domini.
M. CCCXXI. Pridie Cal. Febr.

Archiepiscopus, & Episcopi obligantur Capellæ in ecclesia, cui præerunt, ex pannis prædiuitibus confiendæ, aut certè centum florenis in eam rem conferendis. Si in vita non fecerint, mortuorum bona obligantur.

VM ad honorem Dei, & cultum, diuinæ ecclesiar, maxime cathedrales, pulchris pollere debeat ornamentiſ idcirco sacro approbante concilio Statuimus, quod semper Tarragonensis Archiepiscopus, & quilibet Episcopus prouinciæ Tarragonensis in morte sua vnam Capellam integrum de pulchris pannis, & nobilibus ecclesiæ, cui præfuerit, vel centū florenos auri pro ea emenda relinquere teneatur: & ad hoc sint eius bona, quæcunque habuerit, dicto tempore obligata.

P E T R V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I E P I-
scopus in tertio concilio celebrato, anno Domini. M.
CCCXX. septimo Idus Nouemb.

Archiepiscopus, & Episcopi capella instruenda obligatur ex ferico, vel auro trecentis florenis valenti in ea ecclesia, cui præerunt: idque infra triennium, ex quo

De præb. & dign. Tit. IIII. 71

quo erunt assumpti, etiamsi vel mortui, vel translati fuerint. Niſi fecerint, ornamentiſ ecclesiæ extra eam vii prohibentur, priuaturque canonica portione, si eius recipiendæ ius habuerint, quoad conficerint: si fecerint, obligatione constitutionis incipientis CVM AD HONOREM, liberantur.

VM ex officio charitatis illis teneamur obnoxii, à quibus nos recognoscimus beneficia suscepisse, hoc eodem approbante concilio ordinamus, quod quicunque de cætero præficietur in Episcopum alicuius cathedralis ecclesiæ prouinciæ Tarragonensis, teneatur facere, & assignare ecclesiæ cathedrali, in qua assuuptus fuerit, infra triennium Capellam integrâ de panno ferico, vel de auro cum necessariis, & frisaturis, valente ad minus trecentis florenis auri: aliâs ex tunc quod non sit ausus recipere ornamentiæ ecclesiæ pro seruitio eiusdem extra ipsam: nec teneatur Præpositi, seu alii qui ad hoc tenentur, eidem dare canoniam portionem, si forsan ex consuetudine, statuto, vel alio iure recipiat in eadem: donec dictam Capellam fecerit, & assignauerit dictæ ecclesiæ, vt prædictitur, cum effectu. Et, si prædicti Prælati infra dictum tempus dictam Capellam fecerint, prout tenebantur per constitutionem Tarraconeñ. quæ incipit, CVM OB HONOREM DEI, ad aliam Capellam faciendam non teneantur post obitum suum, nec eorum bona remaneant obligata. Sed si forte infra prædictum tempus non fecerint, postea, vel post obitum suum dictam Capellam de dicto valore florenorū trecentorū facere teneatur: & eorū bona ad hoc remaneant obligata. Verum si infra dictum terminum mortui fuerint, vel translati antequâ dictam Capellam fecerint, ad illam nihilominus teneantur facienda, et eorū bona remaneant obligata.

E N N E C V S A R C H I E P I S C O P V S T A R R A C O-
nenſis in concilio primo Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXI. Nonis Aprilis. C.

Decet. §. Iniungimus.

Ad superiorem constitutionem additur, vt Archiepiscopus, & Episcopi Capellam trecentis florenis valentem cōficiant, neque iis à Capitulis, quominus Capellam conficiant, remitti possit: niſi vel trecentos florenos deposuerint, vel eiusdem pretii Iocale ecclesiæ necessarium. Alioqui ecclesiæ ingressu interdicuntur: ac si menſem id facere distulerint, excommunicantur, priuanturque portione Canonica, si eius recipiendæ ius habuerint: & ad obſeruationem huius constitutionis obligantur.

DECE T nos, & Suffraganeos, & infrâ. Iniungimus Suffraganeis nostris Episcopis quatenus infra sequens triennium à die huiusmodi in antea computandum, & eorū successoribus infra triennium, ex quo in Episcopos sint assumpti, eorum qui libet Capellam prædictam de panno ferico, vel de auro saltem valentem trecentis florenis in cathedrali ecclesia facere teneatur: vel trecentos florenos deponat: nec per Capitulum ei, niſi pro Iocali æquivalenti, & oblato,

oblato, plus ecclesiæ necessario, remitti valeat quoquo modo. Si quis vero in his negliges fuerit, seu remissus, ex quo per Capitulum ecclesiæ, cui Capellam facere est astrictus, verbo vel scriptis per mensem antea fuerit requisitus, & Capellam, saltem dicti pretii, ecclesiæ infra dictum trienium, vel trecentos florenos non assignauerit, vel modo quo supra locale æquivalens cum effectu non tradiderit, sit ei ingressus ecclesiæ interdictus. Qui si per mensem sustinuerit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto. Præpositis vel administratoribus bonorum mensæ Capituli nihilominus iniungentes, quod de præbendis, vel aliis iuribus sibi ex consuetudine ecclesiæ debitibus non respondeant: donec capellam fieri fecerint, seu locale, vel dictos trecentos florenos deposuerint, & assignauerint cum effectu. Alioquin excommunicationis incurvant sententiam ipso facto. Et ad observationem constitutionum huiusmodi nos, & successores nostros, ordinante sacro concilio, volumus obligari.

HIERONYMVS DE AVREA ARCHIEPISCOPUS in concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. D. LV.
Nonis Maii.

Archiepiscopus, & Episcopis statim à possessione adepti iubentur Capellæ, & ornamenti conficeret: aut pignus eis eisdem pretiis apud Capitulum deponere, idque minimè restituiri, nisi praestitis iis quæ facere tenentur. Ac nisi infra annum præstiterint, Capitulo pignus vendere licere, & ornamenti emere statuitur. Superioribus constitutionibus suum robur seruatur.

ICET per alias constitutiones, & ecclesiastica decreta sit sancte dispositum, per Prælatos, & alias ecclesiasticas personas in cathedralibus, & aliis ecclesiæ habere fieri Capellam, cappas, aliaq; ornamenti ecclesiæ, concessa eisdem facultate trium annorum ad illa faciendum: & cum docente experientia intra illud tempus morte, vel alio legitimo impedimento præuenti Prælati dictum onus non adimpleuerint, & cōsequenter ecclesiæ dictis ornamenti priuatæ sint, attenta difficulti exactione in bonis earum, id est de congruo super his, ac salubri remedio prouidere cupientes, statuimus de cætero quod dicti Prælati, ac ecclesiasticae personæ in continentि in adoptionibus possessionum dictarum dignitatū dictas Capellas, cappas, & ornamenti, ad quæ tenentur, persolvant, atque pro traditione earum in posse Capituli ecclesiæ pignora aurea, vel argentea quantitatē ornamentorum valentia realiter, & cum effectu deponant: eaq; antequam illa quæ facere tenentur, adimpleuerint, minimè restituantur: facultate dicto Capitulo concessa, quod si intra annum non fuerit adimpletum, vendito pignore per dictum Capitulum adimpleatur; dictis constitutionibus alias in suo robore permanentibus.

DE

DE INSTITUTIONIBVS.
Titulus V.

PETRVS ARCHIEPISCOPVS IN QUARTO
concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLIII. tertio Nonas Maii.

Laicis attribui non debere ecclesiæ parochiales.

VM ecclesiæ parochiales per laicos administrari non debant, statuimus quod laicis nullo modo de cætero attribuantur: sed per clericos, & viros ecclesiasticos ecclesiæ gubernentur secundum canonicas sanctiones.

BERNARDVS ARCHIEPISCOPVS IN SE-
cundo concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCLXXVII. quinto Nonas Maii.

Canonici capellanias Episcopi beneficio adepti, si alii contulerint, eam collationem irritam esse.

NTELEXIMVS in quibusdā alii partibus dictæ provi-
uinciæ abusum prauæ consuetudinis subintraffe, quod cū Ca-
nonici ex collationibus suorum Episcoporum capellanias ca-
nonicæ sunt adepti, ipsi Canonici easdem capellanias alii pro
voluntate sua conferunt, & assignant. Cum autem hoc impossibile sit de
iure, statuimus ut prædictarum capellaniarū collationes per dictos Ca-
nonicos, qui eas à suis Episcopis canonicæ habuerint, nullatenus attentetur. Quod si contraria factum fuerit, id decernimus irritum, & inane.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, SEDIS
apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato;
anno Domini. M. CCCCXXIX.

Nonis Nouembris.

Sine auctoritate ordinarii, ad quem pertinet, nullum beneficium ecclesiasticum ordinandum: & ordinationi non interponendam esse ab ordinario auctoritatem, nisi prius dos ad sustentationem vitæ presbyteri assignata fuerit in loco idoneo, & securō: saluis tamen canonicis statutis, & auctoritate proutæ dispensationis.

VAE magna sunt, & veneratione condigna, si paſsim pro quorumlibet voluntatibus exercentur, sua numerositate vi-
lescunt: absorbetq; regendi ordinem incomposita multitu-
do. Hæc sedula meditatione pensantes, quod quæ pertinent
ad decus ecclesiæ, & vituperari, vel infirmari possent, prouidere sic:
ecclesiastica beneficia constitui super stabili fundamento, ne in oppro-
brium ecclesiæ facile deserantur & ruant: harum serie duximus statuen-
dum, quod nullus de cætero beneficium ecclesiasticum, sine auctoritate
K ordin

ordinarii, ad quem pertinet, in aliqua ecclesia, seu capella quomodo libet ordinetur (qui quidem ordinarius non aliter fundationi, vel ordinatio ni talis beneficii auctoritatem præbeat, aut consensum, nisi prius dos ad sustentationem vitæ presbyteri assignata fuerit in loco idoneo, & securro) quodq; in sua auctorisatione clausulam adiiciat subsequentē, Saluis canonicas statutis, & auctoritate prouidae dispensationis. Quam clausulam, etiamsi omissa fuerit, haberī volumus pro inserta: & contra faciendo potestatem Prælatis omnibus abdicamus.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNO-
uetur: & qualiter fructus anni valoris diui-
dantur. Tit. V I.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRI-
nus in secundo concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCCXXXI. pridie
Calendas Februarii.

Cauetur ne ii ad quos archiepiscopal, episcopalve dignitatē administratio pertinet, ad ædes archiepiscopales, aut episcopalēs migrant morandi causa: nisi Capitulo consentiente: sed neque vilas scripturas ex ecclesiæ scrinio extrahant nisi præsentibus duobus, aut tribus Canoniciis ad id designatis: & quidem cum administrationis causa opus fuerit: atque ea lege, vt eas reponant simul ac vñ fuerint. Impensas nullas ferant, nisi quas consensu Capituli administrationis canā fecerint domo sua profecti ad Capituli negotia gerenda. Successori rationē administrationis reddant: quæ superfluerint, restituant: nec bona modō, sed etiam instrumenta: quorum haec si infra duos menses non restituerint, excommunicantur.

AT ii, quibus administratione bonorum archiepiscopal, vel episcopalē dignitatē competit sede vacante ex consuetudine, vel statuto, vel qui ad hoc per Capitulum eliguntur, sciant se solam administrationem & custodiā dictorum bonorum habere, statuimus ultra remedia iam prouisa, quod ille qui administrationē huiusmodi exercebit, ad palatium, seu hospitiū dignitatēs prædictæ, nisi de expresso consensu totius Capituli, se non conferat ad morandum: nec de Chartulario, seu archiuo, vel alio loco, vbi teneātur priuilegia, instrumenta, seu registra: libros, seu alias scripturas abstrahat: nisi ipsiis pro dicta administratione indiguerit: & tunc de consensu Capituli, & præsentibus duobus, vel tribus Canoniciis per ipsum Capitulum deputatis: & statim cum ipsis non indiguerit, in loco vnde abstracta fuérint, restituant seu reponat: nec pro suis expensis aliquid de dictis bonis recipiat, vel expendat: nisi ipsum pro negotiis ipsius dignitatē oporteat de consensu Capituli extra suum domicilium proficisci. In quo casu duntaxat quādiu circa expeditionem dictorum negotiorum dicti Capituli institerit, possit moderatas expensas recipere, & habere: & teneatur futuro ipsius ecclesiæ Prælato de tota dicta administratione, quām citius cōmodè poterit,

terit, fidelem reddere rationem. Et quicquid apud ipsum ratione redditum repertū fuerit supereffe, necnon priuilegia, instrumenta, regista, libros, scripturas alias, quæ, seu quas de Chartulario seu Archiuo, vel alio loco abstraxerit, vel penes se scienter retinet, aut nunc habet, infra duos menses Prælato restituat. Alioquin nisi restitutionem huiusmodi fecerit de prædictis, excommunicationis sententia se nouerit subiacere: statutis & consuetudinibus contrariis non obstantibus quibuscumque.

IDEM IOAN. IN EODEM. C. Vt ii. §. Et quia

Fructus, quos à Prælati, vel Rectoribus, vel Vicariis perpetuis percipi ius est, inter hæredes prædecessoris, & successorem pro rata parte administrationis diuidi debent. Cuius autem anni fructus erunt numerandi, eius initium à Cal. Maii ducendum. Quæ constitutio non patet ad cætera beneficia, quorum non sunt paria onera: sed neque ad Rectorias, aut Vicariatus perpetuos, vbi aliud vel statuto, vel more sanctum est.

FT quia vt plurimum successor Prælati defuncti, qui condidit testamentum, petit de bonis defuncti prouisionem vñq; ad nouos fructus, ex quo sæpe sequuntur litigia, & dicta bona in litigiorum anfractus impenduntur, nos volentes hoc euitare, decernimus quod si successor Archiepiscopi, vel Episcopi, aut cuiuslibet Prælati collegiatæ ecclesiæ, vel Rectoris, seu Vicarii perpetui ecclesiæ parochialis, fructibus post mortem sui prædecessoris collectis, & postea colligendis contentus esse noluerit, sed prouisionem de bonis sui prædecessoris petierit, cōputentur fideliter omnes fructus, reditus, & prouentus dictæ dignitatēs, vel parochialis ecclesiæ totius anni quo vacauit: qui annus incipiat à Calendis Maii: & diuidantur inter defunctum, & successore pro rata temporis illius anni, quo quilibet præfuit dictæ dignitatē, vel ecclesiæ, & ipsius onera supportauit. Hoc autem extendi nolumus ad alia beneficia: cum eadem obtinentes nō habent tot onera supportare, sed feruentur in eis quod est de iure statuto, vel consuetudine approbatis. Huiusmodi verò prouisionē ad Rectores, vel Vicarios perpetuos ecclesiæ parochialium extendi non intendimus in diœcesi vbi aliud de statuto, vel rationabili consuetudine est obtentum.

DE REBUS ECCLESIAE ALIENAN-
dis, vel non. Tit. V I I.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.
quarto Calendas Aprilis.

Statuitur ne sublato communi coniunctu, à Prælati aut clericis ecclesiæ bona vi-
ritim diuidantur, nisi diœcesani consensu. Qui diuiserint ab ecclesia arre-
ctetur. Sin diœcesanus consenserit vt fiat partitio, vt coniuāt tamen sub Prælati
sui obedientia præcipitur. Sanctur quoque ne vel prior, vel clericus ecclesiæ
bona, aut yendant, aut pignori ponant sine diœcesani consensu.

VM in plerisq; locis ecclesiarum Priores, seu Prælati clericis suis communiter viuentibus ministrare victualia teneantur, & circa eosdem, necnon & laicos parochiarum suarū in cura animarum debeat intendere diligenter, quidam Priores seu Prælati, vt liberiū euagari valeat, aut vt suæ satisfaciant auaritiae: quidam quoque clerici, vt ad diuini cultus assiduitatem non compellantur à Prioribus, vt eorum effugiant disciplinam, possessiones, & bona eorum inter se diuisione perpetua partiuntur. Quare præsentis auctoritate concilii duximus statuendum, vt nulla de cætero talis partitio fiat: &, si qua facta est absq; auctoritate, & consensu dioecesani, vel superioris, eam decernimus non tenere. Quod si forsan alicuius ecclesiæ Prior, & clericī contra istam cōstitutionem venire præsumperint, per dioecesanū loci, vel eius vices gerentē ipsos ab eisdem ecclesiis præcipimus in posterum amoueri. In illis autem, in quibus facte sunt partitiones huiusmodi de assensu dioecesani, vel superioris, id præcipimus obseruandū, vt clericī sub obedientia & correctione sui Prioris, seu Prælati consistant, & simul comedant in vno refectorio sicut ante partitionē facere consueuerūt, nec ecclesiæ prouentus aliquo modo inter se diuidant, sed magis in vna mensa cōmunicent: vt qui diuinis officiis interesse neglexerint, substractione eorum portionis secundum suam negligentiam puniantur à Priore. Prudenter quoq; Prior, ne clericī sui, vel eorum dispensatores ecclesiæ bona dispensent taliter, aut expendant, quod cessantibus quotidianis distributionibus diuini non sequatur officii detrimentum: & hoc ita fieri nequaquam permittat: inhibemus quoq; ne Prior sine clericis, aut clericī sine Priore aliquam de possessionibus ecclesiæ impignorare valeant: nec sine dioecesani consensu aliquam possessionem vendere, aut quomodo cunque alienare præsumant. Clerici quoque inter se terras, & vineas ecclesiæ non diuidant, sed communiter eas possideant, sicut communibus debent vīsibus deseruire.

I D E M S A B I N E N S I S I N E O D E M
concilio, anno Domini. M. CXXIX.
quarto Calen. Aprilis.

Capitula generalia, ac regularia iuxta præscriptum cōstitutionis vt in monasteriis fiant præcipitur: prohibeturque bona monasteriorū vlla ratione alienari sine dioecesani consensu. Qui alienarint ab administratione amouendi.

VONIAM monasteria multiplici correctione, & reformatione indigent, præcipimus iuxta formam generalis concilii, vt tam monachorum quam Canonicorum regularium generalia Capitula fiant ipsius constitutionis tenore in omnibus obseruato: qui talis est, Adiuentes præsentis auctoritate concilii, ne viri religiosi sine consensu sui dioecesani Episcopi possessiones monasteriorum vendant, vel inchartent, seu cōcedant ad vitam hominis, aut permutent,

mutent, aut infendent, aut quocunque modo alienent. Quod qui facere præsumperint, ab administratione qua funguntur per suū Episcopū amoueantur in perpetuum: & qui sic obtinet, careat sic obtentis.

EXIMINVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in primo concilio celebrato, anno Dñi. M.

CCCXVII. octauo Calendas Martii.

Excommunicatione plectuntur clericī, qui sub sigillo regio dignitates, vel beneficia obligarint.

OLENTE S ecclesiarū indemnitatibus prouidere, statuimus quod aliquis Prælatus, vel clericus cuiuscunque status, vel conditionis existat, bona, dignitates, vel beneficia sua obligare sub sigillo regio nō præsumat: & qui contrā fecerit, eo ipso excommunicationis sententiæ ipsum decernimus subiacere.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS secundo concilio celebrato, anno Domini.

M. CCCLXVII. Idib. Februarii.

Iubentur Prælati, cæterique ecclesiastici tempore quo possessionē adipiscuntur, omnium ad ecclesiam pertinentium, quæ vbius repererint, inuentaria, noua autē capibreua infra sex menses à pacifica possessione adeptā, conficere: confecta in loco tuto ab Episcopo designando reponere. Qui hæc facere neglexerit, superioris arbitrio puniendus.

VI A rei evidētia docuit plura censualia, & redditus beneficiorum ecclesiasticorū in toto, aut in parte fuisse perdita, & alienata: redditus diminutos, & iura aliqua defraudata propter præsidentium in suis beneficiis incuriam, seu per mortem: ideo sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, quod omnes Prælati, & aliæ personæ ecclesiasticæ tempore adipiscendæ possessionis suorum beneficiorum faciant inuentarium de omnibus inuentis, seu repertis in hospitiis, castris, seu aliis locis suarum dignitatum, officiorum, seu administrationum, siue sint instrumenta, libri, capibreua, aut alia eorum dignitati, officio, seu beneficio pertinentia. Et etiam noua capibreua facere teneantur intra sex menses, à tempore pacificæ possessionis adeptæ. Ac obtinentes nunc ipsa beneficia infra annum à præsenti die in antea computandum habeant capibreuiare: in quibus quidem capibreuiis ponantur, seu designentur specificè eorum redditus, censualia, & iura alia vniuersa, nomina facientium censualia, & confrontationes proprietatū, quæ sunt dictis dignitatibus, & beneficiis obligata. Et dicta inuentaria, capibreua, & aliæ scripturæ publicæ ponantur & conseruentur infra alium mensē immediate sequentem in aliquo certo loco, & securō per eorum dioecesanū Episcopum deputando. Quod si contra prædicta, & eorum aliquod actum fuerit per aliquem, seu omissum, ad sui superioris arbitrium puniatur.

ENNECVS ARCHIEPISCPVS IN
primo concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
CCCXCI. Nonis Aprilis.

Quoties feudatarii innouatur, recognoscenda feuda: & potestates de quin-
quennio in quinquennium requirendæ.

FEVD A, vel potestates habentes in castris, locis, seu proprietatis quibuscunque, vt feudatarii contradicendi materia auferatur, præcipimus per Prælatos, & beneficiatos quoscunque ratione dignatum, vel beneficiorum vt ea recognosci faciant: quatenus feudatarii innouentur, & de quinquennio in quinquennium potestates requirere teneantur.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in concilio primo, anno Domini. M.
CCCXCI. Nonis Aprilis.

In quaquis ecclesia librum conscribi debere, in quo nō instrumenta modò iurium omnium tam dignitatis principalis, quam beneficiorum authenticè contineantur, sed etiam onera & expensæ: & infra quinquennium in sacrario reponi debere. Constitutioni incipienti QVIA REI,

VPIENTES ecclesiarum statui prospero prouidere, sacro approbante cōciolio ordinamus, quod fiat in qualibet ecclesia cathedrali, collegiata, parochiali, vel simplici nostræ prouincie vñus liber, in quo instrumenta iurium tam dignitatis principalis, quam aliorum beneficiorum ipsarum ecclesiarum, & eorum onera in forma authenticæ ad expensas cuiuslibet beneficiati, et ampla serie conscribantur: qui infra quinquennium in sacrificia, vel sacrario cuiuslibet ecclesiæ, ad quam pertineat, reponatur: constitutione de capibreviis fiendis per quemlibet beneficiatū incipientem QVIA REI EVIDENTIA DOCVIT, in suo robore permansura.

IDE M ENNECVS IN EODEM.

Scribania, baiulia, sagionia, carcellaria, castellania, alcaldia dignitatibus, & beneficiis, ad quæ ea pertinent, annexuntur: prohibenturque à dignitatibus, vel beneficiis separari.

EDIT quidem in magnum ecclesiæ detrimentum, quod scribania, vicaria, baiulia, sagionia, carcellaria, castellania, alcaldia, & eorum fructus, emolumēta, & officia, quocunq; nuncupentur nomine, consueta etiam per laicos gubernari, quasi à mensis dignitatum, & à beneficiis, à quibus dependent, separata concedantur in perpetuum alicui, vel ad vitam: cum ex concessionibus huiusmodi sequatur, quod à pluribus impetratur inuitis Prælatis, & aliis beneficiatis, ad quos talium officiorum dispositio pertinet & spectat: & per ingratos, & damnosos ecclesiæ multoties talia officia gubernan-

bernantur. Nos indemnitati ecclesiæ prouidentes, vt via ambitionis improbæ præcludatur, & ne concessiones huiusmodi in perpetuum fiant à modò, vel ad vitam, ipsas scribanias, & vicarias, baiulias, carcellarias, sagionias, castellanias, alcaldias, quas esse damnosas ecclesiæ multoties cōperimus cum per tales talia officia gubernātur, prohibemus ea, & emolumenta illorū ab eis separari dignitatibus, vel beneficiis, quibus talium officiorum dispositio noscitur pertinere: quinimo sacro approbante cōciolio eisdem annētimus, & vñimus.

IDE M ENNECVS IN EODEM.

Cauetur ne cuiquam, etiam ad compensandos labores pro ecclesia insumptos, aut si vtile fore videatur ecclesiæ, scribania emolumēta, reditus, proprietates, ac prouentus vltra triennium attribuantur, nedum in perpetuum, vel ad vitam: sed neque vicaria, baiulia, alcaldia, carcellaria, sagionia. Si fecūs factum sit vel imprudentia, vel iuriis ignoratione, donationes, aut attributiones eiusmodi irritæ censentur.

OC consultissimo prohibemus edicto, ne scribania emolumēta, reditus, prouentus, proprietates, seu iura quois nomine nuncupentur, ad mensas dignitatum, monasteriorum, Capitula, collegia, conuentus, vel beneficia quæcunq; ānxa, vel pertinētia quoquo modo, à nobis Archiepiscopis, Suffraganeis nostris, inferioribus Prælatis, Capitulis, conuentibus, vel dignitates, & beneficia habentibus infra prouinciam Tarraconensem, etiam interuenientibus nostri, seu Suffraganeorum, Capitulorum, & inferiorum Prælatorum, conuentū consilio & assensu, etiam iure compensationis seruitiorū ecclesiæ impensorum, vel vbi vtilitate ecclesiæ cōcernere videantur, aliqui concedantur in perpetuum, vel ad vitam, siue etiam ad beneplacitū, vel vltra triennium dari, vel concedi valeant vlo modo. Neq; etiam vicarias, baiulias, alcaldias, castellanias, carcellarias, sagionias, vel alia officia, quocunq; nomine censeantur, nos seu nostri Suffraganei aliiq; inferiores Prælati, seu habentes dignitates, officia, vel beneficia, Capitula, collegia, vel conuentus, ad quas seu quæ dare pertineat officia ante dicta, alicui, vel aliquibus, etiam consilio & assensu interuenientibus supradictis, in perpetuum vel ad vitam, nec vltra triennium assignare vel committere valeamus: nec sic commissa volumus post committentis obitum perdurare. Et, si forsan per ignorantiam, inaduertentiam, vel aliás per nos, aut successores nostros, Suffraganeos, vel alios inferiores Prælatos, seu habentes dignitates, vel beneficia de facto contrarium fuerit attentatum, sacro approbante concilio tales concessiones, donationes, vel assignatio-nes irritas decernimus & inanes, nul- liusque efficaciæ, roboris, vel momenti.

PET

PETRVS DE LVNA CARDINALIS, apostolicæ sedis Legatus.

Commendæ cessionum, reddituum, & rerum ecclesiasticarum, quæ in regnis Aragonum, & Nauarræ fieri secularibus solebant, tolluntur.

X E C R A N D A E alienationis abusum quo Prælati, & alia personæ ecclesiasticæ maxime in regnis, & terris ditioni regnorum Aragonum, & Nauarræ subiectis existentes, administrationem ecclesiistarum, & rerum ecclesiasticarum habentes, loca, vassallos, grangeria, & alias possessiones, decimas, primitias, redditus, prouentus, & iura, & bona alia ad ecclesiastas, ordines, & monasteria, seu alia pia loca, quibus præsunt, spectantia, personis secularibus sub colore, & titulo Commendæ, vt per eosdem ab aliorum oppressionibus defendantur, & alii confictis causis, propria auctoritate subiiciunt, & tributaria reddunt in perpetuum, vel ad tempus, cum sit ad Dei offensam & ecclesiistarum, ordinum, monasteriorum, locorum prædictorum graue damnum introductus, ac sacris canonibus prohibitus, & interdictus abhorrentes meritò, & reprobantes, vniuersos Archiepiscopos, Episcopos, Elecotos, Abbates, Priores, Magistros ordinum militiarum, Praeceptores, Commendatarios, & quoscunq; ecclesiistarum, & rerum ecclesiasticarum administratores maxime in terris, & regnis prædictis existentes, cuiuscunq; status, gradus, ordinis, vel cōditionis existant, sub excommunicationis pena monemus & hortamur, vt constitutiones in Lugdunensi, & Viennensi cōciliis super hoc editis, in Commendis iam factis de rebus suprà dictis, prospicuè attendant, & diligenter obseruent: quas Commendas sub interminatione anathematis de cætero fieri prohibemus. Nos enim si secùs actum, seu attentatū fuerit, id decernimus irritum, & inane.

E N N E C V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I -
episcopus in tertio concilio celebrato, anno Domini. M. CCCVI. Idib. Martii.

Excommunicantur qui de bonis, iuribus coniunctim, & indiuisim ad ordinacionem Tarraconensis prouinciae pertinentibus, quicquam ecclesiis aut ecclesiasticis personis particulariter, vel extra regias curias concedent, aut pollicebuntur. Si Capitula, collegia, aut conuentus id fecerint, à diuinis suspenduntur: & relaxatio Archiepiscopo in concilio prouinciali referuatur.

X A C T I O N E S calliditate quadam cōceptas, quæ interdum subtili ingenio ecclesiis, & ecclesiasticis personis, & eorum statui damnum afferunt, & reipublicæ tribuunt nōcumentum, quantum possumus amputare volentes, nos Enneecus consideratione diuina sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus, prouinciale concilium celebrantes, omnes & singulas personas ecclesiasticas nostræ prouinciaz, etiam pontificali dignitate præditas, quicquam de bonis, vel iuribus ecclesiis, vel ecclesiasticis personis, aut eorū hominibus

nibus coniunctim, & insimul pertinentibus ordinationi totius prouinciaz, dantes & concedentes, promittentes vel assignantes, aut spem concedendi vel assignandi permittentes, vel dantes alicui vel aliquibus ullo modo, casu, vel etiam ratione quantumcumque ardua, vel particulariter, videlicet extra curias, et concilia generalia, excommunicationis sententiaz, approbante sacro cōcilio, ipso facto decernimus subiacere. Capitula vero, collegia, & conuentus cathedralium, & aliarum ecclesiastarū, & monasteriorū quibus præsunt, si in præmissis culpabiles fuerint, suspendimus à diuinis: quorū absolutionem & suspensionis relaxationē nobis, vel successoribus nostris in prouinciali cōcilio, & nō aliās facienda referuamus.

D A L M A T I V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I -
episcopus in concilio celebrato, anno Domini. M.

CCCCXXIII. die Sabbati, quinto

Idus Decembris.

Monentur Prælati Tarraconensis prouinciae, vt curent obseruari superiores constitutiones à Petro, Enneco Archiepiscopis ad id editas, vt bona ecclesiastica conseruentur: quarum vna incipit QVIA REI, altera FEVDA, tertia CVPIENTES.

RERVM experientia edocente, plura censualia, ac redditus ecclesiasticorum beneficiorum in toto, vel in parte fuerunt deperdita & alienata: redditus diminuti, & iura alia defraudata propter præsidentium suis beneficiis incuriam, seu per mortem: multaq; incommoda, lites, & contentiones accidunt frequenter inter dominos, & feudatarios: cùm ipsorum feudorum recognitiones, potestates, siue potestats, & alia seruitia, & onera, quibus feuda subiacet, per longa tempora non petuntur. Pereunt similiter de facili iura dignitatū, & beneficiorum, si instrumenta & capibreua illorum conseruari negligantur. Hæc animaduertentes primo bonæ memorie Dominus Petrus prædecessor noster in secundo cōcilio per eum celebrato, in constitutione incipienti QVIA REI EVIDENTIA, statuit, & ordinavit, quod omnes Prælati, & alia personæ ecclesiasticæ tempore adipiscendæ possessionis suorum beneficiorū facerent inuentarium de omnibus inuentis, seu repertis in hospitiis, castris, seu aliis locis suarū dignitatum, officiorum, seu suorum beneficiorū: siue essent instrumenta, libri, capibreua, aut alia eorū dignitati, officio, seu beneficio pertinentia, & etiam noua capibreua infra lxx menses, à die pacificæ possessionis adeptæ facere tenerentur. Consequenter etiam Dominus Ennecus bonæ memorie prædecessor noster in primo cōcilio per eum celebrato duas edidit constitutiones, quarū vna incipit FEVDA VEL POTESTATES, per quam prouidet, quod Prælati & beneficiati quicq; ratione suarū dignitatum, vel beneficiorū feuda habentes, ea recognosci facerent, quotiens feudatarii innouarentur, & de quinquennio in quinquennium re-

L cipi

cipi potestates: altera incipit, C V P I E N T E S E C C L E S I A E , per quā salubriter ordinavit, quōd fieret in ecclesia qualibet cathedrali, collegiata, parochiali, aut simplici huius prouinciae liber, in quo instrumenta iurium tam dignitatis principalis, quām aliorum beneficiorum, & eorum onera conscriberentur: quæ quidem constitutiones ita laudabiles, vtiles, & accommodæ ecclesiis, personis, & beneficiis omni executione, & practica vsq; nunc vacua, quod dolentes referimus, remanerūt, non sine illas exequi omnitem culpa graui: qui vtilitatem ecclesiarum, & beneficiorū suorum indagare, & procurare multifariè sunt astricti. Quam obrem desiderantes tantæ culpæ, & desidiae prouidere, huius statuti vi- gore sacro approbante concilio monemus, & hortamur venerabiles fra- tres nostros Episcopos, & Prælatos nostræ prouinciae, eisdem districtiū iniungentes quatenus dictas constitutiones studeant totis viribus, quām citissimè poterint, exequi, obseruare, & obseruare facere in cōcuse: vt de talento eis tradito fidelem, cum requisiti fuerint, in omnibus reddere va- leant rationem.

D E E M P T I O N E E T V E N- ditione. Tit. VIII.

Declaratio apostolica, qua statuitur venditiones censualium iuxta morem patriæ licere.

NICOLAUS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sollicitudo pastoralis officii fores nostræ prouidentiæ pulsare nō definit, vt indemnitati, ac statui prospéro fidelis populi curæ nostræ coelitus cōmissi, iuris moderando rigorem, per opportuna prouisionis remedia, quātum ex alto nobis permittitur, salubriter consulamus. Sanè, sicut fide dignorum relatione dicimus, in regno Siciliæ, ac cæteris aliis dominiis, & terris charissimi in CH R I S T O filii nostri Alfonsi Aragonum, & vtriusque Siciliæ regis illuſtris, auaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas quorundam oculos adeò excæcauit, vsurariaq; prauitas illis in partibus in tatum excreuit, quōd incolæ, & habitatores partium illarum pecunis indigenes, eas vix aliter quām fœneratorū opera quasi inauditum fœnus exercentium consequi possint: & cum eas acceperint, si in tempore perceptas non restituant, breui eorum bona in insatiabili vsuraruī voragine miſerabiliter consumuntur: & quōd in dominiis, & terris ipsius regis vltra montes constitutis, videlicet regnis Aragonum, Valentiæ, Maioricarum, & principatu Cathalonie, & Comitatibus Rossilionis, et Ceritaniæ vniuersitates, & singulares personæ tam ecclesiasticæ, quām seculares huiusmodi pecuniis indigentes, vt cum minori incōmodo eas habere possint, per venditiones annualium censualium, quæ mortua nūcupantur, super domibus, possessionibus, & proprietatibus specialiter, vel etiam genera- liter

liter super omnibus bonis, redditibus, emolumenis, iuribus, & rebus eorum, mediante tamen instrumento gratiæ redimendi onera eorum, sibi vt plurimū prospicere, & consulere consueuerunt. Quod in prædictis eiusdem regis partibus, & regnis vltra montes constitutis non solū in longam consuetudinem, de cuius cōtrario hominum memoria non exi- stit, more vtentium deductum est, sed etiam per municipalia huiusmodi regnorū, & partium iura, per regem ipsum, seu eius prædecessores cum consensu trium brachiorum ecclesiastici videlicet, militaris, & regalis promulgata simpliciter confirmatum. Cum itaq; multis modis, & habi- toribus partium, & dominiorum eiusdem regis citra montes constitutorum indigentibus per huiusmodi censualium venditiones subueniri, ipsi q; à fœneratorū vsuris eximi possent: sed quia in hoc pecuniis abun- dantes dubitant vsurariam prauitatem committere, & sic eisdem indi- gentibus more præmisso succurrere formidant, in indigentū detrimen- tum, & fœneratorum eorundem euidens incrementum, pro parte eiudem regis afferentis ex subditis serenitatis sue quamplures grauium vsu- rarū voraginibus magnis haetenus penuriis exhaustos existere, alios quo- que in dies pecuniis egentes fœnore magis, ac magis opprimenti & vexari, nobis fuit humiliter supplicatum, vt eis paterno compatientes affectu, in præmissis de opportuñæ prouisionis ope succurrere: præfatasq; cen- sualium venditiones cum clausulis, & cautionibus ad earū validitatem inter venditores, & emptores mutuo consensu ineundis absque læsione conscientiæ in regnis Siciliæ, citra & vltra farum fieri posse debere de- cernere, & declarare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, pro debito ministerii pastoralis nobis diuinitùs iniuncti super his salu- briter prouidere, ac statui & indemnitatis incolarum & habitatorum regnum & terrarum dicti regis citra montes constitutorum præsen- tium, & futurorum, quantum cum Deo possumus, subuenire cupientes, & attendentes, quōd clero terrarum, & dominiorum ipsius regis vltra montes constitutorū, in suis olim indigentias per venditiones prædictorum censualium auctoritate apostolica pluries consultum, & prouisum fuerit, præfati regis in hac parte supplicationibus inclinati tam eidem regi, quām huiusmodi regnorū Siciliæ citra & vltra farum, cum omni- bus & singulis incolis, & habitatoribus, ac locorum, ciuitatum, & terra- rum vniuersitatibus præsentibus, & futuris huiusmodi censualia super rebus & proprietatibus suis, ac facultatibus & emolumenis earundem, instrumento gratiæ pro cōsimili pretio illas redimendi mediante, dummodo annualis census huiusmodi censualium decimam partem princi- palis receptæ, seu pretii eorundē non excedat, inter se contrahendi, ven- dendì, & emendi, cum opportuna contrahentium securitate, tuitione, & indemnitate, ac cum potestate vendentes personas, eorumq; proprieta- tes, redditus, iura, iurisditiones, census, & omnia et singula mobilia, & im- mobil

mobilia bona obligandi, & obligari faciendi: ac etiam quascunque alias obligationes, & submissiones cuicunque foro: necnon renuntiationes, promissiones, & stipulationes poenis, iuramentis, & aliis cautionibus valatas, & alia quæcunque, de quibus inter ementes, & vendentes huiusmodi censualia, conuentum, & in pactum deductum fuerit, plenam licentiam & liberam, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus facultatem: decernentes, & declarantes eosdem incolas, & habitatores, ac locoru, ciuitatum, & terrarum vniuersitates, censualia huiusmodi modo præmisso in regnis ipsis Siciliæ citra, & ultra farum inter se libere, & licet contrahere, ac vendere & emere posse: neque propterea usuriam prauitatem committere: dummodo ne aliâs, quam ut præmittitur, quodlibet annum censuale decimam partem principalis receptæ, seu pretii venditionis ipsius non excedat: & pensionibus, seu annualitatibus illorum in fortē non computatis pro totali redemptione præter principalem summam nihil ultra percipiatur ab emptore, vel exhibetur a venditore: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis apostolicis, necnon statutis etiam municipalibus, vel regalibus, & consuetudinibus ciuitatum, & terrarum regnorum prædicatorum Siciliæ citra & ultra farum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunq; firmate alia roboratis: etiâ si de eis facienda esset mentio specialis quæ haberi volumus, & habemus pro sufficenter expressis, ceterisque contrariis quibuscumq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ cœcessionis, constitutionis, & declarationis infringere, vel ei ausu temerario cōtrâ ire. Si quis autem hoc attētare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli se nouerit incursum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum. Anno Incarnationis dominicæ, M. CCCCLII. Pridie Cal. Octobris. Pontificatus nostri anno sexto,

DE LOCATO ET CON-
ducto. Tit. IX.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
in concilio quarto per eum Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCCXXXIII. decimo
octauo Calendas Februarii.

Statuitur ecclesiasticorum familiaribus mercedem petere non licere post mortem dominorum, nisi probauerint promissam: vel in ius viuentes dominos vocauerint.

STATUTUM, quod ii qui cum Prælatis, vel personis ecclesiasticis pro domesticis & familiaribus morantur vel morabuntur, post mortem dominorū suorum non possint petere salario, seu solidatā, nisi probauerint quod eis promissum fuerit salario, vel solidata, seu super remuneratione habenda pro servitio dominos viuentes conuerterint in iudicio, saltem citatione fecuta.

EN

ENNECVS ARCHIEPISCVS IN
primo concilio Tarracone celebrato, anno Dñi.
M. CCCXCI. Nonis Aprilis.

Qui contra immunitates ecclesiasticas domos ecclesiasticorū hospites per vim intromiserint, vel qui intromis̄i, postquam moniti fuerint, non abscesserint, excommunicantur, & publicari iubentur: veranturque prius absolui quam passo iniuriam satisfecerint.

RAESVMPTA temeritas nonnullorū abstinere nesciens à vetitis, nec debito modo gaudere permis̄is, dignè compellit officium præsidentis, vt ea, quæ frequenter à pluribus officiis temporalibus in personarum ecclesiasticarum præiudicium attentantur, censura ecclesiastica compescantur. Sanè licet priuilegiis principum, & aliis, hospitia Prælatorum, Canonicorum, & aliorum beneficiatorum à seruitutibus hospitum secularium dominorū immunita existant, tamē nonnulli regii Officiales, seu aliorum dominorū temporalium Posaderii per vim, & violentiam compellunt personas ecclesiasticas ad recolligendum curiales, vel alios venientes ad curiam, seu loca vbi tales officiales iurisdictionem exercent, ad instar secularium personarum pro libito voluntatis. Nos volentes huic morbo decenti remedio prouidere, sacro suadente cōcilio ordinamus tales Officiales, vel eorum vices gerentes, & hospites inuitis dictis personis domos prædictas intrantes, si moniti verbo vel scriptis, protinus dicta hospitia non exierint, per loci ordinarium excommunicationis sententia innodari: & excommunicatos in ecclesiis diebus continuis publicari: processus competentibus terminis aggrauando, donec dicta hospitia indemnia ab immisis hospitibus absq; redeundi animo fuerint relaxata: vel satisfecerint illi cuius est hospitium, vel moram traxerint in eodem, ad ordinationem sui superioris de damno, interesse, & iniuria, vt decebit.

DE PIGNORIBVS ET ALIIS
cautionibus. Tit. X.

IOANNES SABINENSIS LEGATVS IN
concilio Ilerdensi, anno Dñi. M. CXXIX.
Quarto Calendas Aprilis.

Non tenere censetur obligatio, qua quis dignitatē, quam obtinet, obligari: & qui obligarit, omni officio, & beneficio suspenditur: donec à sede apostolica impetrarit veniam.

Nec ecclesiis cathedralibus, & regularibus districtiis inhibemus, ne aliquis personatum, seu dignitatem suam, sicut de iure non potest, ita nec de facto pro aliqua summa pecuniæ præsumat aliquatenus obligare: decernentes ipsam obligationē non tenere: hanc poenā transgressoribus infligentes, vt quicunq; contra hanc

L 3 const

constitutionem venire præsumperit, ipso facto omni officio, & beneficio donec ab apostolica sede veniam impetraverit, sit suspensus.

ARNALDVS ARCHIEPISOPVS IN SE-
cundo concilio Tarracone celebrato, anno Domini.

M. CCCXXXVIII. Calen. Aprilis.
C.Presbyter. §. Nec ipse.

Ecclesiastica ornamenta Iudæo neque vendenda, neque pignori tradenda,
neque vt reficiantur credenda.

NEC ipse presbyter, vel alius calices & vestimenta diuino cul-
tui deputata Iudæo vendere, vel impignorare, vel aptāda, seu re-
ficienda tradere quacunq; ratione præsumat.

DE FIDEIVSSORIBVS. Tit. XI.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in primo concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCXCI.

Nonis Aprilis.

Obligationes principales, aut fideiussorias pro dominis temporalibus fa-
etas admissit non debere, nisi consentiente domino ecclesiastico.

OMPELLVNT domini temporales homines ecclesiæ
in suorum territoriorum limitibus populatos, pro viola-
riis, & censualibus obligare: ex quo damna plurima subse-
quuntur. Mandamus tales obligationes, siue principales, siue
fideiussorias per Officiales ecclesiasticos à modō nō admit-
ti: nisi prius suorum consensus interueniat dominorum.

DE TESTAMENTIS. Tit. XII.

RODERICVS ARCHIEPISOPVS IN
quarto concilio celebrato, anno Domini. M.
CCCV. octauo Cal. Martii.

Declaratur ex mero & puro officio, absque libelli oblatione, litis contestatione,
& absque strepitū, & figura iudicij, simpliciter & de plano, facti veritate cogniti,
super executionibus testamentorum, & relictis ad causas pias Archiepiscopum,
vel Episcopos visitationis officium exercentes, vel aliâs, posse inquire
& procedere eidēmque in restitutionibus usurarum fieri debere. Patetque hæc
constitutio ad negotia præterita, & adhuc pendentia.

RERICVLOS A E negligentiae, peruersæq; malitia hære-
dum defunctorum, & eorundem ultimarum voluntatum
executorum occurrere cupientes, & vt piæ voluntates de-
functorum effectum debitū sortiantur, nos Rodericus di-
uina miseratione sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepi-
scopus sacro approbante concilio statuimus, vt tam nos, & successores
nostrí

nostrí quām venerabiles fratres nostri Episcopi prouinciae Tarraconen-
sis, & eorum successores visitationis officium exercentes, & aliâs, quan-
docunq; nobis, & eis videbitur expedire, possimus maximè super execu-
tionibus testamētorum, potissimum circa relicta ad pias causas inqui-
rere, & procedere ex mero, & puro officio, absq; libello, oblatione, & li-
tis contestatione, & absq; strepitū, & figura iudicij simpliciter & de pla-
no: ipsaq; negotia, veritate cognita, incidentes, volūtates vltimas defun-
ctorum executioni debitæ demandare: cùm nihil tantum hominibus de-
beatur, quām vt extremæ voluntatis liber sit stylus, & liberum, quod
postea non redit, arbitrium: eademq; forma possit seruari super usur-
arum restitutionibus faciendis. Et licet hæc fuissent iam à iure permisla,
volumus quod præsens statutum non tantum futura negotia, sed & pra-
terita, & adhuc pendentia amplectatur.

GVILEMVS IN CONCILIO TARRA-
cone celebrato, anno Domini. M. CCC-
VII. Nonis Februarii.

Curandum Episcopis, vt quæ fratribus minoribus legata sunt, quæ ipsi ex
regula sui ordinis prohibentur accipere, in anniversaria, Missasque cele-
brandas conferantur, & quidem hæredum consilio eorum qui legauere.

VM in omnibus piis voluntatibus defunctorū sit per Epi-
scopos prouidentum, præcipimus vniuersis Episcopis pro-
uinciae Tarraconensis, quod quælibet in suis ciuitatibus &
dicecessibus donata quoque & assignata, seu legata fratribus
minoribus, seu eorum ordini pro anniversariis faciendis, seu Missis cele-
brandis, vel aliâs, quæ ipsis fratribus secundum eorū ordinem, regulam,
& professionem non licebit percipere vel habere, & quæ ipsi fratres ex
superioris præcepto extra manum suam posuerunt, vel ponere debue-
runt, à quibuscunq; & per quoscunq; detineantur, conuertere studeant,
cum hæredum defunctorum, qui prædicta dederunt, assignauerunt, vel
legauerunt, consilio: in anniversariis in aliis locis faciendis, vel Missis ce-
lebrandis, vel aliis operibus pietatis, voluntates ipsorum defunctorum, in
quibus commode poterunt, obseruando.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesiæ Tarraconensis in primo concilio
Tarracone celebrato, anno Domini. M.

CCCXIX. Quarto
Cal. Martii.

Declaratur nulli Prælato, Canonico, aut clero de rebus, aut bonis ecclæ-
siasticis, aut ecclesiæ beneficiorū me intuiri acquisitis hæredem qua-
lencunque instituere licere: eamque institutione testamenti irritam: cæ-
tera testamenti rara, & firma. Bona, quæ per eiusmodi institutionem hæ-
reditario relinquuntur, pauperibus IESV. CHRIS TI acquiri.

STAT

STATUTA, per quæ in Tarragonensi, & aliis diœcesis nostræ prouincia conceditur clericis, ut de bonis suis ecclesiasticis, seu intuitu ecclesiae acquisitis possint condere testamentum qualitercumque, & sub quibuscumque verbis ipsa statuta fuerint, declarantes, districtus inhibemus, ne alicui Prælato, Canonico, vel alii clero de rebus, vel bonis ecclesiasticis, aut ecclesiarum, vel beneficiorum suorum intuitu acquisitis liceat de cætero hæredem facere aliquem clericum, vel laicum extraneum, vel coniunctum. Si verò secùs per quenquam præsumptu fuerit, eius testamentum, quoad hæredis institutionem, eo ipso sit irritum & inane. Cætera verò relicta, disposita, vel legata per huiusmodi clericos seculares firma permaneant: dum tamen relicta non fuerint personis prohibitis, vel indignis. Bona autem, quæ ad institutum hæredem potuissent ex hæreditate huiusmodi, si non esset reprobata institutio, peruenire, ipso facto applicata, & acquisita esse volumus pauperibus Iesu Christi.

IDE M IOANNES IN CONCILIO SECUNDO Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-XXXI. pridie Calendas Februarii.
C. Vt hi qui. §. Sane.

Administratori sedis vacantis, vel Capitulo nō impedienda executio testamenti Archiepiscopi, vel Episcoporum: si testandi eo modo facultatem à fide apostolica obtinuerint. Occupata iubentur restituere recusarint, sunt excommunicati.

SANE quia frequenter Archiepiscopus, & Episcopi ex privilegio sedis apostolice testantur etiam de bonis intuitu ecclesiae acquisitis, vel aliter, quantum eis à iure permittitur, de bonis suis ordinant vel disponunt, caueant administrator, & Capitulum sede vacante, quod executionem testamenti, vel ordinationem, seu dispositionem factam canonice non impediant vel perturbent, nec aliquid scienter, malitiosè, vel dolosè occupent, vel occupari faciat de bonis defuncti Prælati, sed ea libere permittant executoribus testamenti Prælati defuncti, alioquin siqua de bonis ipsius Prælati defuncti, vt prædictur, præsumperint occupare, vel haec tenus præsumperunt, & infra mensem ex quo fuerunt requisiti etiam plenaria non restituerint executoribus supradictis, ipso facto sententiam excommunicationis incurant.

PETRVS IN TERTIO CONCILIO TARRACONE celebrato, anno Dñi. M. CCCLXX.

Septimo Idus Nouembri.

Excommunicatione interdicitur ne Vicarii generales, Officiales principales, Decani, vel Officiales foranei Episcoporum, vel aliorum Prælatorum bona defunctorum in pios usus expendenda, in usus proprios couertant.

Qui

Qui ob id in excommunicationem incurrerint, non antè absolui posse, quām satisfecerint, & iuxta defunctorum voluntatem eam pecuniam in pios usus contulerint. Absolutio ordinariis defertur.



VM nil sit tam naturale, quām voluntates vltimas defunctorum exequi iuxta votum eorundem, & nonnulli Vicarii generales, Officiales principales, & Decani, vel Officiales foranei Episcoporum, vel aliorum Prælatorum, seu Priorum, & Commissariorum eorundem, ad quos competit præfata executio de iure, vel approbata consuetudine, aut aliâs, aliquotiens in propriis usus conuertere non expueat, cum conuerti aut inter pauperes diuidi debent, iuxta ordinationem testatorum, nosq; huic abusu volentes occurtere, præfato approbante concilio ordinamus, ne aliquis prædictorum pecunias, seu bona defunctorum, quæ in pios usus existunt conuertenda, aut inter pauperes diuidenda, in propriis usus ipsorum conuertant: sed ea, deductis expensis & salariis moderatis, distribuant & distribui faciant secundum voluntates vltimas defunctorum. Alioquin Vicarios, & alios prænominatos sententiam excommunicationis volumus incurrire ipso facto: à qua non possint absolui, quousq; plenariam satisfactionem fecerint de prædictis, conuertendam in pios usus iuxta voluntatem, ut prædictetur, defunctorum. Quam absolutionem possint facere ordinarii, eorum satisfactione tamen præmissa.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, SEDIS apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato, anno Dñi. M. CCCXXIX. Nonis Nouemb.

Religiosorum bona decedentium, quibus à iure permititur de bonis testari, à Prælatis occupanda non esse, modo vt legitimè testati fuerint, & quæ Prælatis iure debentur, reliquerint. Hæc constitutio patet etiam ad clericos seculares.

CCL E S I A R V M Prælati bona decedentium religiosorum, quibus permisum est secundum statuta, vel secundum constitutiones de bonis à Deo collatis disponere, nullatenus audeat occupare: si per eosdem religiosos iuxta statuta, seu consuetudines prælibatas de bonis prædictis fuerit ordinatum: dum tamen in eorum dispositionibus suis relinquant prælatis, quæ debentur eisdem secundum statuta, vel consuetudines memoratas. Idem esse censemus de bonis clericorum secularium decedentium, qui iuxta iuris formam & provincialium, vel synodalium constitutionum sua ordinauerint testamento, vel vltimas voluntates.

HIERONYMVS DE AVREA ARCHIEPISCOPUS in concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. D. L. V. Calend. Februarii.

Decernitur in quaque curia auditionis testamentorum, aut officialatus, aut vicarius liberum destinandum, in quo scribatur principium cuiusque testamenti:

M nimis

nimirum testantis nomen in diocesi, legata ad pios usus reliqua, dies, atque annus, penes quem notarium sit testamentum, à quo codicillus, aut quæcunque ultima voluntas recepta: quo in libro, aut quopiam alio de executione cōstiter. Definitionē autem prius dandam non esse, quam testamentū adimpletum. Si secūs factū fuerit, in futurū esse irritum, inhabilem quoque ad quodcunque officiū exercendum fore eum, qui fecerit, & excomuni: atum.

V O N I A M non solum utroque iure, verum etiam per constitutiones provinciales per prædecessores nostros editas recte reperitur dispositum, ad officium Prælati pertinere voluntates defunctorum in reliquis ad piis causas debitæ executioni demandari, & haec tenus experientia docente incuria auditorum dictarum piarum causarum compertū est non solum in officio suo negligentia adhibita, intra tempus à iure præfixū per executores, & hæredes non adimpleri, verum etiam, quod est deterius, per dictos auditores, antequam adimpleantur, recipi debitum à iure stipendium, eoq; recepto, dictis manumissoribus, & hæreditibus definitiones fieri, & ita voluntates defunctorum imperfectas relinqui, ideo huic morbo de congruo volentes remedio prouidere, cum nil magis cōgruat pietati & religioni, quam reliqua defunctorū & ad piis potissimum causas adimpleri, sacro approbante concilio statuimus & prouidemus, quod de cætero in qualibet curia auditionis testamentorum, ybi propria illa reperitur, aliás in curia Officialatus, vel Vicarius, proprius deputetur liber, in quo per notarium, & dictæ curiæ scribam continuetur principium testamenti, putat nomen testantis in diocesi, legata ad pios usus reliqua, dies, & anni, & in posse cuius notarii fuerit testamentum, codicillus, vel quælibet ultima voluntas & dispositio recepta: & quod de executionibus eorum in dicto, seu alio libro appareat: & antequam dictæ piæ causæ fuerint debite adimpletae, nullatenus valeat per auditorem aliqua definitio fieri debentibus adimplere: decernentes, si secūs per quenquam auditorem factum fuerit, irritum & inane: ipsumq; nihilominus ad exercendum præfatum officium perpetuò inhabilem, & nunc pro tunc vinculo excommunicationis subiacere.

DE S V C E S S I O N I B V S AB INTE-
stato. Tit. XIII.

PETRVS ARCHIEPISCVS IN OCTAVO
concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.

C C X L. octauo Idus Martii.

Prælato mortuo, aut beneficiario bona eius ecclesiastica viris probis committenda iuxta ecclesiæ morem: sin more receptum non extiterit, duos diligendos, si is qui deceperit conuentui præfuerit. Si non præfuerit, ab Episcopo destitandi, qui infra decem dies adhibito tabellione, & testibus inuentariū confiant: qui si negligentes in eo fuerint duplo damnantur: si interuerterint aliquid, ac moniti non restituerint, excommunicantur. Episcopi autem monentur, dum viuant, inuentaria conficere.

CVM

V M non sine graui peccato quod suum non est, possit aliquis retinere, antiquum canonem H A E C H V I S P L A C I T I C O N S T I T U T I O N E, ad memoriam reducentes sacro approbante concilio statuimus, quod per mortem Archiepiscopi, Episcopi, vel alterius Prælati, seu beneficiarii Tarracensis provincie bona eius ecclesiastica ad manus aliquorū fide dignorum perueniant, secundum quod in ecclesia defuncti de consuetudine est obtentum: vel si consuetudo cessat, duo eligantur fide digni, si defunctus conuentui præferat, aut ab Episcopo diocesano, vel eius locum tenenti, si defunctus conuentui non præferat, deputentur: qui bona recipient supradicta, & infra decem dies administratores, seu procuratores, adhibito tabellione publico, & testibus ad hoc specialiter conuocatis, confiant de omnibus rebus defuncti mobilibus, & immobilibus, & se mouentibus inuentarium. Et, si per negligentiam hoc fuerit omissum, prædicti procuratores ad duplum teneantur. Si vero prædicti administratores, vel aliquis alius de bonis prædictis aliquid inuaserit, vel rapuerit, vel retinuerit fraudulenter, & legitimè monitus bona sic retenta sine diminutione non restituerit successori, auctoritate cōcilii se nouerit excommunicationis sententia innodatū. Admonemus eadem auctoritate Episcopos, & alios Prælatos Tarracensis provinciae, ut in vita sua, si commodè fieri poterit, de rebus prædictis confici faciant inuentarium. Hanc autem sententiam, vel illam de inuisoribus ecclesiasticis, vel rerum earum per constitutionem, quæ incipit O L I M A D P E R S O N A S A R C H I E P I S C O P I V E L E P I S C O P O R V M, extēdi nolumus vlo modo.

HIERONYMVS CARDINALIS ARCHI-
episcopus in concilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. D. LV.
Nonis Maii.

Decedentis Prælati ornamenta ecclesiis obueniunt.

V O N I A M ea, quæ semel Deo sacrata sunt, amplius in prophanos usus conuerti non debent, decernimus ut ornamenti pontificalia, quæ quilibet Præfulum huius provincie in propriis destinata usus habuerit, ea omnia, & singula, eis decedentibus, ecclesiis, quibus præferant, applicentur.

DE SEPVLTVRIS. Tit. XIV.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ierdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.
quarto Calendas Aprilis.

Prohibentur religiosi, ac clerici seculares ex pacto, vel ab aliarum ecclesiistarum parochianis decimas accipere, vel eos sepelire: idque si fecerint, quicquid ex huiusmodi pacto acceperint, restituere iubentur.

M 2 DIST

DISTRICTIVS inhibemus, ne aliqui regulares, seu religiosi, vel clerici seculares, in præiudicium parochialium ecclesiarum aliquod paætum faciant, ita quod alieni parochiani ipsis soluant decimas, vel apud ipsos eligant sepulturas: statuentes quod quicquid ratione huius paæti recipient, ecclesiæ parochiali restituere compellantur.

DE PAROCHIIS ET ALIENIS
parochianis. Tit. XV.

RODERICVS IN PRIMO CONCILIO
Tarragonensi celebrato, anno Domini. M.
CCXCI. Idibus Martii.

Qui alieno parochiano sacramenta administrat sine facultate Rectoris vel dicæfani, pœnam decem morabatinorum incurrit: exceptis sacramentis baptismi & pœnitentiae, idque tempore necessitatis.

VM ecclesiastica sacramenta sint ministranda per propriu sacerdotem iuxta canonica statuta, sacri approbatione concilii duximus prouidendum, quod nullus clericus præsumat quocunq; sacramentum ecclesiasticum alteri parochiano aliquatenus ministrare absque licentia proprii Rectoris, seu dicæfani, vel Officialis eiusdem. Qui verò contrarium temeritate propria, quæ lege damnatur, præsumperit attentare, pœnam decem morabatinorum dicæfano, vel ordinario, cui subesse dignoscitur, soluere compellatur. Volumus tamen, quod sacramentum baptismi, & pœnitentiae morientibus, tempore necessitatib; cogente extremæ, possit conferri & dispensari à quolibet sacerdote, memorata pœna in aliquo non obstante.

DE DECIMIS ET PRIMITIIS. Tit. XVI.

IOANNES SABINENSIS CARDINALIS,
Legatus in concilio Ilerdæ celebrato, anno Dñi.
M. CXXIX. quarto Calen. Aprilis.

Decimas & oblationes debitas à Iudæis & Sarracenis pro domibus, & possessionibus, quæ fuerunt Christianorum, solvi debere.

RAECIPIMVS, vt tam Iudæi quæ Sarraceni ad soluedum ecclesiæ decimas, & oblationes debitas pro terris, & domibus, & aliis possessionibus, quæ ad ipsos à Christianis quomodo cum deuenerint, per distictionem ecclesiasticam compellantur.

RODERICVS IN SECUNDO CONCILIO Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CCXCIII. Calendis Augusti.

Declaratur Sarracenis soluendas decimas fructuum noualium, quæ in possessionibus colunt Christianorū: cum antequam ea noualia colerentur, ecclesiæ soluerent decimas pascuorum nomine.

LICET

LICET in dubium verti non debeat, quod sacris canonibus est statutum, quidam tamen captantes ignorantiam affectata, vertunt in dubium, utrum de fructibus noualium, quæ Saraceni in mansionibus, aut terris dominorum Christianorū faciunt, decimas ecclesiæ soluere teneantur. Vnde nos Rodericus dubitationis huiusmodi materiam amputantes, sacro approbante concilio, declarando decernimus Sarracenos quoscunq; de prædictis noualibus decimas, & primitias debere ecclesiæ integrè soluere: sicut de fructibus aliarum possessionum, quæ fuerunt Christianorum, & ad culturam eorumdem Sarracenorū postmodum peruerent, præsertim cum de greibus, qui in montibus, & terris huiusmodi pascebantur, antequam ad culturam noualium redigerentur, decimæ & primitiæ ecclesiæ soluerentur: cum res eadem propter diuersitatem fructuum non debeat, quoad præstationem decimæ, diuerso iure censeri.

S A N C I V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I-
episcopus in tertio concilio per eum celebrato, anno
Domini. M. CCCCLIIII. quinto
Idus Decembbris.

Decimæ ac primitiæ pecorum & aliorum animalium, ac fructuum nomine integrè persoluenda, sine expensarū deductione, pro eo ac solui in quoque loco sunt solitæ. Qui non soluerit, excommunicatur. Absolutio Prælatis, & eorum vices gerentibus referuatur: à quibus mandari debet Rectoribus, & iis quibus cura animarū commissa est, ut quater in anno hanc constitutione curent publicari.

VM ad præstationem decimarum, & primitiarum tam iure diuino, quam humano quilibet teneatur, cum decimæ & primitiæ cibus sint egentium animarū, & quidam decimas, & primitias ecclesiæ & personis ecclesiasticis peruersis machinationibus substrahere moliantur: quidam ex eis semé deducentes, & sumptus qui fiunt in agricultura, & fructibus colligidens: alii verò decimas persoluentes non ad decimam partem, seu mensuram, sed ad vndecimam, duodecimam, aut aliam partem ulteriore in graue præiudicium ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, & ipsorum substrahentium magnum periculum animarū, propterea nos frater Sancius miseratione diuina sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus nolentes pati, ut iura ecclesiarum, & clericorū præsumptione aliqua minuantur, ac volentes talium substrahentium animarū prouidere saluti, approbante sacro concilio statuimus & ordinamus, quod quicunq; ratione prædictorum pecorum, aut pecudum, vel aliorum animalium, aut quorumlibet fructuum, vel aliarum rerum decimas ecclesiæ, & clericis exhibere tenentur, eas, prout tenentur, cum integritate persoluat absq; deductione aliqua sumptuum, vel expensarum: statuentes etiam sacro concilio approbante, quod primitiæ in locis, in quibus est eas assuetum solui, soluantur

M 3 integ

integre & complete, nulla expensarum aut sumptuum subtractione deducta ad partem illam, seu mensuram, aut quotam ad quam solitae sunt persolui omni fraude cessante. Alias qui scienter, vel malitiosè contrarium fecerint, excommunicationis sententiæ ipso facto volumus subiacere: quorū absolutionem nobis, & dicecesanis Episcopis, & nostris, eorumq; Vicariis, & Officialibus nostris, & suis principalibus, & eorū cuilibet specialiter referuamus. Volentes & mandantes omnibus & singulis Episcopis suffraganeis nostris, & eorum Vicariis, & Officialibus principalibus, quòd per Rectores ecclesiarum, & alios curam animarū tenentes, quater in anno, videlicet in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentheco- stes, & sanctæ Mariæ mensis Augusti, præsentem constitutionem faciant publicari, quando maior populi multitudo in ecclesiis suas conuenerit ad diuina. Dat. in sacro concilio Tarracone, anno Domini. M. CCCC- LIII. quinto Idus Decembris.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in concilio Tarracone celebrato, anno
Dñi. M. CCCCVI. Idib. Mar.

Constitutio à Sancio Arch. super publicatione eorum qui detinent decimas, aut primitias iubetur obseruari. Qui in ea obseruanda negligentes fuerint, decem solidis multantur, & quidem quoties negligentes fuerint: quorum dimidium fiscali Pralati addicetur, fabricæ sedis dimidiū: monenturque Officiales, ac cæteri, ad quos id facere spectat, eos qui decimas aut primitias interuerterint, aut detinuerint moniti, in ecclesiis denunciare excommunicatos, eoque vitando.

ICET in constitutione per bonæ memorie Domini fratrem Sancium Archiepiscopum Tarraconensem prædecessorem nostrum edita super solutione decimatarum, & primitiarum incipienti, CVM A D PRAESTATIO- NEM DECIMARVM ET PRIMITIARVM, salubriter sit prouisum, quòd Suffraganei nostri, & eorum Vicarii, & Officiales in quatuor festiuitatibus, videlicet Natalis, Paschæ Domini, Pentheco- stes, & beatæ Mariæ mensis Augusti, dictam constitutionem faciant quo- libet anno publicari, dum in eorum ecclesiis maior fuerit populi multi- tudo: quia tamen dicti Suffraganei nostri, & eorum Vicarii generales, & Officiales in his fuerunt negligentes, ex quo tenor prædictæ constitutio- nis ferè euanuit à mentibus subditorum, in ecclesiis & personarum ecclesiasticarum præiudicium atque damnum, propterea querela ad nos super his deducta approbatione sacri concilii statuimus, quòd Rectores, & Curati ecclesiarum prouinciæ Tarraconensis dictam constitutionem in dictis quatuor festiuitatibus publicè, alta, & intelligibili voce in eorū ecclesiis, dum maior populi multitudo ad diuina conuenerit, publicent, seu faciant publicari. Negligentes seu remissos in prædictis poenâ decem solidorum, quorum dimidium acquiratur Procuratori fiscali sui Prælati: dimid

dimidium fabricæ sedis eiusdem, pro qualibet defectu incurrere volu- mus ipso facto: iniungentes in virtute sanctæ obedientiæ Vicariis in spi- ritualibus generalibus, & Officialibus principalibus, ac foraneis, seu De- canis nostris, & dictorum Prælatorum, quatenus occupatores, detento- tes, & substractorē huiusmodi decimarū, & primitiarum, cum eis con- fliterit, & inde fuerint requisiti, debeat & teneantur per eorū Rectores districtiū facere nuntiari, & publicè excommunicatos, tandem donec fa- tisfactione præmissa absolutionis beneficium meruerint obtinere.

P E T R V S Q V A R T V S D E C A R D O N A
in concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. D. XXIX. quarto
Nonas Martii.

Si summaria habita informatione ordinarius cognoverit à laico quopiā, aut cle- rico decimas, aut primitias retentas, aut defraudatas, vel extra judicialiter reū etiam non vocatum iubetur monere, vt infra tres proximos dies integrè deci- mas, ac primitias soluat: nisi fecerit, citare, vt præfens declarari videat sè in cé- suras, & poenas sacrorum conciliorū Tarraconensium cōtra raptore, occupa- tores, ac inuaiores rerum ecclesiasticarum incidisse: ac si non paruerit, contra eum & quenque eius fautorem, velut ecclesiasticorū bonorum occupato- rem, & canonū violatorem procedere. Statuitur etiam vt in eius, qui primitias defraudarit præsentia celetur à diuinis, seruata forma contra inuaiores soluta seruari. Confessoribus etiam excommunicationis poena irrogatur, si quempiam eiusmodi primitiarū detentorem absoluuerint, excepto mortis articulo, nisi iis quæ detinuerint, restitutis. Quæ super his aliter facta, aut iudicata fuerint, irri- ta censentur: iubeturque publicari quater in anno hæc constitutio.

VA N V I S cunctis Christi fidelibus de vniuersis frugibus decimas atque primitias in signum veri imperii, & vniuer- salis dominii ab ipsa Mosaice legis traditione à Domino, cu- ius est plenitudo orbis terrarum, consecratas, & destinatas integrè solui debere sit de necessitate salutis iniunctum, idq; pater Abra- ham fecit, Iacob autem vovit, dominica etiam vox per Malachiam, ac etiam Euangeliū suum præceptis fieri opportere iubeat atq; ostendat, nihilominus tamen quorundam peruersorū hominum in tantum dam- nata processit ambitio, vt eas, suæ salutis immemores, prætenæ consue- tudinis, quæ corruptela potius censenda est in hoc casu, nefario quodam sacrilegoq; ausu sacris facer dotibus, quorum cibus esse debent, denegare, occupare, & usurpare, ac penes se pertinaciter detinere, & res Domini violenter rapere, atq; inuadere, ipsumq; Dominum, & creatorem in suis ministris impudenter offendere minimè vereantur in graue animarum suarum, eidēnsque discrimen, ac plurimorum scandalum manifestum: quod aliás fœlicis, piæq; memorie Leo Papa decimus, in suo sacro sancto moderniori Lateranensi concilio quām sit graue considerans, & diuini dignum animaduersione iudicii attendens, animarūmque saluti piissimi patri

patris more consulere volens, sanctorū patrum, & prædecessorum suorum vestigis inhærendo, & constitutiones canonicas ab eisdem editas innouando, dictas decimas & primitias solui statuit, decreuit & ordinavit: & nouissimis temporibus serenissimus atque inuictissimus D. D. Carolus diuina fauente clementia Romanorum, & Hispaniarū Rex catholicus, & Imperator electus, Christiani nominis cultor, & illius imperii propagator fœlicissimus, & defensor acerrimus per suā quandam aliam pragmaticam sanctiōne nuper per eum editam motu proprio, & ex eius certa scientia dicti D. Leonis constitutionem huiusmodi approbavit, illāq; sub magnis pœnis districtissimè, & inuiolabiliter obseruari voluit, decreuit, atq; mandauit, prout in singulis constitutionibus desuper emanatis pleniū cōtinetur. Cūm igitur dicti iniuitatis filii decimas, & primitias huiusmodi soluere recusantes, diuō testante Ambrosio, Deum & dominum nostrum abnegare credantur, & veram propterea secundum eum confessionem facere non possint, cum sacrilegii crimen cōmittant, æternæ damnationis incurvant iudicium, & conueniat huiusmodi pestifero morbo de opportuno prouidere remedio, cūm docente experientia iustè pro peccatis nostris affligamur, dicente Domino, quia mihi nō redidisti decimas; atq; primitias, iccirco in fame atque penuria maledicti estis, & maiores nostri ideo copiis abundabat, quod integrè eas Domino persoluebant: modò autem quia earū abscessit vſus, fisci successit apprehensio, & Domini indignatio, qui propter male partia iustè quæsita nobis auferri præcepit. Quare nos Petrus de Cardona, Dei & apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus Tarragonensis sacro nostro approbante concilio cupientes huiusmodi obuiare peccatis, & ecclesiarum, & subditorū nostrorum, vt tenemur indemnitati ac commoditati consulere, cūm ii qui dictas decimas atq; primitias de omni fructu pertinaciter soluere recusant, aut eas quomodolibet defraudent, in peccato mortali, & mora notoria existant, statuimus propterea, & hoc perpetuo valituero sancimus edicto, quod si quando alicui prouinciae nostræ ordinario, per summariam quancunq; informationem etiam ex eius officio extrajudicialiter, & parte etiam minimè vocata habitam constiterit aliquem laicum, vel etiam clericum, aut alterius cuiusvis ordinis, status, aut cōditionis, dignitatis, aut præminentiarū dictas decimas, atq; primitias ecclesiis, vel personis ecclesiasticis, ad quas earum perceptio, & exactio pertinebit, & spectabit, soluere recusare, eos omnes & singulos, & eorum quemlibet, quotiens id constiterit, vt præfertur, statim moneat, atq; requirat, quatenus infra tres dies immediate sequentes sub excommunicationis latè sententiæ pœna (quam nos in eos, & illorum quemlibet defraudantes, ex nunc prout ex tunc, & è contrà, in non solutionis euentū ferimus & promulgamus) dictas decimas, & primitias solui debitas, ac defraudatas, reiecta quacunq; contraria consuetudine, iuxta dicti Lateranensis statuta cōciliū

integ

integraliter soluant, & de eis prout tenentur, satisfaciant: aliás verò dicta tertia die ad videndum se in censuras, & pœnas sacrorum conciliorum Tarragonensium de inuasoribus, occupatoribus, & detentoribus rerum, seu personarum ecclesiasticarū declarari incidisse compareant: qui si distulerint, contra eos, & eorum fautores, consultores, auxiliatores, & consensum præstantes quoscunque, vti veros, & notorios bonorum ecclesiasticorum occupatores, detentores, & raptiores, ac sacrorum canonū violatores ad declarationē, & alia necessaria illico tribus diebus elapsis procedant: & in eorum præsentia excommunicatorū à diuinis vbiique omnino cessetur officiis, iuxta aliorum sacrorum nostræ prouinciae conciliorum contra inuasores celebratorū tenorem & formam: inhibentes vniuersis, & singulis dictæ prouinciae confessoribus, eisq; districtiū in virtute sanctæ obedientiæ, & sub simili excommunicationis etiam latè sententiæ pœna mandantes (cūm non dimittatur peccatum, nisi priùs restituatur ablatum) ne dictos excommunicatos in confessionibus priuatim, aut publicè audiant, neq; eis, præterquam in mortis articulo, satisfactio ne præmissa, si eam impendere potuerint, absolutionis beneficiū impariantur. Nos enim, sublata aliter faciendi, & iudicandi facultate quacunque, irritum, prout est, & inane quicquid in contrarium fieri contigerit, decernimus, & declaramus: huiusmodi præsentem constitutionē in Domini nostri Iesu Christi Natiuitate, & eius Resurrectionis, & sancti Ioannis, & Assumptionis beatæ Mariæ virginis festiuitatibus, aliás statutis annis singulis sub eadem pœna, per Ordinarios, & ecclesiarū Rectores in singulis dioecesibus, & ecclesiis publicari mandamus.

DE REGVLARIBVS ETC

transiuntibus ad religionem.

Tit. XVII.

PETRVS PRIMVS ARCHIEPISCOVS

Tarragonensis in primo concilio celebrato, anno Do-

mini. M. CCXXXIX. Decimo-

quarto Calendas Maii.

Monachi, & canonici regulares, qui habitu relieto ad seculum redierint, excommunicantur: & vt excommunicati iubentur nuntiari, & vitari.

TATVIMVS, quod monachi, vel canonici regulares, qui relieto habitu ad seculum redierint, & voto rationabiliter sunt astricti, nisi infra mensem ad claustrum redierint, & votum suum curauerint adimplere, suis beneficiis sint priuati vt apostolæ, & tanquam excommunicati ab omnibus euitentur, & excommunicati nuntientur diebus dominicis, & festiuis, & moneantur: & excommunicentur tam ipsis, quam conuersantes cum eis, & dantes eis consilium, auxilium, & fauorem.

N DE

DE STATV MONACHORVM,
& canonicorum regularium.
Tit. XVIII.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Dñi. M. CXXIX.
Quarto Calendas Aprilis.

Religiosi monentur secularium ephippiis abstinere : honestis & sibi decoris vti.

VONIAM viri religiosi siue monachi ad secularia , quæ dimiserunt, conuerti non debent,districtiūs prohibemus,ne in sellis,frenis,& pectoralibus,aut calcaribus secularia deferrant ornamenta : sed frenis , & pectoralibus, ac calcaribus vtantur simplicibus , non habentibus ornamento in corio : sellas autem nigras habeant,& simplices absque colore.

IDEM IOANNES SABI-
nensis in eodem.

Monachis vestitus prescribitur, & esus carnium.

STIMENTA non habeant scissa ante,vel retrō:& cuniculorum pellibus non vtantur:& de uno vestiario uestes,non denarios secundum ordinē accipient:feria quarta carnes non comedant, nisi festiuitas solennis occurrerit.

IDEM IOANNES SABI-
nensis in eodem.

Monachis nihil vt proprium habendum. Regularibus personatus in ecclesiis habentibus caendum,vt ne ordinis sui statuta non negligant. In ædibus,quas gerendis communib⁹ negotiis extra monasterium habent, diutiūs morandum non esse,quam requirant negotia.

MVM omnino sit illicitum regularibus,seu religiosis habere propriū,districtiūs inhibemus,ne quis religiosus quicquam proprium retineat, nec ecclesiam, nec hæreditatē, nec præstimonium habeat: nec sub annuo censu quomodolibet arrendationis,vel pignoris genere ad tempus, vel in perpetuū Prioratus,vel ecclesiās, domos, terras, aut vineas, seu quascunque possessiones ab ecclesia sua,vel aliunde recipiat,vel iam receptas detinere præsumat. Regulares quoque, qui personatus habent in ecclesiis cathedralibus, sic in suis administrent officiis, quod votum religionis , & ordinis statuta non negligant obseruare. Et si forte in ciuitatibus, vel villis, pro necessitatibus officii sui, domos habeant, in eis nequaquam relictō conuentu comedant, aut cubent de nocte : sed expletis administrationibus, seu necessitatibus officii,ad fraternalm societatem , & ordinis obseruantiam reuertantur.

IDEM

IDEM IOANNES IN EODEM.

Prohibentur monachi,& canonici regulares in ecclesia seculari curam animarum exercere.

NHIBEMVS districtiūs, ne quis monachus in ecclesia seculari curam animarū exercere præsumat.Hoc ipsum pari districtione canonicis regularibus inhibemus, nisi ex indulgētia sedis apostolice demonstrare valeant hoc sibi fuisse cōcessum.

HIERONYMVS CARDINALIS ARCHI-
episcopus in concilio Tarracone celebrato,anno
Domini. M. D. L V. Nonis Maii.

Religiosis,qui habitum mutauerint, à Prælatis,aut ordinariis permitti non debe-
re,vt curam animarum gerant: facultatem , quæ iūs data fuerit, irritam futurā.

T penitus vagandi,apostatandiq; religiosis omnis tollatur occasio,quos,experiencia docente,sub spe curatis beneficiis deseruiendi, de facili in ampliorem regulam habitum mutare,vagariq; inde,& apostatare contingit , sacro approbāte concilio decernimus dictis religiosis sic habitu mutatis per Prælatos, & locorum ordinarios huius prouinciæ nullatenus licen-
tia curam animarum regendi concedatur: decernimus irritum, & inane-
si secūs fuerit factum.

DE RELIGIOSIS DOMIBVS,
vt Episcopo sint subiectæ.
Tit. XIX.

PETRVS ARCHIEP COPVS TARRACO-
nensis in secundo concilio Valentiæ celebrato,anno
Dñi. M. C CXL. octauo Idus Maii.

Excommunicatione interdictur clericis alterius prouinciæ , quam Tarraconensi-
fis nouorū altarium edificatione, & iurisdictione in prouincia Tarraconensi.

SATVIMVS quod si aliquis clericus de prouincia aliena in nostra dicecesi siue prouincia , & specialiter in regno Va-
lențiæ, altaria de nouo edificauerit, vel iurisdictionē sibi ali-
quam usurpauerit,in nostri præiudicium vel grauamē,ipsum
auctoritate nostra , & sacri concilii ex tunc quasi ex nunc excommuni-
cationis sententiæ subiacere.

SANCIVS TARRACONENSIS ARCHIEPI-
scopus in concilio Tarracone celebrato,anno Dñi.
M. CCCXXX. Calendis Maii.

Bis in anno iūs reddenda ratio coram Episcopo & Capitulo , qui in ecclesiis regularibus administrationem habuerint. Quod superfuerit , in hon-
estos vſus insumendum.

N 2 STAT

STATUTUM VIMVS quoque, quod omnes qui in ecclesiis regularium nostrae prouinciae administrationis exercent officium, siue ratione dignitatis, siue alio nomine, de receptis, & expensis ex administratione sua bis in anno rationem redditant in capitulo praesente Episcopo & Capitulo: ut fidelitas eorum, qui bene administraverint, meritò commendetur, & omnis tollatur suspicio, & malae dispositionis occasio praescindatur. Et, si quid superfluerit de prouentibus dignitatis, siue administrationis, de consensu & voluntate Episcopi, & Capituli in bonos usus, & necessarios expendatur.

DE CAPELLIS MONACHO-
rum. Tit. XX.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPI-
scopus in primo concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. C C X X X I X. Decimo
quarto Calendas Maii.

Judices, & aduocati literati conuenire prohibentur, ut vistæ in mona-
steriis interficiantur.

PRÆCIPIMVS & mandamus omnibus iudicibus, & ad-
uocatis literatis, ne conueniant, vel interficiant alicui vistæ, quæ
fit vel fiet in monasteriis, vel grangiis religiosorum: & hoc sub
pœna excommunicationis praecipimus, & mandamus.

DE IVRE PATRONATVS. Tit. XXI.
IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdae celebrato, anno Domini. M. CXXIX.
Quarto Calendas Aprilis.

Qui à patrono laico minimè praesentarus Episcopo, curam tamen anima-
rum exercuerit, excommunicatur: si monitus perstiterit, à ministerio, &
ordine ecclesiastico deponitur.

DE ecclesiis, in quibus clericos patronus laicus praesentare co-
temnit Episcopo ad curam animarum, statuimus, quod si quis
clericus sine auctoritate Episcopi dicecesani, vel Archidiaco-
ni loci, ubi in talibus ius habet Archidiaconus, in praedictis ec-
clesiis curam exercere animarum, & ipsas auctoritate patroni officiare
praesumat, monitione premissa, excommunicetur. Et, si perstiterit, à mi-
nisterio ecclesiastico, & ordine deponatur, sicut ex constitutionibus tam
Lateranensis concilii, quam Domini Alexandri noscitur institutum.

IDE M IOANNES SABI-
nensis in eodem.

Si is ad quem spectat praesentare Episcopo, infra terminum à iure constitu-
tum non praesenterit, institendum ab Episcopo clericum perpetuum,
qui parochialis ecclesiae curam gerat.

DIST

DISTRICTE praecipimus, quatenus in omnibus ecclesiis parochialibus, in quibus infra terminum à iure praefixum, ab illis ad quos pertinet, dioecesano non fuerit clericus praesentatus ad curam animarum, ipse dicecesanus in eadem ecclesia clericum perpetuum instituat, nec ulterius ipsam parochialem eccliam viduam permanere permittat.

PETRVS PRIMVS IN SEXTO
concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. C C X L V I.
Calen. Maii.

Quantumvis in ecclesia parochiali praesentatus quis fuerit, ei tamen administra-
re non licere statuitur: nisi ab Episcopo administrationem accepit: si admi-
nistrarit, iure, quod habet, priuari: & eum qui sit ab Episcopo institutus, à nemini-
ne, nisi ab eodem Episcopo posse remoueri.

STATUTUM VIMVS, quod nullus clericus institutus, vel praes-
entatus in parochiali ecclesia à clero, vel laico, in eadem
administrate praesumat, quousque à dicecesano Episcopo cu-
ram in eadem ecclesia receperit animarum: consuetudine
cōtraria non obstante, quæ potius dicitur corruptela. Qui-
cunque autem contraria fecerit, ipso facto iure, quod habet, vel habere cre-
dit, in ecclesia sit priuatus ea vice: data potestate dicecesano remouendi
institutum, seu etiam praesentatum. Nihilominus statuimus, quod insti-
tutus, & confirmatus per Episcopum nullo casu valeat ab alio, quam à
suo Episcopo remoueri.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRI-
nus in primo concilio celebrato, anno Domini.
M. C C C X X I X. Quarto
Calen. Martii.

Monentur, qui praetextu patronatus parochiales ecclesiæ occupant, ut eas
disponendas Prælati permittant: nisi fecerint, excommunicantur. Tam-
en si iuri patronatus, quod habent, nihil derogatur.

VIA in aliquibus locis nostræ prouinciae laici parochiales
ecclesiæ occasione iuris patronatus, quod in eis habere se
afferunt, vel aliás, detinent occupatas, monemus huiusmodi
laicos, ut infra duos menses dictas ecclesiæ omnino dimittant
per locorum ordinarios, seu alios ad quos pertinet, liberè disponendas.
Alioquin tam illi qui nunc dictas ecclesiæ detinent, quam qui postea
præsumperint detinere, nouerint se excommunicationis sententiæ sub-
iacere, non obstante consuetudine aliqua, quæ dicenda est potius corru-
ptela. Per hoc autem nolumus habentibus ius patronatus, in iure præ-
sentandi in aliquo derogare.

N 3 IDEM

IDEM IN EODEM.

Qui per potentiam, vel impressionem cuiuscunque secularis se curauerint per patronos præsentari, aut sibi conferri beneficia, aut eiusmodi collationi, aut præsentationi consenserint, excommunicantur, & ea vice inhabiles ad beneficia obtainenda redduntur.

STATUTIVVS ut clerici seculares, vel regulares, qui per potentiam, vel impressionem cuiuscunque secularis personæ se per patronos ad ecclesiastica beneficia procurauerint præsentari, aut sibi conferri, prouideri, vel eligi ad eadem, aut ad hoc literas, nuntium, vel mandatū impetraverint, aut fecerint impetrari, seu tali præsentationi, collationi, prouisioni, vel electioni cōsenserint, aut ratam habuerint, excommunicationis sententiam eo ipso se nouerint incurrisse: & inhabiles fiant ad obtainendū dicta beneficia ea vice.

DALMATIVS ARCHIEPISCOPVS TARRA-
conensis in concilio celebrato, anno Domini. M.
CCCCXXIII. Nonis Decemb.

Superior constitutio sancte iubetur obseruari: cui additur quemuis clericum ex communicationis poenam incurrire, si beneficium ecclesiasticum sive seculare, sive regulare per arrendamentum, aut in titulum, aut commendam accepit, præterquam ab eo qui ius habeat, vel legē, vel priuilegio, vel more conferendi, aut præsentandi: & absolui non posse, nisi beneficio eiusmodi in manibus ordinarii resignato, & fructibus, quos percepit, restitutis: inhabilem quoque reddi ad quoduis beneficium obtainendum, obtentisque priuari. Quæ poenæ patent etiā ad eos, qui præterito tempore, vel beneficia aliter obtinuerint, vel fructus percepient, quād suprā est expressum, nisi infra quatuor mēses penes ordinarium, in cuius erunt diœcesi, beneficia resignauerint, & fructus restituerint. Quatuor autem menses fluere incipere à publicatione huius in hoc concilio constitutionis.

SONSTITUTIONEM Domini Ioannis Patriarchæ prædecessoris nostri bonæ memoriar, incipientem ST A-
TUTIVVS VT CLERICI SECULARES,
VEL REGULARES, nouiter recensentes, ut iuri consonam in uiolabiliter præcipimus obseruari. Et ut quorundam tam religiosorum, quād secularium clericorum ambitio, quæ quo semper plus ambit, eo magis insatiabilis redditur, compescatur: eidem salubriter adiungentes statuimus, & hoc sacro approbante concilio ordinamus, quod si aliquis à modō clericus cuiuscunque religionis, præminentia, vel status existat, aliquid seculare, vel regulare ecclesiasticū accipiat beneficium, quo cunque nomine censeatur, per viam arrendamenti, vel in titulum, seu in commendam, aut aliās, quo cunq; quæ sito colore, nisi per manum illius, cuius est beneficium, vel illius ad quem collatio à iure, priuilegio, vel consuetudine pertinere noscatur, seu illius, qui aliās in possessione conferendi, vel præsentādi existat, eum excommunicationis sententiā incurrire volumus ipso facto: à qua nisi prius dictum benefic

De censibus. Tit. XXII. 103

beneficium sic de facto obtentum in manibus sui ordinarii resignauerit, vel dimiserit cum effectu, & fructus etiam ex eo, qualiter cunq; receptos illi, ad quē pertineat de iure, restituerit, realiter sine fraude, absolvi nequeat quoquo modo: & ad dicta beneficia, vel quæcunq; alia obtinenda prorsus inhabilis, & insufficiens censeatur: & aliis quibuscunq; beneficiis iam obtentis priuatus existat sine admissione aliquali totaliter pari modo. Ad illos autem, qui beneficia ecclesiastica, vel eorum fructus receperint temporibus retroactis, aliter quād superiū est expressum, nisi infra quatuor menses in manibus illius ordinarii, in cuius diœcesi erunt dicta beneficia cōstituta, resignauerint, & fructus restituerint, vt superiū est expressum, præsentis cōstitutionis editū omnimodè extendatur, & pœnis eisdem sine dubio sint ligati. Verū quia ea quæ in sacro concilio ordinantur, leguntur, & publicantur, satis in tota videntur prouincia esse nota, prædicti quatuor menses hac salubri constitutione contenti, à die qua dicta constitutio in præsenti fuerit concilio publicata, currere volumus ista vice.

DE CENSIBVS. Tit. XXII.

Archiepiscopus, & Episcopi prouinciae Tarragonensis à summo pontifice momentur visitare, ac reformare monasteria monachorum, monialium, & canonicorum regularium, & secularia loca clericorum, tam in capite, quād in mēbris: idque tum sua, tum apostolica auctoritate.

REGORIVS Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopo Tarragonensi, & suffraganeis eius salutem, & apostolicam benedictionem. Egressus a facie Dei Sathan ad fortia manū mittens, de sua calliditate confisus, vitorum vinculis illaqueare molitus in sorteī dominicam euocatos: maiores ibi parās ille tortuosus insidiator insidias, vbi grauiores prospexit corruptelas. Sanctū cūm frequenter ad nostram audientiam peruenisset, quod monasteria Tarragonensis prouinciae in spiritualibus enormiter, & in temporalibus grauiter per malitiam, & iniuriam in eisdem habitantium sunt collapsa, nos culpas eorum nolentes vltérius sub dissimulatione transire, ne, si eas dimiserimus incorrectas, ipsas nostras efficeremus videamur, monasteriis illis, quæ ad Romanam ecclesiam nullo noscuntur medio pertinere, in prouincia constitutis prædicta, visitatores, reformatores, & correctores, tam in capite, quād in membris deputauimus speciales: plenaria sibi potestate concessa, ut visitatores eadem monasteria vice nostra corrigant, & reformat, quæ in ipsis correctionis, & reformationis officio nouerint indigere: correctionibus aliis in prouinciali capitulo rite factis in suo robore nihilominus duraturis. Licet autem nobis in plenitudinem potestatis assumptis, cura cunctorum immittat generalis, quia tamen vos qui vocati estis in partem sollicitudinis, super grege vobis cōmisso specialiter decet esse sollicitos & attentos, ne ouis

ouis morbida pereat à pastore neglecta , fraternitatē vestram monemus & hortamur, & attente in virtute obedientiæ vobis distictè præcipiendo mādamus, quatenus singuli vestrum tam in ciuitatibus, quam in dicecessibus vestris per vos ipsos, aut per viros religiosos, qui experimento rerum in huiusmodi visitationibus sint instructi, loca monasteriorum, & monialium, & Canonicorum regularia, necnon & secularia clericorum vobis subiecta visitare curetis, tam auctoritate nostra, quam vestra generaliter vniuersa reformantes, & corrigentes in capite, ac in mēbris, omni gratia & timore postpositis, in eisdem quacunq; reformanda noueritis, & etiam corrigenda. Saluis his quæ circa religiosos in prouinciali capitulo prouidē sunt statuta, iuxta constitutionem concilii generalis. Contradictores siqui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticā, appellatione postposita, compescendo: præceptum nostrum taliter impleturi, quod Dominus vltionum in illo tremendo iudicio, qui vnicuique secundum opera sua reddet, de vestris manibus non requirat sanguinem eorum: & nos ad id litam correctionis apostolicæ apponere nō cogamur.

Datum Reate IX. Cal. Octobris. Pontificatus nostri, anno Quinto.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesiæ Tarraconensis in primo concilio
celebrato, anno Dñi. M. CCCXXIX.
quarto Calendas Martii.

Prælatis visitationis officium exercentibus canonica statuta seruanda: & gratis visitandæ ecclesiæ quibus reditus, quos illæ habent, sunt necessarii. Qui pro Arch. aut Epis. visitabit, prohibetur numerum evectionum Archidiaconis taxatum excedere. Quod si is, aut Archidiaconus pro procuratione sua in casu à iure concessio pecuniam accipere voluerit, quatuor solidos Barcinonenses, aut tres Iaccenses vt accipiat, permittitur. Si vel numerum evectionum, vel plus pecuniæ, quam prefixum est, acceperit, visitationis officio suspenditur, quoad duplum eius, quod contra statutum acceperit, ecclesiæ restituerit.

RAELATIS, quibus competit ex suo officio visitare, distictè præcipimus, vt visitationis officium exercentes, statuta canonica super hoc edita diligenter obseruet: & ab ecclesiis, quarum omnes reditus, & prouentus sunt necessarii pro seruilio earūdem, procurationem non exigant: sed gratias teneantur visitare easdem. Ille insuper, qui pro nobis, vel aliquo Episcopo visitabit, numerum evectionum taxatū Archidiaconis non excedat: & tam ipse, quam Archidiaconus quicunque, cui ex officio competit visitare, si pecuniam pro procuratione sua in casu concessio à iure recipere voluerit, recipiat quatuor solidos Barcinonenses, vel tres solidos Iaccenses pro qualibet evectionum quas duxerint, & nō vltra: & si evectiones ultra prædictum numerum ad expensas ecclesiarum, quas visitabunt, duxerint, vel ultra prædictam quantitatem pro vnaquaq; evectionum,

num, & pecuniam receperint, præter alias poenas à iure statutas ex officio visitationis, donec duplum eius, quod contra præsens statutum expperint, vel receperint, ecclesiis sic grauatis restituerint cum effectu, nouerint se suspensos; nulla eis dantium remissione liberalitate, seu gratia profutura. Præcipimus etiam Archidiaconis, & aliis visitantibus, ne venentur, nec aues, aut canes venaticos præsumant ducere contra canum instituta.

ARNALDVS IN PRIMO CONCILIO

Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-

X XXXVI. C. Fuit. §. Item
mandetur.

Episcopis, atque iis, quorum visitare interest, euigilandū in emendandis clericorum moribus: & in visitando, sacrorum canonum seruanda statuta.

TEM mandetur Episcopis, & aliis, ad quos pertineat, quod circa reformationem morum, & correctionē vitiorum, præfertim in clero tam in visitationibus, quas nullatenus facere omittat, quam in aliis vigilanter intendant. In quibus quidem visitationibus statuta canonum diligenter obseruent: cauentes attente, ne in recipiendis procurationibus grauenter subditos, ne videantur quære quæ sua sunt, non quæ CHRI STI.

ENNECVS IN SECUNDO CONCILIO

Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-

XCV. Duodecimo Calendas
Decembri.

Ecclesiasticis siue exemptis, siue non exemptis quotam partem expensarum, quæ pro negotiis prouinciae communibus fiunt, soluere recusantibus constitutionum præsidium admittitur: donec eam partem simul cum expensis integrè soluerint.

VRIS alloquo non est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat. Et cùm nonnulli veri ecclesiastici exempti huius prouinciae Tarraconensis, qui præsidio cōstitutionum prouincialium defenduntur, in talliis contributionibus, quæ fiunt in conciliis Tarraconensisibus pro negotiis communibus prouinciae partem suam soluere contradicunt, sacro approbante concilio statuimus, quod quicunq; exempti; & non exempti soluere in dictis talliis de cætero cōtradixerint, præsidio dictarum cōstitutionum nullatenus iuuentur: nec Officiales nostri, vel Suffraganeorum nostrorum ad eorum instantiam processus aliquos dictarum constitutionū facere teneantur: donec partem per illos cōtradicentes soluere in ipsis talliis cōtingentem yna cum expensis integraliter soluerint, & complete.

Q DE

DE CELEBRATIONE MISSARVM, ET
sacramento Eucharistiae, & diuinis officiis,
Tit. XXXIII.

PETRVS PRIMVS IN TERTIO CONCI-
lio per ipsum Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCXLII. tertio Idus Maii.

Sacerdotes prohibentur vno, & eodem die plures missas celebrare: nisi die natalis Domini, quo tres celebrare licet: & vrgente necessitate, cum duas: quoad summus Pontifex consulatur. Qui hoc statutum transfligerint, excommunicantur, & beneficio, & officio priuantur. Altera autem missam celebraturus vetatur vinum profusionis post sumptionem corporis, et sanguinis dominici sumere.

VIA aliqui sacerdotes plures celebrant missas contra canonicas sanctiones, inhibemus quod nisi in Die Natalis Domini, tres missas nullus audeat celebrare: quod si fecerit in excommunicationem incidat ipso facto, & officio, beneficioq; priuetur. Duas verò toleramus, siue tolerando permittimus una & eadem die, quando vrgens necessitas fuerit, celebrari: quousque Dominum Papam super eodem negotio consulamus. Necesitatem siquidem declaramus, quando vnicus sacerdos habet duas ecclesiastias, quarum una dependet ab alia: & altera illarum non potest habere proprium sacerdotem, vel sunt tenues: nec parochiani propter distantiam locorum, vel aliam rationabilem causam possunt cōmodè ad alteram cōuenire, et in aliis casibus à iure concessis. Quandocunq; verò duas missas celebrare contigerit, sacerdos caueat ne post sumptionem sanguinis in prima missa vinum profusionis accipiat: quod si fecerit, eadem die non poterit missam aliā celebrare.

G V I L M V S A R C H I E P I S C O P V S I N
conilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCVII. Nonis Februarii.

Rectores ad sacerdotium promoti, infra tres menses proximè subsequentes celebrare missam iubentur: qui promouebuntur, infra tres menses etiam à promotione: alioqui fructibus ecclesiarum suspenduntur, nisi legitimū impedimentum quieverint excusare: cuius fidem oportet faciant Diocesanum infra eos tres menses: vt eius consilio à celebratione abstinuisse videantur. Postremò monentur omnes, quām frequentissimè fieri poterit, missam celebrare, iuxta generalis concilii decretum.

LERIQUE parochialium ecclesiarū Rectores prouinciae Tarracensis, metu pœnæ, cum aliās essent priuati eisdem ecclesiis ipso iure, pridem ad sacerdotiū promoti fuerunt infra tempus à canonibus institutum, nunquam tamen missam in ipsis ecclesiis, vel alibi celebrarūt: nec quod celebrare non possent, impedimentum aliquod allegarunt, fraudem prædictis canonibus facientes: qui pro celebranda missa statuerūt principaliter eos debere ad sacerdotium

dotium promoueri: nec attendentes naturæ, & rationi esse congruum illos non recusare onera, qui rerum cōmoda amplectuntur: iccirco nos Guilelmus miseratione diuina sanctæ Tarracensis ecclesia Archiepiscopus Tarracone prouinciale concilium celebrantes statuimus, eodem concilio approbante, quod omnes prædicti Rectores ad sacerdotium iam promoti, missam celebrent infra tres menses proximè subsequentes: & qui de cetero ad sacerdotium promouebuntur, infra alios tres menses à tempore, quo promoti fuerint, computados: alioquin à receptione fructuum dictarum ecclesiarū (qui per ordinarios in ecclesiarum ipsarum necessaria conuertātur) auctoritate præsentis statuti nouerint se suspensos, nisi iusto impedimento detenti, quod ex culpa non prouenerit eorundem, de quo infra dictos tres menses proprio Diocesanō fidem facere teneātur, & de consilio eiusdem Diocesani duxerint abstinentiam. Et quia generale concilium grauiter reprehendit minores etiam clericos, & Prælatos qui vix celebrant quater in anno, statuimus quod ipsi rectores, & omnes alii prædicti missas celebrent, quām frequentissimè posterint, cōmodè & honestē: ita quod circa missarum celebrationē, quæ eis incumbit ex officio, non possint notari negligentes, seu nimium delicati.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRI-
nus in primo concilio celebrato, anno Domini.

M. CCCXIX. Quarto
Calen. Martii.

Vt Rectores, quīque dignitates, vel beneficia obtinent decies saltē in anno missas celebrant, decernuntur: alioqui, quoad decies celebrarint, fructibus suspenduntur: qui conferri iubentur in ecclesiarum utilitatem.

VIA nonnulli minùs prouide attendentes, quod propter officium sunt beneficia ecclesiastica instituta, vix, vel nunquam missas celebrant in ecclesiis quas obtinent, seu in quibus institutæ sunt dignitates, & beneficia, quorum ratione celebrare tenentur: iccirco sacro approbante concilio statuentes præcipimus, vt omnes & singuli parochialium ecclesiarum Rectores, & quiuis alii dignitates, vel beneficia, quocunque censeantur nomine, nunc, vel in posterum obtinentes, quorum ratione missas celebrare tenentur, in ipsis ecclesiis, et altaribus, in quibus sunt huiusmodi dignitates, vel beneficia, decies saltē in anno missas celebrent: nisi absentia, vel alia iusta causa ad arbitrium Diocesani proprii, eos reddat probabiliiter excusatos. Quisquis autem huiusmodi salutaris statuti temerarius extiterit violator, à perceptione fructuum, & prouentuum ecclesiae, vel dignitatis, vel beneficii huiusmodi, donec decies, vt prædictur, celebrando moram purgauerit, nouerit se suspensum: qui per Diocesanū ipsum in utilitatē ipsius ecclesiae, dignitatis, vel beneficii penitus conuertantur.

O 2 ARN

ARNALDVS ARCHIEPISCOPVS IN
primo concilio Tarracone celebrato, anno
Domini. M. CCCXXXVI.

Decernitur literas ab Archiepiscopo mitti Episcopis oportere: quibus moneantur curādum esse, ut constitutiones olim sub libertate ecclesia editæ obseruantur: diuinumque in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis officium fiat: quod à canoniceis, ceterisque qui ecclesiis deseruit, piè, & sine murmure celebretur.

VIT in præsenti concilio ordinatum, quod mandetur literatorie per Dominum Archiepiscopum omnibus Episcopis prouinciae Tarraconensis, quod constitutiones olim editas in concilio Tarraconensi, & specialiter sub libertate ecclesiæ conferuanda, obseruent, & faciant obseruari: & quod faciant, & fieri faciant diuinum officium in cathedralibus, regularibus, & collegiatis ecclesiis per Canonicos, & alios quoscunq; beneficiatos in dictis ecclesiis, horis debitiss, sine murmuere, & aliis contabulationibus, solenniter, & deuotè: in aliis verò conuenienter, ac debite celebrari: compellentes ad hoc dictos Canonicos, & beneficiatos, prout ad eorum spectat officium.

SANCIUS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in quarto concilio Tarracone celebra-
to, anno Domini. M. CCCLVII.

Missa constituitur sexto die post diem festū sacrofæcti Corporis Dominicæ, pro eorum animabus, qui idem sacrofæctum Corpus fuerint comitati, in omnibus ecclesiis omnium diocesum celebrandæ: imponiturque singulis sacerdotibus, vt quotannis missam sigillatim ad eudem finem celebrent, aut per alium carent celebrari. Si festum Corporis Domini in Dìi Ioannis perugiliū incederit, eodem carnes edi, in præcedentemque diem ieiuniū mutari iubetur.

NON incongruum reputamus vt nos, qui iam naturali instin-
tu ad laudem, & honorem diuini numinis obligamur, per
quem viuimus, mouemur, & sumus, ac frui sua cœlesti semp-
terna gloria speramus, ad id donis spiritualibus propensiū
inducamur. Propter reuerentiam, & honorem igitur sacratissimi Cor-
poris IESV CHRISTI, quod in plerisq; locis minùs reuerenter
portatur (cuius laudes propter bona tam spiritualia, quā temporalia
quæ humano contulit generi, nec mens cuiusquam possit concipere, nec
lingua proferre) approbante sacro concilio statuimus, vt in nostra ec-
clesia Tarraconensi, & in aliis ecclesiis cathedralibus nostræ prouinciae,
& in omnibus aliis ecclesiis diocesum prædictarū, sexta die post festum
sacratissimi Corporis Christi missa solenniter, ac honorifice celebretur
pro animabus illorum, qui dictum sacratissimum Corpus Christi, cùm ad
infirmos portatur, sociauerint cum cereis, vel aliâs, impendendo eidem
reuerentia, deuotionem pariter, & honorem. Omnes insuper Rectores
ecclesiarū, & presbyteri eiusdem prouinciae anno quolibet, incipiendo à
dicto

dicto festo usq; ad sequens proximum, pro salute animarum dictorū af-
ficiantium Corpus Christi, iusto tamen impedimento cestante, vñā mis-
sam quilibet per se habeat celebrare, vel per alium faciat celebrari: adi-
cimusq; quod si dictum festum Corporis Christi, in vigilia sancti Ioannis
occurrit celebrandū, precedingenti die ieiunium sancti Ioannis mutetur,
& obseruetur, prout de die sacro Natalis Domini a sacris est canonibus
obseruatū, & definitum: & die Corporis Christi, impunè comedî carnes.

PETRVS IN SECUND O CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCCLXVII.

Quadragesima dies pœnitentia pro peccatis iniunctæ relaxatur sacrofæctam Eu-
charistiam comitantibus: & piè Deum flexis genibus orantibus, cùm eleuatio
Corporis dominici pulsatione campanæ denunciatur: & iis, qui prolatis his ver-
bis à fæcerdote GRATIAS AGAMVS, &c. piè in hunc modū orauerint,
Domine IESV CHRISTE fili Dei viui, meritis tuæ sacratissimæ passionis
misericordia miserere mei. Episcopi monentur vt ea id ē in suis diocesibus indulgentias
concedant. Hæc constitutio omnibus in ecclesiis bis quotannis publicanda.

AD diuinum excludendum obsequium, reuerentiam tam debitā,
quā deuotam sacratissimo Iesu Christi Corpori impenden-
dam, cœlestemq; iram placandam, ac Dei misericordiam fa-
cilius obtinendam, cupientes clerum, & populum donis spi-
ritualibus propensiū animare, vniuersis & singulis Christi fidelibus in
Tarraconensi prouincia constitutis, qui Eucharistiam, quæ ad infirmos
pro communicando defertur, associauerint eundo ad ecclesiam, ac re-
deundo, quadragesima dies de iniunctis eis pœnitentia pro qualibet vice,
seu actu huiusmodi prædictorum, & subscriptorū misericorditer in Do-
mino relaxamus. Quam quidem remissionem, & indulgentiam ad illos
etiam extendi volumus, qui cùm pulsatur in ecclesiis squilla pro sacra-
tissimi Corporis Christi eleuatione, flexis humiliter genibus deuotè ora-
uerint, ac magnificauerint nomen Dei: necnon ad illos qui prolatis per
presbyterum in canone Missæ verbis, GRATIAS AGAMVS,
flexis genibus verba protulerint humiliter infra scripta [Domine Iesu
Christe fili Dei viui, meritis tuæ sacratissimæ passionis miserere mihi
peccatori] ad præmissas remissiones, & indulgentias cōcedendas in suis
diocesibus venerabiles fratres nostros Episcopos in Domino exhortan-
tes. Et vt ad prædicta clerus, & populus facilius inclinentur, & ne igno-
rantia super ipsis prætendi valeat, præsentem constitutionem bis in an-
no, scilicet in festo Nativitatis, & sanctæ Resurrectionis Domini in ec-
clesiis cathedralibus, & aliis curatis totius prouinciae per Rectores, &
perpetuos Vicarios, seu loca tenentes eorundem in virtute sanctæ obe-
dientiæ perpetuò præcipimus, cùm maior multitudo populi ad diuina
conuenerit, publicari.

no. Constitut. Prouinc. Lib. III.

ENNECVS ARCHIEPISCPVS TARRACO-
nensis in primo concilio Tarracone celebrato, anno
Dñi. M. CCCXCI. Nonis Aprilis.

Cum cantici, TE DEV M L A V D A M V S, versiculus, TE ER GO Q V A E S V M V S, accinuit, flectentibus genua quadraginta dies relaxantur penitentiae pro peccatis iniunctae: itemque lumen accensum tenentibus, dum sanctissimum Corpus, & Sanguis Iesu Christi eleuantur. Quas indulgentias Episcopi monentur concedere in suis dioecesibus.

E D E M P T I O N I S nostræ memoriam recensentes, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumq; interitum interisse, vt redemptionis misericordiam sentiamus propitiæ, & in tot aduersitatibus clero subueniat penè lapso, sacro approbante cōcilio ordinamus, quod dum dicitur Canticum TE DEV M L A V D A M V S, in versu TE ER GO Q V A E S V M V S, humili corde genu flexio semper fiat in tota nostra prouincia: vt Dei auxilia deuotiū postulentur. Et cuilibet genua tunc flectenti, & etiam iis qui lumen in manu tenuerint, dum sacratissimum Corpus Christi in Missa, & calix Sanguinis Domini per presbyterum eleuantur quadraginta dies de iniunctis sibi penitentis in quolibet trium actuum in Domino relaxamus: ad præmissas remissiones, & indulgentias concedendas in suis dioecesibus venerabiles fratres nostros Episcopos in Domino exhortantes.

P E T R V S T E R T I V S T A R R A C O N E N S I S
Archiepiscopus in concilio celebrato, anno Do-
mini. M. C C C C X I I I .
Tertio Idus Martii,

Constitutio Sancii Archiepif. cuius initium est, NON INCONGRVVM, iubet sancte obseruari, indicique populo Missa die memorata post festum Corporis dominici celebranda. Qui ei interfuerint, iis quadraginta dies penitentiae iniunctæ relaxantur. Monentur Episcopi ad huiusmodi indulgentias concedendas. Sexta dies memorata, ob impedimenta, in primam post octauas commutatur, & in insequentem, si quid impedimenti habuerit.

V I A in constitutione prouinciali per bona memoriae dominum fratrem Sancium prædecessorem nostrum incipienti NON INCONGRVVM REPVTAM V S, fuit sancte & deuote statutum, vt in nostra ecclesia Tarraconensi, & in aliis ecclesiis cathedralibus nostræ prouinciæ, & in omnibus ecclesiis dioecesum prædictarum sexta die post festum sacratissimi Corporis Christi Missa solenniter, & honorifice celebraretur pro animabus illorum, qui dictum sacratissimum Corpus Christi, cum ad infirmos portatur, sociauerint cum cereis, vel aliâs impendendo eidem reuerentiam, deuotionem pariter, & honorem &c. & dicta constitutio non seruetur, vt percepimus, vt decet, parumq; pro sit statuta promulgari, & mandata fieri, nisi de eorum obseruatione arceantur debite transgressores, ic

De cele. miss. &c. Tit. XXIII. m

res, siccirco sacro approbante concilio mandamus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis Suffraganeis nostris, Rectoribus, & Curatis quarumcunque ecclesiarum prouinciæ nostræ, quatenus dictam constitutionem omnimodè seruent, & faciant obseruari. Adiuentes eidem quod Rectores, & Curati in die festi memorati huiusmodi facienda solennitate denuncient plebibus suis. Et vt eò deuotiū ad interessendum in dicta missa Christi fideles inclinentur, quod vberiori dono gratiæ conspexerint se refectos, ob reuerentiam dicti sacratissimi Corporis Christi omnibus verè penitentibus, & confessis qui dictum missæ officium celebrabunt, & in eo intererunt, xl. dies de iniunctis sibi legitime penitentiis in Domino misericorditer relaxamus: ad similes indulgentias concedendas dictos Suffraganeos nostros in eorū dioecesibus etiam exhortantes. Et, quia sexta dies in constitutione præfixa frequenter plenisque de causis recipit impedimentum, statuimus approbatione dicti sacri concilii, quod huiusmodi fiat officiū prima die post octauas festi ipsius: quæ si impedita fuerit, ad sequentem non impeditam infallibiliter transferatur.

D AL M A T I V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I-
episcopus in concilio celebrato, anno Domini. M.
C C C C X X I I I . Quinto
Idus Decemb.

Prælati monentur semel, vt minimum, in hebdomada missam celebrare: Canonici, & qui ratione beneficiorum non coguntur, semel in mense: Canonici & beneficiati nondum ad sacerdotalem dignitatem promoti, quater in anno sacro, sancta Eucharistiam sumere. Beneficiatos quoque, & in sacris ordinibus constitutos suum habere debere breviarium ab Episcopo ordinatum: & neminem diaconum debere ordinari, nisi qui peritus fuerit officii dicendi decernitur.

V I A inter diuina officia missarum celebrationis, propter excellentiam & reuerentiam sacratissimi Corporis, & Sanguinis Iesu Christi, non decet Prælatos, nec alios presbyteros diutiū obliuisci, in cuius sacramento vitæ suffragium consequimur & salutis, cōstitutionibus bonæ memoriæ prædecessorum nostrorum super his editis inherentes, sacro approbante cōcilio, monemus, & horrarum venerabiles fratres nostros Episcopos, Abbates, Priors, & alios Prælatos, quatenus semel saltem in qualibet hebdomada: Canonicos verò, & alios Presbyteros, qui ad maius seruitium non tenentur, nec celebrare ratione suorum beneficiorum obligantur, vel si obligantur, faciūt per alium deseruiri, ad minus semel quolibet mense missas celebrent quantum poterint honeste pariter & deuote: cæteros verò Canonicos, & beneficiatos non presbyteros quater in anno saltem, videlicet in Nativitate Dñi, in festo Paschæ, Pentecostes, & Assumptione beatæ Mariæ cōmunicent infallibiliter, & deuote, legitimo impedimento cœfante: quod ad eorundem dioecesorum arbitrium penitus remittatur.

P E T.

112 Constitut. Prouinc. Lib. III.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, SEDIS
apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato,
anno Domini. M. CCCXXIX.
Nonis Nouembris.

Huius constitutionis summa superioris argumento continetur.

NE diuinæ seruitutis pñsum, quod de fructu labiorum suorum offerre tenetur quilibet clericus, ecclesiasticum beneficium possidens, vel in sacris ordinibus constitutus, dum per occupationes alio conuentui ecclesiae interest non valeat, ex defectu breuiarii omittatur, prouidè duximus statuendum, vt per locorum ordinarios beneficiati prædicti in sacris ordinibus constituti ad habendum propria breuiaria infra tempus ipsorum Ordinariorum arbitrio moderandum coërtione districta cogantur: nullusque de cætero in diaconum ordinetur, qui non habeat breuiarium, & in practica, & peritia diuinum officium faciendi per examen reperiatur idoneus.

IDE M I N E ODEM CONCILIO.

Non præbendum sacramentum Eucharistie sanis, nisi in ecclesiis locisque specialiter ad id designatis: agros domum quidem deferendum, sed accensis luminibus, & quam poterit honorificissimè. Adhuc nec sacramentum baptissimi in priuatis ædibus conferendum, nec missa pro nuptiis, vel sepulturis, vel nouis nuptiis celebranda.

Sicut omnibus vnum est, & aequaliter efficax sacrū Eucharistiæ sacramentum, sic esse debet modus ministrandi vnu omnibus, & conformis cum debita ceremonia, & reverentia singulari. Eapropter ne ipsum sociare, & venerari volentibus lucrandi meritum, & cōcessæ indulgentiæ substrahantur, statuimus quod nemini sano per domos priuatas, vel capellas sacramentū Eucharistiæ ministretur, sed ipsum sanis in ecclesiis, & certis locis ad hoc deputatis, vel etiam specialiter deputandis: ad infirmos verò ab ipsis ecclesiis deferatur accensis luminibus honorifice, & decenter. Cæterum præsenti salubri sanctiōne prohibemus ne in domibus priuatis sacram baptismus alicui conferatur, sed Clementina super hoc disponēs obseruetur efficaciter, neque etiam missa pro nuptiis, vel sepulturis, vel nouis nuptiis in priuatis domibus celebretur.

D E B A P T I S M O E T

eius effectu. Titulus

XXIII.

PETRVS ARCHIEPISOPVS IN SEXTO
concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
C CLX V I, Calendis Maii,

Sarrac

De baptismo &c. Tit. XXIII. 113

Sarracenorum baptissimum postulantum excutiendus animus, & probandus: si siynerus viuis fuerit, baptizandi.

VIA intelleximus quod aliqui Sarraci captiui sicut veniunt ad baptismū, vt possint iugum euadere seruitutis, statuimus, vt cùm Sarraci huiusmodi ad ecclesiam causa baptizādi conseruerint, diebus aliquibus per Rectorem ecclesiæ conferuentur: vt cognoscant utrum in tenebris ambulent, vel in luce. Et si perseuerauerint in proposito baptizandi, eisdē ulterius baptissimus non negetur.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in primo cōcilio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCXCI.

Nonis Aprilis.

Infantes, cum baptizantur, tenendos à susceptoribus, dum verba sacramenti proferuntur.

VITANTES quæ docente experientia, solent in submergendas infantibus in sacro fonte baptismatis sp̄ius euenire, iubemus in fontibus huiusmodi per patrinos, seu suscipientes eosdem teneri: & baptizandos cum aqua, proferendo verba decentia per Curatos, seu eorum loca tenentes, tantummodo balneari.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, APO-
stolicæ sedis Legatus in concilio Dertusæ celebrato,
anno Dñi. M. CCCXXIX.

Nonis Nouembris.

A Iudaismo conuersi censuris cogendi, & inuocatione brachii secularis, si opus fuerit, vt filios suos infra octo dies à nativitate current baptizari: monenturque domini temporales, vt ecclesiasticis iudicibus adsint.

NAVDIT A crudelitas nostrum pulsauit auditum, quod nonnulli à iudaismo, vel paganica cætitate conuersi infantes suos, quos per sacram baptismi lauacrum eripere possent, damnablem negligentia, vel iniuria subesse permittunt iugo diabolice seruitutis. Iccircō locorum ordinariis districte præcipiendo mādamus, quatenus parentes huiusmodi per censuram ecclesiasticam, aliaque iuris remedia districte compellant, quatenus infra octo dies ab ipsorum infantium nativitate numerandos, sacram eos percipere faciant baptismatis sacramentum, omni prorsus excusatione, & dilatione semotis: in his districte, & rigidè procedendo per aggrauationem censuræ ecclesiasticæ, & etiam, si opus fuerit, inuocationem brachii secularis. Monemus insuper, & sub intermissione diuini iudicij obtestamur omnes dominos temporales, quatenus ecclesiasticis iudicibus in præmissis consistentes adiutores, & cooperatores existant auxiliis, & remedii opportunitis.

P. HIER

114 Constitut. Prouinc. Lib. III.

HIERONYMVS CARDINALIS, ARCHI-
episcopus Tarracoñ. in concilio celebrato, anno
Dominii. M. D. L V. Nonis Maii.

Curatis conficiendi duo libri, quorum in altero baptizandorum, paren-
tam, susceptorumque nomina scribantur: in altero morientium.

VVM negligentia Curatorum libris baptismorum, & de-
functorum carentium in sua parochia grauia damna, simul
& scandala fuerint secuta, sacro cōcilio approbante statui-
mus de cetero, quod quilibet Rector, Vicarius, & curā ani-
marum in prouincia habens & regens, in sua parochia duos
teneat libros, in quorum altero nomina, & cognomina baptizandorum,
parentumque eorum, ac patrinorum, & patrinarum, diemq; , & annum
quo fuerint baptizati: in altero vero obitus annum, & alia necessaria in-
tegre, & cum effectu scribat. Poena contrā facienti excommunicationis,
& pecuniaria quinquaginta solidorum pro qualibet vice constituitur.

DE CVSTODIA EVCHARISTIAE,
Chrismatis, & aliorum sacramentorum, vasorum,
& indumentorum ecclesiasticorum.

Titulus XXV.

IOANNES SABINENSIS, LEGATVS APO-
stolicus in concilio Ilerdæ celebrato, anno Domini.
M. CXXIX. quarto Cal. Aprilis.

Quæ deseruiunt cultui diuino, munda seruanda: Chrisma, oleum, Eucharis-
tia, & altare consecratum cautè custodienda: sacramentum Eucharistiae
honorifice deferendum. Harum rerum cura Episcopis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris delegatur: qui si in transgressoribus huius sta-
tuti puniendis remissi fuerint, Decani quidem plectendi, & castigandi ab
Episcopis: si Episcopi, à concilio Tarraconensi.

RAECIPIMVS vt ecclesiæ, & omnia oratoria vasa diuini
mysterii, pallæ altaris, & corporalia, vestimenta ministro-
rum munda, & nitida conseruentur: Chrisma, oleū, & Eucha-
ristia cautè seruentur, clauibus adhibitis: necnō & altare con-
secratum diligenter seruetur cautela, ne in aliquod prædictorum manus
temeraria se extendat pro aliquibus nefariis exercendis. Sacra quoq; Eu-
charistia ad infirmos cum campanilla, et lucerna honorifice deportetur,
& singulis octo diebus renouetur. Vt autem ea omnia quæ pro extirpan-
da clericorū incontinentia, & pro ipsorum vita, & honestate refor-
mandæ, necnon & ea quæ pro munditiis ecclesiarum, & eorum quæ ad diu-
num cultū pertinent, ea quoq; quæ pro fideli custodia Chrismatis, olei,
Eucharistiae, & altarium piæ, & prouide statuta sunt, irrefragabiliter ob-
seruentur, præcipimus vt Episcopi, Decani, & Archidiaconi, & Archi-
presbyteri circa eorundem obseruantiam curam adhibeant diligentem.

Nam

De obseru. ieiu. Tit. XXVI. 115

Nam pro transgressionibus subditorum ab ipsis de cetero culpa requi-
retur, & poena: nec se poterunt excusare, dicentes Nos monuimus, nos
corripuimus, nisi subditorum suorum correctionem possint ostendere,
aut poenam eisdem impositam. Horum autem, scilicet Decani, Archi-
diaconi, vel Archipresbyteri negligentia si in præmissis inueniatur, siue
defectus, ab Episcopo puniatur: ipsius autē Episcopi negligentia, vel de-
fectus, à metropolitano, vel prouinciali concilio sic distictè puniatur,
quod poenam correctione subsequatur.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesiæ Tarragonensis in concilio Tarra-
cone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XXIX. Quarto Calendas
Martii.

Clericis mundities ornamentorum diuino cultui deseruientium injungitur,
& hostiarum conficieadarum: negligentibus poena viginti solidorum ir-
rogatur, in ecclesiæ ornamenta conferendorum.

NT per corporalem munditiem spiritualis mundities designe-
tur, præcipimus quod clerici, quibus hoc ex officio competit,
ecclesiæ, altaria, vestimenta, & alia ecclesiastica ornamenti
munda teneant, lauent corporalia, & hostias faciant per se
ipsos, vel per clericos hæc fieri faciant. Contrarium vero facientes poe-
nam viginti solidorum visualis monetæ, conuertendam in ornamenti
ipsius ecclesiæ, sine remissione aliqua, se nouerint incurrisse.

DE OBSERVATIONE IEIVNIO-
rum. Tit. XXVI.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRI-
nus Archiepiscopus Tarragonen. in cōcilio celebra-
to, anno Domini. M. CCCXXIX.
Quarto Cal. Martii.

In ieuniis ab ecclesia institutis carnium esu interdicitur, nisi urgente nece-
ssitate, nec tum quidem nisi in abscondito. Confessores autem prohiben-
tur aliter facultatem dare edendarum carnium.

ROHEMVS districtus sub poena excommuni-
cationis, & maledictionis æternæ, ne aliquis, cuiuscunq; sta-
tus, seu conditionis existat, in ieuniis per ecclesiam institu-
tis, & præcipue in quadragesima carnes comedat: nisi ne-
cessitate cogente, & tunc etiam id erit in abscondito. Confes-
sores autem religiosi, vel seculares, qui, præterquam in casu necessitatis
urgentis, licentiam alicui dederint carnes in dictis ieuniis comedendi,
grauioris subiaceant disciplinæ.

P 2 DE

DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS,
& domibus earum reparandis.

Tit. XXVII.

ARNALDVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in primo concilio Tarracone celebrato
anno Domini. M. CCCXXXVI.

Ecclesiarum hospitia habitationi commorantium instauranda,
& adaptanda.



OSPITA dignitatum, & aliorum quoruncunq; benefi-
ciorum, quæ reparatione indigent, faciant Episcopi reparari,
& condiretē teneri: & in ecclesiis cathedralibus, & collegia-
tis hospitia non residentium, residentibus commodari.

DE IMMUNITATE ECCLESIA-
rum. Tit. XXVIII.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.

Quarto Calendas Aprilis.

Qui eos ab ecclesiis extrudunt, qui eò tanquam ad asylum profugerunt, ex-
communicati denunciandi, & condigne satisfacere cogendi: poenam au-
tem sacrilegii dependere, si per Mauros extrusserint, eisdemque seruituti
subiictere, vel eorum pretium persoluere debere statuitur.



N figuram ecclesiastice libertatis Dominus in veteri testa-
mento ciuitates refugii dignoscitur ordinasse. Et quoniam ec-
clesiarum immunitatem quidam ausu temerario infringere
non verentur, cōfugientes ad ecclesiā compedibus, aut vin-
culis in ipsis ecclesiis stringentes, per subtractionem viētū illos ad ex-
eundum compellentes, seu per Mauros, aut excōmunicatos Christianos
ab ecclesiis extrahentes, præsentis auctoritate concilii ducimus statuen-
dum, vt omnes qui talia commiserint excōmunicati denuntientur, vsque
ad satisfactionem condignā. Qui verò per Mauros ab ecclesia Christianos
abstraxerint, & condigne satisfaciant, & sacrilegii poenam exoluant:
& Mauros illos, per quos ecclesiæ Dei prædictum dederint dedecus, &
iniuriam intulerint, ecclesiæ violatæ seruituti subiiccent, vel ipsi reddat
ecclesiæ pretium eorūdem, si absolutionis beneficiū voluerint obtinere.

RODERICVS IN TERTIO CONCILIO
celebrato, anno Dñi. M. CCXCIII.

Tertio Idus Auguſti.

Qui inflammerint principes, vel seculares potestates, consilium, vel pa-
trocinium, instrumenta, vel alia documenta dederint contra ecclesiās,
excommunicantur, & beneficiis priuantur.

QVO



VORVNDAM oculos ita excæcat abitio, vt temporali-
bus cōmodis inhiantes, plus temporali maiestati, quām eter-
næ saluti placere studentes libertatem, & immunitatem ec-
clesiaſtaſcā, quam ipſi tenentur defendere, lādere ac minuere
moliantur, inflammando principes, & potestates ſeculares, ac vniuerſi-
tates locorum, ſeu Rectores eorum, eisdemq; impendendo conſilium, &
patrocinium: necnon ecclesiārum, à quibus beneficia recipiunt, exhibē-
do & tradendo instrumenta, & alia documenta contra ipſas, & perſonas
ecclesiasticas, ac ipſarum homines, & bona, ac priuilegia, & etiam liber-
tates: & iccirco cupientes vt ecclesiæ in plenitudine iuris ſui, & libertatis
integritate lātentur, ac detestabilis malignorum audacia, & insolentium
temeritas nefaria propulſetur, ſacro approbante concilio ſtatuumus, vt
quicunque Prælati ecclesiastici, vel perſonæ religioſæ, vel ſeculareſ quo-
runcunque ordinum, conditioniſ ſeu ſtatus exiſtant, palām vel occulte
principes, vel ſeculareſ potestates, vel vniuerſitates locorum, aut Recto-
res eorū inflammerint, vel eis conſilium, vel patrocinium ſcienter de-
derint, vel ecclesiārum, in quibus beneficia obtinent, abſq; expreſſo con-
fensiū ſui Pralati, & Capituli, vel Conuentus exhibuerint, vel aliās tradi-
derint instrumenta, vel alia documenta contra ipſas ecclesiās, monaſte-
ria, vel loca religioſa, aut iura, vel bona, aut priuilegia, immunitates eorū,
vel libertates, in excommunicationis ſententiam incident ipſo faſto: &
nihilominus beneficiū, quæ habuerint in ecclesiās, vel locis, quæ ſic ſcien-
ter, vel fraudulenter lāferint, perpetuō ſint priuati.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesiæ Tarracensis in concilio ſecundo
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-
XX XI. Pridie Cal. Februarii.

Domini temporaleſ, quīque iū ſauuerint, etiam ecclesiastici excoommunicantur, &
excommunicati iubentur publice denuntiari, ſi vlla ratione prohibuerint,
quominus fructus, qui ecclesiasticis debentur, liberè educantur ē ſua diſione,
ac domino, vendanturque eorum, quorum ſunt, arbitratu.



ICE T iniquum ſit diſpositionem bonorū ſuorum liberam
ingenuos homines non habere, vt teſtantur expreſſe legitimæ
ſanctiones, quorūdam tamen temporale dominiū obtinen-
tium præſumptuoſa temeritas ſic excreuit, quod fructus, qui
ex beneficiis ecclesiasticis proueniunt, ſeu habentur, de locis, dominio,
ſeu iuriſdiſtione ſubiectis extrahi non permittūt: nec clerici, ſeu perſonaſ
ecclesiastice eisdem fructibus liberè vti poſſunt: nec pro eorum utilita-
tibus, ſeu neceſſitatibus liberam alienationē facere de eisdem: imò ipſos
quandoque in certis locis, & certo pretio prædicti, ſeu qui ex cauſa em-
ptionis, ſeu aliā ipſos fructus percipiunt, nomine eorūdem habent in-
uiti vendere, nec eosdem poſſunt de loco ad locū transferre liberē: quod

P 3 cedit

cedit in ipsorum clericorum, ac personarum ecclesiasticarum, & ecclesiistarum maximum detrimentum. Nonnulli etiam eorundem retrodecimam, seu aliam certam partem de fructibus, quos homines ecclesiarum, & locorum ecclesiasticorum colligunt cum maximis laboribus, & expensis, ab ipsis hominibus inuitis indebet exigunt & extorquent, in suarum graue periculum animarum. Vnde cum nostro incumbat officio predicata, quæ exemplo perniciosa sunt, ac periculosa etiam animabus, & contraria libertati ecclesiasticae, de Tarragonensi prouincia penitus extirpare, sacro approbante concilio ea fieri de cetero prohibemus: quoscunque, qui aliquid fecerint de praemissis, etiam si clerici fuerint, seu ecclesiasticae personæ existant, & dantes ad ea consilium, auxilium, vel fauorem, excommunicationis sententia innodamus. Ordinariis nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ iniungentes, vt cum eis constiterit aliquos in excommunicationis sententiam incidisse, eosdem excommunicatos faciant publicè nuntiari: nec eisdem absolutionis beneficium impendant, donec à predictis destiterint, & de dannis per eosdem predicatorum occasione illatis satisfecerint competenter: præcipientes etiam quod hoc statutum faciant in ecclesiis suarum diocesum, in quibus eis vtile videbitur, solenniter publicari.

IDE M IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINUS in quarto concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCXXXIII. I. Decimo octauo Calend. Februarii.

Iudem domini temporales, si prohibuerint quominus ecclesiasticis domus, horrea, ac vasa locentur, ut ipsi minimo ab ecclesiasticis possint fructus emere, excommunicantur, & exigente contumacia, à Prælatis iubentur aggrauari.

Nonnullis partibus prouinciarum Tarragonensis locorum dominii ecclesiasticis utilitatibus inuidentes non permittunt, quod personæ ecclesiasticae, quæ inibi decimas percipiunt, emant, seu alio titulo acquirant & habeant domos, seu horrea, vel cellaria, in quibus decimales redditus congregentur, aut etiam conferuentur. Prohibent etiam subditis suis, & diuersis modis eos retrahunt, ne dictis personis ecclesiasticis, aut ementibus ex eisdem domos, horrea, aut vasa ad hæc locent, commoden, vel cōcedant. Quod quidem facere moluntur, vt personæ predicatorum dictos redditus eisdem dominis vendere minimo compellantur. Nos igitur indemnitati ecclesiarum prouidere volentes, & abusum huiusmodi in diuinæ legis offensam præsumptu penitus de ipsa prouincia extirpare, sacro approbante concilio locorum ordinariis districte præcipiendo mandamus, quatenus si locorum domini, & Rectores, postquam pro parte personarum ecclesiasticarum inde requisiti fuerint in predictis deliquerint in aliquo predicatorum sententiam excommunicationis, quam obsequia huiusmodi substrahentes incurrere digno

dignoscantur, contra ipsos dominos, vel Rectores studeant publicare, ac eorum exigente contumacia, centuram ecclesiasticam aggrauare.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in concilio primo Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCLXIIII. Tertio Calendas Martii.

Declaratur precedentem constitutionem ad Baiulos, Officiales, Vassallos eum patere.

VIXI M in cōstitutione prouinciali edita per bonæ memoriarum dominum Patriarcham Alexandrinum, & administratorem ecclesiæ Tarraconeñ. quæ incipit IN NONNULLIS PARTIBVS PROVINCLÆ TARRAC. fuit salubriter statutum, quod si domini temporales, & Rectores aliquorum locorum prohiberent personis ecclesiasticis, quominus emerent domos, horrea, aut vasa cōducāt pro redditibus ecclesiasticis conferuandis in locis suis, sententiam excommunicationis incurrere: & Vassalli, seu homines dictorum dominorum predicatorum etiam prohibeant interdum de facto personis ecclesiasticis memoratis, quod tendit in præiudicium ecclesiasticae libertatis: siccirco predicatorum constitutionem in nonnullis, & portionam in eadem contentam ad Baiulos, Officiales, & Vassallos, & homines predicatorum dominorum, & alios quoscunq; impedientes predicatorum fieri, sacro approbante concilio duximus extendendam.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPI- scopus in tertio concilio celebrato, anno Dni. M. CCCLXX. septimo Id. Nouemb.

Excommunicantur quicunque compellunt ecclesiasticos tributa soluere, etiam si ea debeant: cum per ecclesiasticum iudicem debeant compelli.

VIXI M nonnulli domini temporales, & vniuersitates ciuitatum, villarum, castrorum, & locorum, & iudices, & aliae personæ seculares compellant clericos per emparam, et pignorationes censualium, & iurium beneficiorum, & aliorum bonorum suorum, & aliás, ad contribuendum, & soluendum in peytis, quæstiis, talliis, & aliis exactiōibus impositis, seu indictis per eosdem, et in casu, quo in illis vel aliquibus eorum soluere, & contribuere teneantur, non tamen sint de iure per eos compellendi, sed per eorum iudicem ecclesiasticum competentem, idēc sacro cōcilio approbante statuimus, quod si predicatorum domini, et alii superiū nominati compulerint, seu coegerint directe, vel indirecte clericos beneficiatos, vel in sacris ordinibus cōstitutos, aut quoscunque religiosos ad contribuendum, & soluendum in peytis, quæstiis, talliis, aut aliis exactiōibus supradictis excommunicationis sententiam incurrāt ipso facto. Si autem dictæ vniuersitates dictam compulsionem fecer

fecerint, seu fieri ficerint, eo ipso subiaceant interdicto ecclesiastico: à qua excommunicationis sententia non absoluuntur, nec dictum interdictum relaxetur, donec dictam compulsionem amouerint, & de damnis satisfecerint plenariè, & expensis.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, SEDIS apostolicæ Legatus in concilio Dertufæ celebrato,
anno Domini. M. CCCCXXIX.
Nonis Nouembris.

Qui quis p̄textu, aut colore ecclesiasticos pertrahunt in iudicium seculare, excommunicantur, & excommunicati iubentur publicè nuntiari.

ICET contra eos, qui clericos, vel ecclesiasticas personas in præiudicium ecclesiastice libertatis trahere nituntur ad iudicium seculare manifesta sīt facrorum canonū statuta, quo rūndam tamen astutia fraudulenta sub miserabilitatis, aut oppressionis colore ad vetita peragendum iudicia, excogitatas nituntur semitas inuenire. Talium ergo abusibus pro libertate, ac immunitate ecclesiastice conseruationis per statuta iam iuris remedia districte præcipimus obuiari: vniuersis ecclesiarum. Prælati in virtute sanctæ obedientiæ iniungentes, quatenus statutū fœlicis memorie Bonifacii octauii incipiens Q V O N I A M I N T E L L E X I M V S, in suis synodis, & in suarum dioecesum ecclesiis faciant publicari: & cōtra ipsum venientes excommunicatos declarant, & faciant publicè nuntiari: sacrissimis canonibus, statutis provincialibus, ac synodalibus saluis remanentibus, & illæsis.

IDEM PETRVS DE
Fuxo in eodem.

Quicunque ecclesiasticus dominum secularem contra ecclesiasticū, ecclesiāmve aliquam instigauerit, inflammauerit, adiuuerit, excommunicatur: ac si beneficiatus fuerit, ad triennium fructibus beneficij suspenditur: si non fuerit, inhabilis ad obtinendum beneficia, eō spatio temporis efficitur.

AVARITIAE facibus succensi quorundam animi adeò inardescunt, vt propriæ salutis obliti, omni diuinæ maiestatis spræto timore, aduersus ecclesiasticam libertatem, ecclesiasticas personas temporalium Dominorum, Consiliariorum, ac Officialium eorundem, vniuersitatūmve regimini præsidentiū inflammare animos, & accēdere moliātur. Ut igitur tam detestabilis malignorum audacia compescatur, præsentis nostræ constitutionis tenore sancimus, vt quæcumque persona religiosa, siue ecclesiastica, cuiusvis gradus, status, aut conditionis existat, palam vel occulte Principem, Dominum temporalem, Officialiem, secularem Iudicem, vel vniuersitatis Rectorē, aut ipsam vniuersitatem cōtra iura ecclesiæ, vel ipsius ecclesiasticam libertatem inflammauerit, vel consilium, aut patrocinium dederit, vel ecclasiast

clesiastica instrumenta in præiudiciū ecclesiæ scienter occultauerit, vel contra ipsam ecclesiam dolose voluntarie exhibuerit, excommunicationis sententia, absq; spe venia, innodetur: & à beneficiorum suorum fructibus, si beneficiatus fuerit, per triennium sit suspensus. Si verò non fuerit beneficiatus, per idem tempus sit inhabilis ad quocunque ecclesiasticum beneficium obtainendum. Vniuersis Prælati sub obtestatione diuini iudicij præcipimus, & mandamus, vt à prædictis se abstineant: aliis poenis à iure communi, constitutionibus provincialibus, & synodalibus constitutis in suo robore duraturis.

NE CLERICI, VEL MONACHI NEGOTIIS SECULARIBUS SE IMMISCEANT.
Tit. XXIX.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Dñi. M. CX XIX. Quar-

to Cal. Aprilis. Cap. à crapula, §. Sen-

tentiam sanguinis.

Clerici prohibentur sententiam sanguinariam, vel dictere, vel proferre, vel ei interessere, aut interuenire: qui contrā fecerint, si fuerint beneficiati, tandem beneficiis suspendetur, quandiu in contumacia permanerint: qui nō fuerint, ecclesiæ ingressu interdicuntur.

SENTENTIAM sanguinis nullus clericus dicet, aut proferat: nec literas dicet, vel scribat pro vindicta sanguinis destinandas: nec vindictam sanguinis exerceat, vel ubi exerceatur intersit, & infra. Si quis autem contra hanc constitutionem venire præsumperit, si beneficiatus sit, suspendatur ab omnibus beneficiis: & cum ad emendationem venerit, tanto tempore postmodum eorum perceptione beneficiorum careat, quanto in sua contumacia permanere præsumperit. Si verò beneficiatus non fuerit, ab introitu ecclesiæ suspendatur.

PETRVS IN PRIMO CONCILIO
Tarracone celebrato, anno Dñi. M. CC-
XXXIX. Decimo quarto
Calen. Maii.

Ecclesiastici, qui curam habent animarum, dignitatēmve aliquam, à laicis officiis arcentur: monenturque perpetuo suis beneficiis assidere.

SATVIMVS & mandamus, quod curam animarū habentes, & qui sunt in personatibus, vel dignitatibus constituti, publica officia secularia non assumant: nec Vicarias, nec Baiulias teneant laicorum: sed in suis ecclesiis personalem, & continuam faciant residentiam, sicut decet.

Q PET.

PETRVS SECUNDVS TARRACONENSIS
Archiepiscopus in concilio celebrato, anno Domini.
M. CCC LXX. Decimo quinto
Calendas Decembris,

Ecclesiastici yetantur plus vini, vel tritici emere quam ut ex sustentatione familiæ decem saumata, vel vini, vel tritici supersint. Si superfuerint, partim Ordinario, partim ecclesiarum fabricæ applicantur.


VARITIAE cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas ita animos quorūdam excæcat, vt quæ sibi sunt prohibita, alii exquisiti coloribus usurpent. Hinc est, quod non nulli clerici beneficiati, seu in sacris ordinibus constituti sub colore faciendi sibi, & suæ familiæ prouisionem grañum & vindemiam, vel vinum in tantam quantitatem emunt, vt retenta prouisione, de hoc quod supereft mercimonium publicè faciant, ac si essent laici publici mercatores. Nos attendentes quod secundum eloquium sacræ scripturæ, clericos negotiatores ut pestem fugere debemus, eodem approbante concilio statuimus, vt ne quis beneficiatus, seu in sacris ordinibus constitutus sit ausus emere bladum, vindemiam, vel vinum, cum in his magis quam in aliis communiter inducatur caritas: nisi ad suam, & suæ familiæ duntaxat prouisionē. At si forte deduccta præfata prouisione aliquid sibi superfuerit, & ad decem saumatas bladi, & ad decem saumatas vini non ascenderit, licentiam vendendi concedimus, & facultatem: cum ita limitate prouisio fieri non possit. Alias de his, quæ plus præfati clerici emerint scienter in fraudem, vt verisimile sit quod causa negotiationis emerint, Episcopo, sub cuius dicecesi fuerint dicti clerici, & calius Praelatis iurisdictionē habentibus medietas acquiratur: alia vero medietas fabricæ, vel in ornamēta ecclesiæ, vbi domiciliati fuerint, ipso iure applicetur. Hanc autem constitutionē ad illos, qui ratione Conuentus, Collegii, vel alterius administrationis habent facere prouisions, vel ad illos, qui redditus, aut prouentus ecclesiarum, seu clericorum emerint, quoad ipsos redditus, & prouisions prædictas extendere nolumus ullo modo.

PETRVS DE CARDONA TARRACONENSIS Archiepiscopus in concilio Barcinone celebrato, anno Domini. M. D. XVII. Prior die Calendas Iulii.

Clerici, si mercaturam exercuerint, mercibus mulctantur ordinario applicandis.

CLERICI in sacris ordinibus constituti, & Religiosi mercaturam exercentes, vel illicite pecunias mutuantes, præterquam in casibus à iure permisissis, mercimonia, & negotiationem, ac pecunias sic mutuatas amittant, & eorum ordinariis applicantur.

LIBER



LIBER QVARTVS:

DE SPONSALIBVS, ET MATRIMONIIS:

TIT. I.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesie Tarraconensis in primo concilio
Tarracone celebrato, anno Domini. M.

CCCXXIX. Quarto
Cal.Martii.

Curandum Episcopis, vt per peritos modo sacrorum canonum matrimoniales causæ, & in ciuitatibus insignibus audiantur: alioqui irriti processus. Recipi tandem testes extra loca memorata posse decernitur.

NIMARVM periculum vt evitetur, statuendo præcipimus in virtute sanctæ obediëtiae universis Episcopis nostræ prouinciaæ, ne causas matrimoniales ad eorum forum spectantes, sub generali, vel speciali cōmissione audiri, vel decidi permittant: nisi per illos, qui statuta canonum non ignorant, & peritiam habent iudicādi: & in ciuitatibus, vel locis insignibus, vbi haberit posit copia peritorum: alias processus sit irritus, & inanis. Per hæc tamen receptionem testimonia extra dicta loca, vbi oportuerit, non intendimus prohibere.

DE CLANDESTINA DESPON- satione. Tit. II.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.
Quarto Calendas Aprilis. C. Districte
præcipimus. §. Qui vero
clandestina.

Qui clandestina matrimonia contrixerint, excommunicantur: & donec de legitimatione constiterit, separari iubentur,

Q. 2 QVIA

QVI verò clandestina cōtraxerint matrimonia, tanquā excommunicati ab omnibus euitentur: & donec de legitimatione, id est, de consanguinitate, vel de affinitate personarum ecclesiae constiterit, adinuicem separantur.

DE CONSANGVINITATE, ET affinitate. Tit. III.

IDEM IN EODEM.

Qui in gradu prohibito contrahunt matrimonium, excommunicantur, & separantur.

ISTRICTE præcipimus per omnes ecclesiæ in præcipientiis solennitatibus excommunicatos publicè denuntiari omnes illos, qui in gradu prohibito matrimonia contrahere præsumperint. Illi autem qui in gradu prohibito non matrimonia, sed contubernia cōtraxerint, nisi infra annum dispensationem obtinuerint, extunc excommunicationis sententia se non uerint innodatos. Interim autem à carnali copula, eisdem præcipimus abstinere; & donec de legitimatione personarum ecclesiae constiterit, adinuicem separantur.

LIBER



LIBER QVINTVS.

DE ACCVSATIO-

NIBVS. TIT.

PRIMVS.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHIepiscopus in primo concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCCXCI.

Nonis Aprilis.

Capitula, quæ à procuratore fisci contra clericum proponuntur, non admittenda, nisi iurauerit se credere vera esse.

VM nonnulli Procuratores fiscales suo officio potius ad calumniam, quam ut corrigantur clericorum facinora abutentes, capitula cōtra clericos offerant, quæ probari non possunt, super quibus se clerici defendantes pluries molestantur: iubemus talia capitula contra clericos per Officiales ecclesiasticos nostræ prouinciarum nullatenus admitti: nisi in principio sui officii iurauerit offerēs procurator capitula, quæ producit, se credere vera esse, & ea posse probare.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, APOSTOLICÆ sedis Legatus in concilio Dertusæ celebrato, anno Domini. M. CCCXXIX.

Nonis Nouembris.

Monentur Prælati regulares in castigandis subditorum flagitiis euigilare: alioqui futurum, ut à sede apostolica puniantur.

VONIAM si gubernaculum disciplinæ cōtemnitur, instat ut Religio naufragetur, & in non modicum religionis scandalū effrenata irreligiositas euehatur, si delinquentium insolentia debitæ correctionis verbere nō fuerit castigata, religionum ordinum gubernationi, vel regimini Præsidentes sub obtestatione diuini iudicij cōmonemus, ut circa suorum corrigendos excessus tanto magis vigilanter attendant, & constanter assurgant, quanto eorum infamia, quorum per status sublimitatem, & regularis vitæ, ac fa-

ctimon

Q 3

Etimoniæ puritatem mores, & vita esse debent cæteris in speculum, & exemplum, per actus contrarios cedit in graue scandalum aliorū. Quod si talium delinquentium notorios excessus Prælati eorum debita castigatione punire neglexerint, vltra diuinam vindictā à sede apostolica absq; spe venia sperent durissimam vltionem.

DE SIMONIA, ET NE ALIQUID
pro spiritualibus exigatur, vel promit-
tatur. Tit. II.

JOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.
Quarto Calendas Aprilis.

Clerici officiis suis suspenduntur, qui pro cōcessione spiritualium quipiam pecuniae exegerint. Laici quoque iubentur hoc statutum obseruare.

ICVT est in generali statutū concilio præcipimus, ne pro consecratione Episcoporū, benedictionibus Abbatum, vel eorū installationibus, siue pro ordinationibus clericorum quisquam quoconque prætextu, siue scriptura: vel rei alterius aliquid exigere, vel extorquere præsumat. Clerici quoque pro exequiis triennalibus, vel annualibus mortuorum, benedictionibus nubentium, & similibus pecuniam non exigant, vel extorqueant: nec dilationes, aut impedimenta fraudulenter opponant, sed sicut statutum est in concilio, libera conferant ecclesiastica sacramenta. Alioquin ab officio suspendantur. Laici quoq; per Episcopum loci compellantur obtentam in talibus piam, & laudabilem consuetudinem obseruare.

NE PRAELATI VICES SVAS SVB
annuo censu concedant. Tit. III.

PETRVS SECUNDVS TARRACONENSIS
Archiepiscopus in concilio per eum celebrato Tar-
racone, anno Dñi. M. CCCLXX. se-
ptimo Idus Nouembris.

Emolumenta sigilli Prælatorum non posse vendi, aut arrendari.

VIA secundum Apostolum nō solum à malo, sed ab omni specie mali est abstinentia, & non solum fraudes sunt vitandæ, sed etiam via eisdem pro posse præcludenda, Ordinamus & statuimus eodem approbante cōcilio, quod emolumenta proprii sigilli Episcoporum, seu Prælatorum infra provinciam consistentium non possint per quoscunq; specialiter vendi, seu etiam arrendari. Et, si cōtrarium factum fuerit, arrendatio, seu venditio ipso facto nulla existat: & arrendatores, seu emptores excommunicationis sententiam incurvant.

DE

D.E MAGISTRIS, ET NE ALI-
quid exigatur pro licentia docendi.
Tit. IIII.

JOANNES SABINENSIS IN CON-
cilio Ilerdæ celebrato, anno Domini. M.
CXXIX. Quarto Calen-
das Aprilis.

Episcopis verbum vitæ in suis diocesisbus prædicandum, aut ab iis idoneos viros destinari debere qui id annuntient, quique onus Episcopale subleuent prædicando, confessiones audiendo, aliisque obeundo, quæ ad salutem animarum pertinent. In ecclesia cathedrali, ac etiam conuentuali, vbi tales non fuerint, duos debere assumi, quos si ad id muneri Capitula, ex quorum consensu canonice conferuntur, vocare noluerint, id facere diocesano licere decernuntur: à Prælato autem, vbi fuerint Canonici regulares, de conuentu duos eligi debere: qui Theologiæ dent operam.

VAM salubre sit, quā vtile prædicatores per singulas dioceses ordinari, apparet ex dispendio quod sequitur ex prædicationis defectu. Quare Prælatis omnibus sub animaduersione diuinæ vltionis districte præcipimus, quod per se, vel per alios viros ad prædicationis officium idoneos per suas dioceses prædicent verbum salutis æternæ. Et quia prouide statutum est in concilio generali, vt tam in cathedralibus, quam in aliis conuentualibus ecclesiis viri assumantur idonei, quos Episcopi possint habere coadiutores, & cooperatores in faciendis prædicationibus, & in confessionibus audiendis, & in aliis quæ ad salutem pertinent animarum, vt iam sacra constitutio debitum sortiatur effectum, præcipimus, vt in quacunq; ecclesia cathedrali, vbi tales duo non fuerint, assumantur de nouo, & in aliis conuentualibus ecclesiis tales assumantur. In aliis autē ecclesiis, in quibus de Capituli consensu canonice conferuntur, si Capitulum, vel aliquis de Capitulo talium vocationi noluerit consentire, diocesanus nihilominus hoc faciat præsentis auctoritate concilii: ne per talem cōtradictionem communis impediatur utilitas, & sacræ constitutionis prouidentia eludatur. In illis vero cathedralibus ecclesiis, in quibus sunt Canonici regulares, à diocesano Priori, & maiori Archidiacono successiue duo eligantur de conuentu, qui magis sint docibiles: vt in Theologia studeant, & præbendas suas integrè in scholis habeant. Et quia studēt vt Episcopo deféruant, usque ad mediocres expensas, si necesse fuerit, Episcopus superaddat.

IDEA IOANNES SABINENSIS
in eodem.

Præcipitur scholas Grammatices, ac magistros in singulis Archidiaconatibus statui debere: magistris autem necessaria suppeditari non solum ab ea ecclesia in qua docebunt, sed etiam à viciniis, idque pro cuiusque facultatibus.

CVM

QVINCENTI M. in generali concilio pia fuerit constitutione prouisum non solum in cathedralibus ecclesiis, sed etiam in aliis, in quibus suppetunt facultates, magistris, qui ibidem laborant in doctrina, prouideatur in beneficio competenti: nos attendentes quod in partibus Hispaniae ex defectu studiorum, & literaturae multa & intolerabilia detrimenta animarum proueniunt, non solum in locis statutis praedictam constitutionem præcipimus obseruari, verum etiam ad multiplicem ignorantiam extirpandam eatenus scholas multiplicari statuimus, ut per singulas dioceses in quolibet Archidiaconatu certis locis, si ad haec loca idonea inuenta fuerint, per prouisionem Episcopi scholæ de Grammatica statuantur, & magistri collocentur. Quibus de ipsius Episcopi prouisione vel ordinatione, si ipsius loci, in quo scholæ fuerint, non sufficiat ecclesia, de aliis ecclesiis circà positis secundum singularium facultates competenter præcipimus prouideri: ne ex defectu magistrorum illiterati suam possint ignorantiam excusare.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesiæ Tarragonensis in concilio Tarra-
cone celebrato, anno Domini. M. CCC.
XXIX. Quarto Calendas
Martij.

Statuitur duos de quoque Capitulo ad Theologiae, & iuris canonici studia mitti ab Episcopo, & Capitulo debere: iis autem reuocatis, infra sex menses alios duos. In quo si negligentes Episcopi fuerint, & Capitula, ius intendi ad Archiepiscopum deuoluvi. Eos vero qui misse fuerint, exceptis quotidianis distributionibus, cætera integrè debere percipere: ac si ecclesiis residerent.

QVI A viris literatis ecclesia in suis actibus noscitur indigere, prædecessorum nostrorum sequentes vestigia prouide duximus statuendū, quod de qualibet ecclesia cathedrali per Episcopum, & Capitulum due personæ docibiles ad Theologiae, vel iuris canonici studium transmittantur. Et cum per tempus sufficiens ad mittendum arbitrium studuerint in altera de dictis scientiis, ad ecclesiam propriam reuocentur: & duæ aliae ad dictum studium destinentur non obstante contraria consuetudine, vel statuto. Qui si mittere personas prædictas cessauerint per sex menses, ex tunc ea vice potestas eligiendi, & mittendi easdem ad nos, & successores nostros Tarragonenses Archiepiscopos deuoluatur. Et idem in aliis cœntralibus ecclesiis nostræ prouinciæ, ubi ad minus sint decem personæ tanquam collegium, & habeant Prælatum, præcipimus obseruari: saluis constitutionibus, seu consuetudinibus ecclesiarum, in quibus haec missio ad Episcopum tantum dignoscitur pertinere. Ita tamen quod si dictus Episcopus infra dictum tempus negligens fuerit, ad nos missio huiusmodi, ut prædictetur, deuoluatur: persona vero prædictæ in dicto studio existentes, omnia ea quotidianis distribu-

distributionibus duntaxat exceptis, percipient, quæ perciperent si in eiusdem ecclesiis personaliter residerent.

DE IVDAEIS, SARRACENIS, ET
eorum seruis. Tit. V.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdae celebrato, anno Domini. M. CXXIX.

Quarto Calendas Aprilis.

Iudæis cappis clavis indui non licere.

QVINCENTI M. Iudæi signo notabili à Christianis discerni debeant absurdum est nimis quod personis ecclesiasticis in habitu clavas cappas deferendo se conformari presumat. Quocirca districte præcipimus ipsos à tali presumptione per distributionem ecclesiasticam coerteri.

IDE M IOANNES SABI-
nensis in eodem.

Excommunicantur qui commercium cum Mauris habuerint. Qui autem ad Mauros defecerint, ut in Christianos bellum gerant, excommunicatos nuntiari debere, nec eos nisi à sede apostolica absolui posse.

QONSTITUTIONEM domini Alexandri, & Innocentii tertii ad memoriam reducentes, & causam necessariam habentes, eidem constitutioni adiiciendo præcipimus, ut singularis diebus dominicis sacerdotes excommunicatos denuntient omnes illos qui mittunt, deferunt, aut deducunt, aut vendunt per se, vel per alios Mauris, vel aliis ex parte Maurorum arma, ferrum, lignamina, nauium instrumenta, panem, equos, bestias, vel animalia ad comedendum, vel ad terras colendum, vel equitandum. Et hanc sententiam sacerdotes districtiū obseruent usque ad satisfactionem condignam. Omnes quoque Christiani tam milites, quam alii qui se ad Mauros transmulerint ad faciendum guerram Christianis, excommunicati denuntientur, nec sine auctoritate sedis apostolicæ absoluantur.

IDE M IOANNES SABI-
nensis in eodem.

Qui Sarracenis Christianum vendiderit, eo admisso, excommunicatus est: nec nisi à sede apostolica absolui potest.

STATIVM VS de cætero, ut quicunque Christianum, vel Christianam vendiderit Sarracenis, ipso facto sit excommunicatus: nec possit absolutionis beneficium obtinere, sine auctoritate sedis apostolicæ.

Confirmatur approbatione apostolica edictum regium, quo Iudæis ad fidem conuersis bona, quæ ante possederunt, integra relinquuntur.

R INNO

INNOCENTIUS Episcopus seruus seruorum Dei venerabilis fratri Archiepiscopo Tarragonensi salutem, & apostolicam benedictionem. Ea quae ad Regis aeterni gloriam, & Christianae religionis augmentum terreni Reges, seu principes ordinant, statuunt, vel disponunt, tanto feruentius, & libentius a quibuslibet sunt fidibus cuiuscunq; dignitatis, conditionis, vel ordinis irrefragabiliter obseruanda, quanto potius diuinæ creduntur placita maiestati, & ex eis Christum collaudantium agmina potiora noscuntur suscipere incrementa. Tua sane iucunda nobis ferens petitio continebat, quod charissimus in CHRISTO filius noster illustris Rex Aragonum a Domino benedictus, toto mentis affectu illi placere desideras, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnum, & ab illo dignitatem regiam recognoscens, illiq; totū quod est attribuens, & quod habet: qui fecit omnia solo verbo, illiusq; menti suæ timorem pariter, & amorem à pueritiae suæ flore vehementer infigens, ad augmentandum Domino populum, per quem per amplius, & perfectius nomē glorificari valeat Crucifixi, deliberatione sancta duxit & prouida statuendum, ut in omni terra suo dominio, iurisdictioni subiecta Sarracenus quilibet, & Iudeus de ignorantiae tenebris ad viam veritatis, quæ CHRISTVS est, per sanctæ regenerationis lauacrum se conuertens, omnia bona sua mobilia, & immobilia, quæ ante suam ad CHRISTVM conuersionem habebat, integrè, ac liberè, sine impedimento, & contradictione cuiuscunq; quam retinere possit: auctoritate Regia, & perpetuo possidere statuto: prohibitione, vel pacto prædecessorum Regis eiusdem, seu cuiuslibet alterius obtenta, aut consuetudine non obstante; prout in eiusdem Regis literis confectis exinde perspeximus plenius contineri. Nos igitur statutum huiusmodi tam sanctum, atque laudabile, ratum, & gratum habentes, illud auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Tenorem autem literarum ipsarum fecimus præsentibus inseri, qui talis est,

NOVERINT vniuersi, quod nos Iacobus Dei gratia Rex Aragonum, Maioricarum, & Valentianæ, Comes Barcinonis, & Vrgelli, & dominus Montis pessulanus, per nos & omnes successores nostros, tam in Aragonia, & Cathalonia, Maioricis, Monte pessulano, quam in regno Valentianæ, ac vniuerso dominio, ac iurisdictione nostra quam alicubi nunç habemus, vel in posterum nos, & successores nostri auxiliante Domino habituri sumus, pro amore Domini nostri IESU CHRISTI, & gloriose virginis matris suæ, & remedio animæ nostræ in perpetuum statuimus, quod quicunq; Iudeus, vel Sarracenus spiritus sancti gratia fidem voluerit orthodoxam recipere, ac baptismi lauacrum salutaris, liberè & absq; contradictione ullius possit hoc facere: non obstante prædecessoru nostrarum, vel alicuius statuto, prohibitione, vel pacto, vel etiam super hoc

hoc obtenta consuetudine: ita quod propter hoc nihil de bonis suis mobilibus, & immobilibus, ac se mouentibus, quæ prius habebat, amittat: imò vniuersa securè, ac liberè habeat, teneat, & posideat auctoritate nostra: salua legitima filiorum, & iure proximorum conuersi: ita videlicet quod de bonis conuersi dicti filii, seu proximi nihil ipso viuente, sed post mortem eius illud solū, & nihil amplius petere valcant, quam q; si deceperisset in iudaismo, vel paganismo, petere rationabiliter potuissent. Ut, si cut tales diuinam ex hoc gratiam promerentur, sic & nostræ, qui Dei voluntatem, & beneplacitū imitari debemus, obtainere noscantur. Statuimus insuper in perpetuum, & firmiter sub pena pecuniaria arbitrio iudicis infligenda prohibemus, ne alicui de iudaismo, vel paganismo ad fidem nostram catholicam conuerso præsummat aliquis cuiuscunq; conditionis improperare conditionem suam: dicendo, vel vocando eum, Renegat, vel Tornadiz, vel consimile verbum. Volumus etiam, & statuimus, quod quandocunq; Archiepiscopus, Episcopi, vel fratres prædicatores, aut minores accesserint ad villas, vel loca vbi Sarraceni, vel Iudei moram fecerint, & verbum Dei dictis Iudeis, vel Sarracenis proponere voluerint, ipsi ad vocationem ipsorum conueniant, & patienter audiant prædicationem eorum: et Officiales nostri (si gratis venire noluerint) eos ad hoc omni excusatione postposita compellant. Mandamus itaq; Vicariis, Baiulis, Curiis, & nostris subditis, & Officialibus vniuersis præsentibus & futuris, quatenus omnia supradicta vbiique teneri, & obseruari in uiolabiliter faciant: si de nostri confidunt gratia, & amore. Datum Illedæ anno à nativitate Domini, M. C X L I I . quarto Idus Martii. Signum Iacobi Dei gratia Regis Aragonum, Maioricarum, & Valentianæ, Comitis Barcinonis, & Vrgelli: & domini Montis pessulanus. Testes sunt G. de monte catheno, R. de Lizana, P. Comes Vrgelli, P. de monte catheno. Assallitus de Gudal. Signum Guilelmi scribæ, qui de mandato domini Regis hoc scribi fecit, loco, die, & anno præfixis. Signum R. Illedensis Episcopi: qui hoc translatum sumptu de originali cum sigillo maiori domini Regis nobis legi fecimus de verbo ad verbū, & sigillo nostro corroborauimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraria ire. Si quis autem hoc attentare prælumpferit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Lugduni XIII. Calendas Septembri. Pontificatus nostri, anno tertio.

BERNARDVS ARCHIEPISCOPVS IN primo concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCLXIII. Nono Calendas Februarii.

Mulieres prohibentur Iudeis cohabitare, & eorum filios alere. Si fecerint, excommunicantur: iubenturque publicè excommunicatae nuntiari, ac vitari. Ac

R 2 ne fac

ne facilè ex ignoratione excommunicatione illaqueentur, præcipitur ut hæc constitutio quotannis publicetur: præsertim vbi Iudæi morabuntur.

STATUTUM VIMVS etiam sacro approbante concilio, quod nulla mulier Christiana alicuius loci prouincie Tarragonensis audeat habitare cum Iudæis, aut filias, vel filios eorum nutrire, seu lactare: & quæcumque contra huiusmodi inhibitionem nostram, postquam monita fuerit super hoc, præsumperit facere supradicta, decernimus eam, vel eas extunc excommunicationis sententiæ subiacere: ita videlicet quod cum illud Dioceſano, aut Rectori illius loci, vbi mulieres culpabiles super hoc repertæ fuerint, extiterit nunciatur, per iam dictum Dioceſanum, aut Rectorem ipsæ mulieres excommunicatae nuncientur, & tanquam excommunicatas faciant ab omnibus evitari. Et, ne ipsæ mulieres de facili in excommunicationis laqueum incidere valeant, ipso facto volumus, & mandamus quod præsens cōstitutio per Dioceſanos, aut Rectores locorum, in quibus Iudæi morantur, semel annis singulis publicetur.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS
administrator ecclesiæ Tarragonensis in primo concilio
per ipsum Tarracone celebrato, anno Domini
ni. M. CCCXXIX. Quarto
Calend. Martii.

Dominis temporalibus iniungitur, ut in locis ditionis suæ prohibeant à Sarracenis Mahometi nomen publicè inuocari. Quod nisi fecerint, excommunicationis sententiæ subiacere: & loca, vbi eiusmodi facta fuerit inuocatio, subiacere interdicto statuitur. Monentur insuper domini temporales, ne Iudæos, aut Sarracenos publicè obire feruilia opera permittant, quod Christiani fultum aliquæ diem celebrent.

VANVS circa multa inuigilare habeat, & debeat sollicitudo officii pastoralis, feruentiori tamen zelo ipsam ad ea conuenit propensiùs excitari, quæ in diuini nominis operi probriū vergere dignoscuntur. Hinc est quod cum in Vienensi generali concilio prouidè fuerit ordinatum, & principibus Christianis sub obtestatione diuini iudicii iniunctum, ut à terris suis abominabilem auferrent abusum, quo Sarraceni eisdem subiecti alta voce inuocabant perfidi nomen Mahometi. Cui sanctæ constitutioni licet dominus Rex paruerit, sicut princeps catholicus, & fidelis: tamè quidam in nostra prouincia Tarragonensi quæ sua sunt querentes, non quæ IESV CHRISTI, prædictam prohibitionem minimè feruauerunt: imo adhuc in eorū locis audita fuit sacrilega inuocatio sicut prius, in diuinæ maiestatis offendam, & animarum suarum graue periculum, & iacturam. Quapropter non valentes tantam Dei offendam, & ecclesiæ tolerare, cum iuxta canonicas sanctiones peccatum paganitatis incurrat, qui se Christianum afferens sedi apostolicæ obedire contemnit, sacro approbante

bante concilio, prædictos omnes dominos temporales Sarracenorum dominium obtinentes cuiuscunque status, vel conditionis existant, monemus, & eisdem iniungimus, ut infra duos menses à publicatione præsentis constitutionis continuè numerandos prohibeant, & prohibere faciant, ne talis nefanda professio, & proclamation in locis eorum fiat: alioquin, quia facientes culpam habent, qui, dum possunt, manifesto facinori desinunt obuiare, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere: & eorum terram, seu loca, quæ in illa habent dioceſi, in qua fit proclamation, supposita sint ecclesiastico interdicto: à qua sententia nequaquam absoluuntur, nec interdictum relaxetur, donec prædicta fieri prohibuerint cum effectu. Monemus insuper, & hortamur in Domino præfatū dominum Regem, & quoscumque alios dominos temporales nostræ prouincie, ut ob diuinam reuerentiam, & ut æternæ beatitudinis præmia consequātur, prohibeant Iudæos, & Sarracenis sub eorum dominio simul cum Christianis degentibus, ne diebus dominicis, & festiuis, quibus à seruilibus operibus abstinent Christiani, in plateis, vicis, aut aliis locis publicis servilia, seu mechanica opera coram Christianis publicè operentur.

IDE M IOANNES IN EO DEM.

Prohibentur Christiani nuptiis infideliū, circumcisionibus, sepulturis, & coniugii eorum interesse, & compatrios fieri. Si fecerint, excommunicationis subiacere.

BVS VS quidam abominabilis nomini Christiano in locis aliquibus Tarragonensis prouincie inoleuit, quod Christiani aliqui Iudæorū, & Sarracenorum nuptiis, circumcisionibus, & sepulturis interesse presumunt causa honorandi eosdem, & in ipsis, ex causis præmissis, cæremoniis cum eisdem comedere non ventur, ac in dictis circumcisionibus compaternitatis vinculum, quod nefas est dicere, contrahere cum eisdem. Nos igitur volentes abusum huiusmodi de nostra prouincia extirpare, prædicta, & quælibet prædictorum fieri de cætero prohibemus. Si quis verò contra hanc inhibitionem fecerit, excommunicationis sententiæ se nouerit subiacere.

PETRVS DE LVNA, CARDINALIS APOSTOLICÆ sedis Legatus in concilio Gerundæ celebrato,
anno Domini. M. CCCCII. Octauo
Calendas Nouembri.

Christiani iubentur domicilia separata à Iudeis, & Sarracenis habere: his autem præscribi limites, intra quos separatim à Christianis habitent, tametsi permititur, ut officinas, ac tabernas habeant in plateis, ac locis ad id idoneis cōstitutas.

TSI Christiana religio Iudeos, & Sarracenos ex eo non debeat abiicere, quia nostri cōditoris imaginem constat eos habere, quia tamen ex eorum frequenti cōmunione, experientia docente, nouerimus damna corporibus, et animabus fidelium pericula, & scandala plurima prouenisse, deliberatione prouida statuit.

R 3 mus,

mus, vt Iudæi, & Sarraceni inter Christianos, vel Christiani inter Iudeos & Sarracenos domos, hospitia, seu alia receptacula, in quibus habitent nullatenus permittantur habere: sed in ciuitatibus, & locis, vbi certæ limitationes sunt eisdem Iudeis, & Sarracenis deputatae, reducatur ad eas, & infra ipsas constituant habitationes suas. Vbi vero Iudæi, & Sarraceni prædicti ad habitandum non habuerint huiusmodi habitationes, seu limitationes, vel terminos deputatos, limitentur & assignentur eisdem partes aliquæ in ciuitatibus, & locis prædictis à Christianorum habitationibus separatae: infra quas se reducant, nec extra dictam limitationem permittantur quomodolibet commorari: nisi forte sint aliqui Iudæi, & Sarraceni mercatores, vel alia quæcunq; officia, aut opera mechanica exercentes, seu merces vendentes, quos pro huiusmodi operibus exercendis, & mercibus vendendis in plateis, vel aliis locis publicis ciuitatum, & locorum vbi existunt, permittimus habere operatoria, tentoria, tabulas, seu boticas: dum tamen inter loca eis deputata, vel in posterum eis deputanda domos, seu habitationes principales cum filiis, & vxoribus teneant, ad quas se de nocte reducant. Christiani autem qui intra limitationem Iudeis, vel Sarracenis assignatam, vel assignatam habitare præsumperint, & infra duos menses à die publicationis præsentū factæ in ecclesia cathedrali ciuitatis, vel dioecesis vbi moram trahunt, se ad commorandum inter Christianos reducere non curauerint, ad id per censuram ecclesiasticam compellantur. Iudeis vero, & Sarracenis, si infra dictū terminum duorum mēnū vbi limitatio est facta, vel postquam dictæ limitationes de ordinatione, & voluntate domini Regis, vel cuiuscunq; alterius domini ecclesiastici, vel temporalis ciuitatis, vel loci factæ fuerint, si ad easdē reducere noluerint, vel neglexerint, Christianorū cōmunio substrahatur.

IDEM IN EODEM.

Infideles prohibentur diebus, qui festi à Christianis, & habentur & coluntur, aut merces vendere, aut opera seruilia exercere: idque ne faciant, priuatione communicationis Christianorum coercendi.

E D I T in opprobrium religionis Christianæ, quod Iudei, & Sarraceni inter christicolas habitates, diebus dominicis, & festiuis mercimonia vendere, & artificia, ac mechanica opera exercere publicè non verentur. Cum autē hoc in diuinæ maiestatis offendam non sit à Christi fidelibus aliquatenus tolerandum, ipsis Iudeis, & Sarracenis ne mercimonia vendere, aut qualiacunque artificia, seu opera mechanica publicè exercere præsumat diebus dominicis & festiuis, qui per Christianos coluntur, districtiūs inhibemus: & ad id compelli per locorum ordinarios, aut iudices seculares, sub quorum iurisdictione Iudei, & Sarraceni viuere dignoscuntur, per subtractionem cōunionis fidelium, & alias poenas temporales auctorit

atoritate nostra, qua fungimur, præcipimus & mandamus. Quod si seculares iudices negligentes fuerint in præmissis, ad hoc per censuram ecclesiasticam compellantur.

P E T R V S D E F V X O, C A R D I N A L I S, S E D I S
apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato,
anno Domini. M. CCCCXXIX.

Nonis Nouembri.

Monentur domini temporales dare operam, vt Clementinæ de Iudeis, & Sarracenis obseruentur.

E L V S diuini honoris nos commouet, vt quod tam patenter in offendam diuini honoris cedit, & quod est opprobrium fidei Christianæ, disperdere, & euellere pro viribus enitamur. Zelatorem igitur principem veræ fidei, vigilemque cultorem dominum Aragonum Regem, omnesque ipsius ditionis Prælatos, Barones, & nobiles, & milites, ac vniuersitates monemus, et per viscera diuinæ misericordiæ obsecramus, quatenus ad obseruantiam Clementinæ de Iudeis, & Sarracenis sic, & prout ad vnumquaque pertinet, opem & operam adhibeat efficacem: eisdem nihilominus iniungentes, quod sacroru canonum, cōciliorum prouincialium, & synodalium statuta ad Dei honorem in exaltatione fidei Christianæ contra Iudeos, & Sarracenos, & in opprobrium ipsorum edita, inioliabiliter obseruentur, & ab eorum subditis tenaciter faciant obseruari: vt plenariae obseruationis executione clarescant, & pro tanto seruitutis obsequio diuino propitiationis munere potiantur: si diuinā, & sedis apostolicæ effugere voluerint vltionem.

DE HAERETICIS. Tit. VI.

R O D E R I C V S A R C H I E P I S C O P V S I N
primo concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCXCI. Idibus Martii,

Qui consultò negauerit esse resurrectionem mortuorum, aut vitam æternam, capi iubetur: & si perfriterit, tanquam hæreticus damnari. Qui per iocum, puniri pro grauitate culpæ, & personæ conditione. Poena etiam detractoribus fidei irrogari præcipitur. Inquisitores hæreticæ præ uitatis à Rectoribus benignè recipi.

O N N V L L I à via veritatis auersi euntes per deuiam falsitatis, linguis suis latrare non verentur, vt dicere audeant, quod non sit resurrectione mortuorum, nec vita sit alia futura. Quod quidem est hæresis, immo plurimum hæresis fundatum. Statuimus quod quicunque scienter talia dixerit ex proposito, capitatur: & si perfriterit in eisdem, tanquam hæreticus condemnatur. Quod si iocose dixerit, vel quacunque animi leuitate, nihilominus secundum qualitatem culpæ, & personæ conditione poenis legitimis puniatur per Episcop

Episcopum, & inquisitores hæreticorū à sede apostolica deputatos. Omnes insuper catholicæ fidei detraactores pœnam subeāt, quam merentur: vt sciant loqui de fide catholica cum reuerentia, & timore. Volumus etiam & mandamus, quod clerici, fratres prædicatores, inquisitores hæreticorum à sede apostolica deputati, qui laborant ad extirpandam hæreticam prauitatem, à Rectoribus ecclesiarum, vel eorum Vicariis benignè recipiantur: & in casu necessario, & coram Deo accepto fidei negotio iuuentur efficaciter per eosdem.

IDEM IN EODEM.

Qui falso apostolatum profitentur, capiendi, & de prouincia expellendi.

 VM quidam, qui se dicunt Apostolos, & religiosos se fingunt, sicut suis exigentibus meritis per sedem apostolicā excommunicationis vinculo innodati, & postmodum per orbem vagabundi in multis malis fuerint deprehensi, sicutq; periculosi homines circa fidem, volumus, & etiā ordinamus, vt vbiunque inuenti fuerint, capiantur, & de tota prouincia expellantur.

DE ADVLTERIIS. Tit. VII.

PETRVS DE LVNA CARDINALIS, SEDIS apostolicæ Legatus in concilio Gerundæ celebrato, anno Pontificatus Clementis Papæ septimi, X I I . Domini. M. CCCCII.Octauo Calen. Nouembri.

Si coīugati viri quidem cū cōcubinis, foeminae autem cū adulteris cōmerciū habuerint, aut etiam soluti, si cum infidelib; excommunicantur: & ecclesiastica sepultura priuantur, si nōdūm elapsi fuerint duo menses obituū tempore, ex quo à concubina discesserint: quantumuis absolutionem fuerint consecuti.

 N paradiso voluptatis, vbi primos parētes plasmaverat creator omnium glorus, matrimonium hac lege instituit, vt sic per consensum legitimū foeminae iungeretur, quod duobus existentibus in carne vna aliam personam, quæ vnitatem diuidet, superaddere non liceret. Hanc vnitatem nonnulli coniugati Dei timore postposito deturpantes, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, concubinis se immiscere in suarum animarum damnationem publicè non verentur. Contra quos præfatus Ioānes Episcopus Sabinensis Sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis statuit & ordinavit, vt quicunq; coniugatus, qui cōcubinam tenere publicè præsumperit, & insuper non coniugatus qui concubinam infidelem præsumeret detinere, tam ipsi, quam ipsæ excommunicationis sententiam incurrent. Nos vero dictam constitutionem innouantes tam prædictos, quam coniugatas, quæ cum adulteris publicè cōmiscentur, & ipsos adulteros prædictos excommunicationis sententię decernimus subiacere: volentes insuper quod nisi adulteri,

teri, & alii præfati supradictas cōcubinas, vel coniugatae dictos adulteros per duos menses ante eorum, vel earum obitum dimiserint, & se ab eisdem sine fraude separauerint, etiā si tempore obitus sui, vel antē fuerint à dicta excommunicationis sententia absoluti, nihilominus tam ipsi, quam ipsæ careant ecclesiastica sepultura. Datum Gerundæ octauo Cal. Novembbris. Pontificatus domini nostri Clementis Papæ septimi, anno X II.

DE R A P T O R I B V S, I N C E N D I A- riis, & Violatoribus ecclesiarum.

Tit. VIII.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHI- episcopus in primo concilio, anno Dñi. M. CC- XXXIX. Decimo quarto Cal. Maii.

Incendiarii, & raptori publici vitandi tanquam excommunicati, & nisi satisfecerint, sepultura priuandi.

 TATVIMVS, quod incendiarii, & raptori publici tanquam excommunicati vitentur, & ecclesiastica sepultura careant: nisi per se, vel hæredes satisfactionem fecerint, vel emendam.

DE FVRTIS. Tit. IX.

RODERICVS IN QVARTO CONCILIO Tarracone celebrato, anno Dñi. M. CCCV. Octauo Calendas Martii.

Qui instrumenta Tarracensis ecclesiæ malitiosè suppresserint, ac non infra quindecim dies postquā sciuerint ad Tarracensem ecclesiam pertinere, reddiderint, excommunicantur: à qua excommunicatione absoluui nequeant, nisi satisfecerint.

 VONIA M pontificalem decet solertia rerum ecclesiæ ita curam gerere, & subiectorum commoda inuestigare, vt ecclesiastica libertas incorrupta persistat, ac singulorū status iugiter seruetur illæsus: iccirco nos Rodericus miseratione diuina sanctæ Tarracensis ecclesiæ Archiepiscopus in præfata ecclesia sacrū concilium celebrantes, & callidis quorundam machinationibus obuiates, qui priuilegia, instrumenta, & alia ecclesiastica munimenta ad nos, & nostrā ecclesiam Tarracensem pertinentia reddere, & restituere contradicūt, sacri approbatione conciliū statuimus, quod quicunq; persona religiosa, vel secularis cuiuscunque gradus, vel conditionis existat, de cætero fraudulenter celare, vel supprimere præsumperit huiusmodi priuilegia, vel instrumenta, vel alia ecclesiastica munimenta, & infra spatiū quindecim dierum, postquam sciuerit ea ad nos, & nostram Tarracensem ecclesiam pertinere, ea nobis reddere, seu restituere malitiosè contempserit, excommunicationis sententiam incurrit ipso facto: à qua absolui nō possit, nisi priùs satisficerit de præmissis.

S. DE

DE VS VRIS. Tit. X.

JOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS,
Archiepiscopus Tarragonensis in secundo concilio cele-
brato, anno Domini. M. CCCXX XI.
Pridie Calen. Februarii.

Iniungitur Episcopis, vt eos Officiales excommunicatos denuntient, qui vel vsu-
ras solui, vel non restituи debere pronuntiarint.

PR O animarum salute prouisum extitit in concilio generali, reprobando usuriam prauitatem, quod Officiales quicunque seu Iudices, qui vt soluerentur usurae, velvt solute, cum re- pterentur, non restituerentur, plene ac libere scienter præsumperint iudicare, excōmunicationis sententiam incurrent ipso facto. Cum autem aliqui ex eisdem dictam excōmunicationis sententiam minime metuentes, immo prædicta in ipso statuta concilio contemnentes, in suarum graue periculum animarum cōtra ea facere non formident, & licet ob hoc cōtra tales ad denuntiandum eosdem effet per ordinarios procedendum, tamen plures ex eis circa hoc se exhibent negligentes: idcirco nos huiusmodi submouere negligentiam cupientes, sacro approbante concilio omnibus ordinariis Tarragonensis prouinciae in virtute sanctæ obedientiæ, & sub diuini obtestatione iudicij duximus iniungendū, vt cum eis cōstiterit aliquos Officiales, vel Iudices infra eorum iurisdictionem contra prædicta fecisse, quæ in dicto cōcilio salubriter sunt instituta, eosdem excōicatos faciant publicari: vt sic prædicti, & à iudicandi officio excludantur, & ad reconciliationis gratia facilius inducantur.

DE MALEDICIS. Tit. XI.

ARNALDVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in concilio tertio Tarracone celebrato,
anno Domini. M. CCCXXXIX.

Quinto Nonas Augusti.

Decretalis contra blasphemios iubetur obseruari, ac publicari per Rectores populo diebus solennibus. Monentur insuper, & per Rectores moneri iubentur Domini temporales, vt memoratam decretalem curent obseruari, ac extirpari blasphemandi, & iurandi confuetudinem e suis ditionibus penitus citra fan- guine à iure constitutis. Præcipue tamen clericos iis penitus plectendos statuitur.

AD detestandum detestabile blasphemiae vitium contra Deū & sanctos eius, decretalē super hoc editā, quæ incipit, S T A T V I M V S, extrā, D E M A L E D I C I S, districte præcipimus obseruari. Et ne ad excusandas excusationes in peccatis ignorantiam allegari contingat, mandamus Rectoribus ecclesiasticis, & eorū loca tenentibus in virtute sanctæ obedientiæ, quod decretalem prædictam in festiuitatibus Natalis Dñi, Paschæ Resurrectionis, Ascensionis

sionis, Pentecostes, & Assumptionis beatæ Mariæ, & principalium altarium ecclesiasticorum suarum annuatim populo publicent, & exponant. Hortamur etiam quoscunq; dominos temporales, & per dictos Rectores, & eorum loca tenentes in parochiis suis hortari mandamus, quatenus tanquam honoris Dei & Sanctorum suorum feruidi zelatores, & vt prouideat eternæ beatitudinis præmia consequantur, eandem decretalem in locis suis faciant obseruari. Et insuper contra blasphemos huiusmodi, necnon iurantes per caput, ventrem, & alia membra Dei, vel beatæ virginis Mariæ matris eius, aut aliorum Sanctorum per statuta poenalia, citra tamen vindictam sanguinis, sic studeant prouidere, quod de locis suis dicta vitia extirpentur. Decet nanque, vt qui volunt gloriari nomine Christiano, non debeant talia patienter, seu sub dissimulatione audire: sed ea ne dicantur, penitus cohibere. Clerici nanque, qui culpabiles reperti fuerint in præmissis, sic per suos ordinarios puniantur, quod eorum poena sit aliis in exemplum.

DE EXCESSIBVS PRAELA-
torum Tit. XII.

ARNALDVS ARCHIEPISCOVS IN
primo concilio celebrato, anno Domini. M.
CCCXXXVI. C. Fuit. §. Item
sic current.

Monentur Episcopi animaduertere in clericos delinquentes.

ITEM sic current Episcopi punire clericos pro eorum excessibus, vel delictis, quod nullatenus propter impunitatem criminum allegent priuilegium clericale.

ARNALDVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in secundo concilio celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXXVIII.
Calendas Aprilis.

Ecclesiastici iurisdictionem temporalem habentes prohibentur malefactores, aut exules in sua ditione sustinere in casu in ea expresso.

CVM summū bonum sit in terris iustitiam colere, cuius cul-
tus ex sustentatione malefactorum, & bannitorum multipli-
citer impeditur, & datur multis audacia delinquendi, sacro
approbante concilio statuimus, quod nulla persona ecclesiasti-
ca sustineat malefactores, vel bannitos in locis suis, in quibus iurisdi-
ctionem obtinet temporalē: nisi forsitan ille, qui tales sibi remittere pe-
teret, in locis suis malefactores, seu bannitos eiusdem personæ ecclesiasti-
cae sustineret.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in secundo concilio celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXCV. Decimo Ca-
lendas Decembris.

Superioris constitutionis violatoribus poena hac constitutione irrogatur.

VIA ex constitutione, incipienti CVM SVMVM &c, contra personas ecclesiasticas, quae iurisdictionem exercent temporalem in locis suis, bannitos per Prælatos, & alias personas ecclesiasticas sustinentes, fructus, qui sequi sperabatur, non fuit subsequutus, eo quod poena contrarium facienti non est imposta in eadem: idcirco de consensu sacri concilii statuimus, quod nullus Prælaus, seu alia persona ecclesiastica in locis suis sustineat malefactores ecclesiæ, seu bannitos sub poena quinquaginta librarum: in quam incidat ipso facto, si infra triduum, postquam fuerit requisitus, non remiserit dictos malefactores, seu bannitos, vel à sua iurisdictione expulerit. Cuius poenæ medietas personæ ecclesiasticæ requirenti, & alia medietas superiori immediato sustinentis dictos bannitos, si habuerit in regno, aliascameræ apostolicæ applicetur.

DE PRIVILEGIIS, ET EXCESSIBVS
priuilegiatorum. Tit. XIII.

PETRVS DE FVXO, CARDINALIS, APO-
stolicæ sedis Legatus in concilio Dertusæ celebrato,
anno Domini. M. CCCXXIX.

Nonis Nouembris.

Qui regias literas falsò impetrant, quibus de regis familia se esse testantur, cum tamen familiares non sint, easque impunitatis causa allegant, si beneficiati sint, beneficiis priuati censentur: si non sint, inhabiles ad obtinenda beneficia toto triennio redduntur.

VONIAM, vt inquit Gregorius, vniuerscuisq; præsiden-
tis mentem curarum diuersitas vastat, cumq; animus diui-
ditur ad multa, sit minor & ad singula: tātoq; ei in vnaqua-
libet re subripitur, quanto latius in multis occupatur: mi-
randum non est, si quandoque contra cōcedentis intentum
quicquam extorquet improbitas importuna. Sane licet iandudum sere-
nissimus Aragonum rex suæ iustificatæ mentis intentū insinuauerit pro-
uisione regali decernens, quod familiaritatis suæ priuilegiis ii tantummo-
do gaudere deberent, qui, omni fictione cessante, veri familiares exis-
tent: nonnulli tamen, vt excessuum suorum queant debitam correctio-
nem euadere, familiaritatis regiē impetrare literas, & ad elusionem suo-
rum superiorum eis vt conantur. Volentes igitur morbo huic ecclesiasticæ
disciplinæ eneruati salubri prouidere medela, statuimus in omnes & fin-
gulos,

gulos, qui cū non sint veri familiares, familiaritatis literas, vt prædictur, impetrare, ipsisq; vti de cætero attentauerint, beneficiis, quæ obtinet, sint priuati ipso facto: & non beneficiati per triennium sint inhabiles ad beneficium ecclesiasticum obtinendum: iuribus, ac constitutionibus provincialibus, & synodalibus circa prædicta saluis remanentibus, & illæsis.

DE INIVRIIS, ET DAMNO
dato. Tit. XIV.

PETRVS ARCHIEPISOPVS IN QVIN-
to concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLIII. Pridie Idus Ianuarii. Cap.

Conspiratorum. §. Simili
sententia.

Excommunicationis poena plectuntur, qui clerum infamant infamoriis li-
bellis, aut infamari permittunt.

SIMILI sententia excommunicationis innodamus omnes il-
los, qui contra constitutos in clero libellos famosos compo-
suerint, & qui componi fecerint, & qui compositos inuentos
non ruperint sine mera.

DE PURGATIONE CANO-
nica. Tit. XV.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.

Quarto Calendas Aprilis.

Delatis clamosa insinuatione indicenda purgatio canonica, si in eos inquire
difficile fuerit: nisi se canonice purgari, puniendi.

CONSTITUTIO de correctione subditorum edita fir-
mius obseruetur, & circa subditorum correctionem Prælati
diligenter vigilent, & intendant: ne sanguis subditorum de
iporum manibus requiratur. Et cum ad ipsos clamosa insi-
nuatio peruererit, si ad inquisitionem cōmodè descendere non valent,
pro eo quod processus ille plurimum habet laboris, & dispendii, multaq;
diffugia, saltem purgationem indicat canoniam solenniter faciendam:
in qua qui defecerit, canonice puniatur.

DE POENIS. Tit. XVI.

IOANNES SABINENSIS IN CONCILIO
Ilerdæ celebrato, anno Domini. M. CXXIX.

Quarto Calendas Aprilis.

Clerici qui commiserint abominanda facinora hic expressa, sacris ordi-
nibus spoliandi.

NE clerici in opprobrium, & odium ecclesiæ ea crimina impunè committant, pro quibus laici pœnam incurrerent capitalem, præcipimus ut clericus, qui in furto vel crimen falsi, rapina, homicidio, raptu mulierum, incendio, falsa moneta, vel in aliis criminibus, quæ pœnâ corporalem merentur, publicè fuerit deprehensus, à suis ordinibus degradetur, si subdiaconus & infra, ab uno Episcopo: si diaconus, à tribus Episcopis: si sacerdos, in concilio prouinciali, vel ante habitu numero canonico Episcoporum: quatenus qui ecclesiastica libertate tam flagitiosè abutitur, clericali priuilegio sit priuatus.

PETRVS DE LVNA CARDINALIS, SEDIS apostolicæ Legatus in concilio Gerundæ celebrato, anno Domini. M. CCCII. Octauo Calen. Nouembris.

Iudices ecclesiastici monentur in clericos seuerè animaduertere, qui facinora capitali punitione digna admiserint. Qui secùs fecerint, si beneficiati fuerint, beneficiorum fructibus anni spatio mulctantur: qui nō fuerint, inhabiles ad quævis ecclesiastica beneficia obtinenda per idem tempus redduntur.

Non vinea Domini Sabbaoth cultores immerito positi, & custodes, sic in culturae ac custodiæ nos debemus ministeriis exercere, vt ad eandem alias in partes sollicitudinis euocatos sedulo studio excitemus. Extirpandis igitur vitiorum spinis, & peccatorum tribulis, quæ superficiem eius obumbrare videntur, ac plantandis virtutum geniminiibus, in quibus Dñs delestat, totis affectibus intendentis, monemus & hortamur omnes Archiepiscopos, & Episcopos, & alios quouscunque iurisdictionem ecclesiasticam habentes & exercentes, eorumq; Vicarios, Prouisores, Officiales, & alios ipsorum loca tenentes, quocunq; nomine censeantur, vt circa correctionem clericorum coniugatorum, & non coniugatorum, in quibuscunq; ordinibus constitutorum, cuiuscunq; dignitatis gradus, vel conditionis existant, qui crimina, vel maleficia commiserint, diligenter obseruent canonica statuta. Et, si crimina commissa fuerint capitalia, vel talia pro quibus ea perpetrans sit capitaliter puniendus, Officialis, Vicarius, Prouisor, aut qui quis alias vices gerens Archiepiscopi, Episcopi, vel Prælati, aut is, ad quem ratione sui beneficii, vel officii hoc spectat, vel eius locu tenens, clericum coniugatum, vel non coniugatum ordinis, dignitatis, gradus, vel cōditionis cuiuscunque talia committentem absq; correctione, & castigatione debita non relaxent, absoluant, vel abire permittant, aut in castigando, corrigendo, vel puniendo remissi, aut negligentes existant: alioquin malitiosè deficientes in præmissis, si beneficiati fuerint, à perceptione fructuum, & redditu beneficiorum, quæ obtinent, sint suspensi per annum: & per idem tempus efficiatur inhabiles ad quodcunq; beneficium ecclesiasticum obtinendum. Si verò beneficiati non fuerint, per idem tempus ad obt

ad obtainendum ecclesiasticum beneficium reddantur inhabiles ipso facto.

DE POENITENTIIS, ET REMIS-
SIONIBUS. Tit. XVII.

Incendiarii, & alii, qui pro absolutione consequenda Romanam ecclesiæ adire tenentur, ad Archiepiscopum transmittendi.

LEMENS Episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Suffraganeis Tarragonensis ecclesiæ salutem, & apostolicam benedictionem. Discretio vestra, sicut credimus, non ignorat à sanctis fuisse patribus institutum, quod incendiarii, & qui manus iniiciunt in clericos violentas, non ab alio quam à Romano Pontifice merentur absolvi: vt ex hoc laicorum malitia, qui clericos & ecclesiasticos viros grauiter persequuntur, consideratione laboris, & expensarum, quas ad apostolicam sedem sustinent venientes, facilius reprimatur. Peruenit ad nos, quod ciuitas Tarragonensis cum territorio suo à Saracenis grauiter infestatur, & in æstiuo tempore cum rata multitudine galerarum, et aliarum nauium ad ciuitatem ipsam, & villas maritimæ armata manu descendunt, vt tam homines quam aliam prædam post destructionem terrarum secum in miseram captivitatem inducant. Volentes igitur in hac parte memoratae ciuitati, sicut possumus, affectione paterna cauere, fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus supradictos incendiarios, & alios, qui pro excessibus suis Romanam ecclesiæ adire tenentur, ad venerabilem fratrem nostrum memoratae ciuitatis Archiepiscopum transmittatis: ipsis firmiter iniungentes vt quod idem Archiepiscopus pro satisfactione illis iniunxerit, suscipiat firmiter & obseruent. Nos enim ipsi Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt ipsos penitentes pro defensione ciuitatis apud se faciat sub ea temporis diuturnitate manere, quantum facturi essent, si Hierosolimam, vel alia pia loca ad obtainendam delictorum veniam muterentur. Datum Latera. decimo Calendas Maii. Pontificatus nostri anno primo.

JOANNES SABINENSIS IN CONCILIO

Ilerdae celebrato, anno Domini. M. CXXIX.

Quarto Calendas Aprilis.

Iubentur sacerdotes populum ad confessionem & communionem hortari: & constitutionem generalis concilii super hoc editam obseruare.

ACERDOTES frequenter moneant populum ad confessionem faciendam: exponentes, & districte seruantes constitutionem concilii generalis, videlicet quod si quis confitebitur, viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica caret sepultura.

ROD

RODERICVS ARCHIEPISCPVS IN
primo concilio celebrato Tarracone, anno Domini.
M. CCXCI. Idibus Martii.

Quæstores, ut recipiantur, Episcoporum literas, sine quibus non recipiendi, explicare debere, prædicare non item.

DE quæstoribus autem ecclesiarum, hospitalium, vel pontium seu aliis duximus statuendum, quod sine nostris, vel Episcoporum literis non recipiantur: & tunc ad prædicationem non admittantur, sed ad expositionem ipsorum tantum, quæ in Episcoporum literis continentur. Et, si prædicare præsumperint, capiantur.

EXIMINVS ARCHIEPISCPVS IN PRIMO
concilio celebrato, anno Domini. M. CCC
XVII. Octauo Calendas Martii.

Canonici, & clerici beneficiati, qui sacerdotes non fuerint, bis in anno iubentur communicare: Rectores, & sacerdotes ter saltem celebrare.

TEM cum clerici exemplum, & forma esse debeant laicorum, statuimus, & sub virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo madamus, quatenus omnes Canonici cathedralium, & collegiarum ecclesiarum, & alii clerici beneficiati, qui sacerdotes non fuerint, saltem communicent in anno bis, nisi ex causa de licentia proprii confessoris ea vice duxerint abstinentium. Rectores vero ecclesiarum, & alii sacerdotes ad minus ter celebrent in anno.

IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS,
administrator Ecclesiæ Tarragonensis in primo concilio
celebrato, anno Dñi. M. CCCXXIX.
Quarto Calendas Martii.

Iubentur Rectores publicè monere eos, qui ætatem rationis capacem attigerint, obligari semel saltem in anno peccata confiteri, & Eucharistie sacramentum recipere. Qui facere neglexerint, in vita ecclesiæ ingressu prohibitum iri, mortuos sepultura ecclesiastica carituros.

NE circa ea, quæ sunt de necessitate salutis, periculosa ignorantia allegetur, præcipimus ecclesiarum Rectoribus, & eorum loca tenentibus, ut ad minus quater in anno exponant parochianis suis, quatenus iuxta statutum concilii generalis quilibet, ex quo ad annos discretionis peruererit, masculus scilicet ad quatuordecim, foemina vero ad duodecim peruererit, tenetur semel saltem in anno omnia sua peccata fideliter confiteri, & recipere ad minus in festo Paschæ Resurrectionis Eucharistie sacramentum: nisi de licentia confessoris ad tempus duxerit abstinentium. Aliter, viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens careat ecclesiastica sepultura.

IDEM

IDEM IOANNES IN EODEM.

Sacerdotibus Missam celebrare cupientibus, si proprius confessor defuerit, peccata sua cuius confiteri licere, & ab eo, cui confessi fuerint, absoluvi.

VT Missæ cum puritate conscientiæ celebrentur, & ne propter defestum confessoris eas omitti contingat, indulgemus, quod quilibet presbyter volens Missam celebrare, si non habet copiam proprii cōfessoris, possit cuilibet presbytero idoneo sua peccata confiteri, & absolutionis beneficium recipere ab eodem.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in primo concilio Tarracone celebrato, anno
Dñi. M. CCCXCI. Nonis Aprilis.

Etiamsi affuerit proprius sacerdos, licere tamen sacerdotibus de casibus minimè referuatis confiteri inuicem, & absoluere si propositum habuerint Missam celebrandi.

NNDVLTVM presbyteris Missam volentibus cum puritate conscientiæ celebrare de cōfitendo inuicem, dum non suppetit proprii facultas sacerdotis, suadente sacro concilio ampliantes, etiam ubi sacerdos proprius affuerit, quoties presbyter missam celebrandi propositū habuerit, de casibus minimè referuatis confitendi, & de confessis inuicem absoluendi plenariam concedimus facultatem.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHIEPISCOPUS in tertio concilio celebrato, anno Domini.

M. CCCCVI. Idibus Martii.

Mandatur Rectoribus ne religiosos mendicantes ad audiendas confessiones admittant, nisi literas sigillo Diocesanorum consignatas exhibuerint: quibus exprimantur casus de quibus confitentes & audire, & absoluere sibi licere demontrent. Literas autem non nisi idoneis concedi debere decernitur, populoque publicari: ut præmoneatur de aliis casibus in literis non expressis tali religioso absoluere non licere.

VT saluti animarum subditorum prouideatur, & religiosi mendicantes sibi potestatem traditam absoluendi in foro penitentiali extendere non possint, ultra quam eis concessum existat, sacro approbante concilio statuimus, quod de cætero Rectores, vel Curati diocesis, vel prouincia Tarragonensis nullum religiosum mendicantem ad audiendum cōfessiones admittat in ecclesiis, vel parochiis ad audiendum confessiones de casibus pontificali dignitati referuatis: nisi dictus religiosus de illis fidem fecerit per patentes literas Dicecesani illius sigillo sigillatas, de potestate quam habeat audiendi, & absoluendi huiusmodi confitentes de casibus superdictis, quos exprimi volumus in literis ipsorum. Quæ literæ religiosis sufficientibus per ipsorum superiores præsentatis Prælato, vel eius generali

T. Vicar

Vicario, & non aliis concedantur secundum Clementinam: D V D V M
DE SEPVLTVRIS. Quodq; dicti Rectores, vel Curati potestatem
dicti religiosi populo sibi commisso intiment in ecclesiis suis, priusquam
admittatur ad confitendum: subiungentes dicto populo, quod de aliis
casibus in eius litera nō expressis, videlicet de oppressoribus liberorum,
fortilegiis, decimas non soluentibus, de restitutione male ablatorum, &
aliis casibus, nisi de expressis in eius literis nullam habeat potestatem. Si
verò Rectores, vel Curati dictos religiosos admiserint, aliter quam est
præmissum, & hanc constitutionem non seruauerint, arbitrio suorum
Prælatorum decernimus puniendos.

D A L M A T I V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I -
episcopus in concilio celebrato, anno Dñi. M. CCCC-
X X I F I I . Quinto Idus Decembbris.

Rectoribus superiorē constitutionē negligentib⁹ pœna centum solidorum
constituitur toties, quoties in ea obseruanda fuerint negligentes, cuius pœna
dimidium ecclesiæ eius, cuius Rector fuerit, applicatur: dimidium Ordinario
exequenti. Iubetur insuper hæc cœstitutio semel quotānis in synodis publicari.

ON S T I T U T I O N I per bonæ memoriarum dominū En-
necum prædecessore nostrum editæ, incipienti VT SA-
LVTI A N I M A R V M &c, prohibenti Rectoribus,
& Curatis, quod nullum religiosum mendicantem ad au-
diendum confessiones admittant, nisi secundum formā ibi
expressam, in qua voluit non obseruantes arbitrio suorum Prælatorū pu-
niri: sacro approbante concilio adiicimus, quod Curatus dictam consti-
tutionem non seruans, & præter formam ibi expressam dictos religiosos
admittens, quotiens contrā egerit, pœnam centum solidorū ipso facto
incurrat: cuius medietas fabricæ illius ecclesiæ, cuius erit ille Rector, &
reliqua medietas Ordinario exequenti applicetur. Quam quidem con-
stitutionem quolibet anno in synodis, seu in ecclesia cathedrali volumus
infallibiliter publicari.

P E T R V S D E F V X O, C A R D I N A L I S, S E D I S
apostolicæ Legatus in concilio Dertusæ celebrato,
anno Domini. M. CCCCXXIX.

Nonis Nouembbris.

Quæstores excommunicantur qui sine literis Diœcesani qui cœquam exigere,
vel prædicare aggressi fuerint, & à beneficiis suspenduntur per triennium,
& ad obtinenda inhabiles fiunt.

VA E S T O R E S ecclesiarum, hospitalium, vel aliorū quo-
modolibet piorum operum sine literis proprii Diœcesani, in-
cuius diœcesi quæstum faciunt, non recipi, nec ad prædicandū
admitti, jam pluries repetita fuit cōstitutio, NE P R O-
H I B I T V M &c, sed nondum potuit ipsorum audax præsumptio ef-
ficacit

sic aciter coēceri. Propterea dignum arbitrari compellimur audaciam
ipsorum pœnarū adiectionibus refrenare. Siquis igitur sine literis proprii
Diœcesani, cuius est diœcesis, quæstū exerceat, aut prædicationis officiū,
quod non nisi viros approbatos decet agere, ausus fuerit attentare, ipso
facto sententiam excommunicationis incurrat: & à beneficiis ecclesiasticiis,
siqua obtinet, per triennium sit suspensus: & per idem tempus sit in-
habilis ad quocunque beneficium ecclesiasticum obtainendum: pœnis
aliis quibuscumque, & statutis remedii semper saluis.

I D E M I N E O D E M.

Ecclesiastici monentur detractionibus ecclesiasticorum, ac infamacionibus absti-
nere: super contentionē de iuribus, sacros canones obseruare. Qui cuipī Prä-
lato detrixerint, excommunicantur: à qua excommunicatione non possint ab-
solui, nisi famam laceratā contraria prædicatione restituerint. Si veniam po-
stularint, obseruādæ constitutiones super hoc editæ Bonifacii octauī, & Cle-
mentis: si contentio de iuribus inciderit, obseruāda Clementina, cuius initium
est, SVPER CATHEDRAM, &c.



V M in ecclesiæ corpore omnes qui sunt veluti membra,
debeat se inuicē confouere, deuiat ab ordine rationis, quod
quidam propriis commodis nimis audiē intendentēs, dum
quaæ sua sunt, nō quaæ C H R I S T I, student astutissimè pro-
curare aliorum iuribus, & quod magis est, famæ detrahere moliuntur.
Sanè querelosa insinuatione nostras peruenit ad aures, quod nōnulli cle-
rici, seu religiosi statuta sacrorum canonum super his edita contemnen-
tes, Prælatorum ecclesiæ famam detractionū moribus lacerare, eccle-
siarum iuribus detrahere, & præiudicare conatur. Nos igitur infamiam
hanc cupientes ab ecclesiæ corpore totaliter extirpare, quatenus mem-
brorum debita inuicem coniunctione seruata, sub vniōnis & charitatis
vinculo acceptabilis exhibeat altissimo famulatus, hoc perpetuo iube-
mus edicto, vt clerici, seu religiosi ab huiusmodi detractionibus linguis
suas studeant refrenare, nec ecclesiasticis detrahant, aut sibi ad inuicem
prædicando: ne populos detrahant ab ecclesiariū parochialium frequen-
tia, vel accessu: sed super sepulturis, decimis, primitiis, & aliis ecclesiariū
iuribus sacros studeant canones inuiolabiliter obseruari. Quod si quif-
quam prædictorum deinceps Prælati alicuius famæ publicè, & iniuriose
detrahere, aut difamatores libellos dictare, scribere, vel in publico loco
legere, vel affigere attentauerit, vel procurauerit, excommunicationis
sententia ipso facto sentiat se ligatum: à qua nullatenus possit absolui, nisi
prius coæquali publicatione laceratam famam studuerit reparare. Et, si
ab offenso veniam humiliter postulauerit, districtius iniungimus inuio-
biliter obseruari constitutionem Domini Bonifacii Papæ VIII. quæ
incipit, A N I M A R V M S A L V T I &c, & illam Domini
Clementis, quæ incipit R E L I G I O S I D I O E C E S A-

T 2 NIS

NIS, ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS ESSE LICITVM: decernentes, quod postquam eis constiterit aliquem, seu aliquos de predicitis excommunicationis sententiam occasione praemissorum incurisse, ipsos excommunicatos faciant publice nuntiari: do nec de absolutione eis facta fuerit fides: nec non circa prædicationis exercitum, vel audiendi confessiones, vel super iuribus sepulturarum Clementina, quæ incipit SUPER CATHEDRAM, sub obtestatione diuini iudicij præcipimus tenaciter obseruari.

IDEM DE FVXO IN EODEM.

Super casibus episcopalibus non esse quenquam secularem clericum admittendum ad audiendas confessiones sine literis Ordinarii, vel Vicarii, vel Rectoris. Literas autem gratis dari debere idoneis: & casus exprimi, super quibus permittitur iis absoluendi facultas, & populo publicari.

AETER VM, quoniam vbi periculum maius est, solertia debet adhiberi cautela, ne animarum saluti per quenquam confessoris officio abutentem illudi valeat, aut ipsum officium debite peragentium fama iniquorum mortibus maculetur, statuti huius tenore sancimus, quod nullus clericus secularis sine Diocesanis, vel ordinarii ecclesiastici, ad quem hoc pertineat, vel ipsorum Vicariorum, vel Officialium ad hoc habentium potestatem, aut proprii Curati licentia, ecclesiis parochialibus ad audiendum confessiones, & super casibus episcopalibus sine diocesanis literis admittatur: quas literas ipsi Diocesani, aut ipsorum Vicarii generales clericis, quos ad hoc constituit esse sufficentes & idoneos, quodque, ut præfertur, duxerint admittendos, eisdem gratis & spontanea voluntate concedere, & tradere teneantur in quibus quidem literis casus episcopales, quos eis concedere voluerint, exprimantur: quos casus caute in genere, aut distincte per Curatum ecclesie populo, antequam ad audiendum confessiones admittatur, præcipimus intimari: ut patefiat in nullis aliis casibus, quæ expressis in sua litera, de casibus episcopalibus absoluendi potestatem aliquam habere.

IDEM IN EODEM.

Quod religiosi sacramentum confessionis, & poenitentiae non audeat ministrare, nisi prius ordinario presentetur: & ab eo admissi, de casibus Episcopo reseruatis se non immisceant, nisi facultatem habuerint: quæ gratis, & sine pecunia concedi debet.

VT religiosi in sacramento poenitentiae, & confessionis reddantur attenti, hoc statuto salubri in virtute sanctæ obedientiae præcipimus, ac prohibemus, ne religiosi priusquam iuxta constitutionem Clementinam, SUPER CATHEDRAM, per eorum superiora electi presentati, & per Ordinarios ad confessiones admissi fuerint, confessiones secularium audire præsumant: nec locorum ordinarii aliquos ex eis, nisi, ut præfertur, per eorum superiora ad hoc

ad hoc prius electos admittant: sicque electi presentati, & admissi de casibus Episcopis reseruatis quenquam absoluere habeant, nec audeant, nisi literas super absolutione huiusmodi prius à locorum Ordinariis obtinuerint: in quibus quidem literis casus episcopales, quos eis cōcedere voluerint, exprimantur: easque literas Curatis ecclesiarum exhibeant, ut ecclesiæ populo patefieri valeant, ut est dictum. Idemque ordinarii gratis sine solutione aliqua tales literas eisdem religiosis, quos ad hoc reputabunt idoneos, tradere teneantur: in Domino exhortantes Prælatos, & Ordinarios ecclesiasticos, ut circa religiosos præfatos charitatib[us] se habeant, ut tenetur. Per prædicta præiudicare nolumus, quibus de iure communi, vel in dulcio sedis apostolicæ aliud competit in præmissis.

IDEM IN EODEM.

Iubentur medici statutum generalis concilii de ægris admonendis, ut salutare poenitentiae sacramentum adhibeant, sub excommunicationis poena obseruare: prohibenturque ne quem ægrum plusquam ter inuisant, nisi quem scierint in ea ægritudine poenitentiae sacramentum accepisse. Quæ constitutio quater in anno præcipitur publicari.

DILECTIONIS debitus ordo perueritur, si medicinæ corporis prius & diligenter, quam sanandis animæ vulneribus intendatur. Sanè licet in concilio generali fuerit districte præceptum, quod medici corporum, cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, ut medicos aduocent animarum, ut, postquam fuerit infirmo de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrissimum procedatur: ipsum tamen salubre, ac utile statutum, aut obliuione, aut contemptu frustrari cernitur debitæ obseruationis effectu. Propterea cupientes quod pro animarum salute tam utiliter dignoscitur statutum, debita executione potiri, vniuersis corporum medicis districte præcipimus, & mandamus, ut ipsum studeant fideliter obseruare: ipsius nihilominus sub excommunicationis poena, quam incurrire volumus ipso facto, mandantes, ut nullum infirmum ultra tertiam vicem visitare præsumant, de quo non sciant, quod in illa ægritudine salutare poenitentiae receperit sacramentum. Adiuentes ut cunctis nota sit præfens constitutio, quod locorum ordinarii saltem quater in anno, videlicet in festo Natale domini, Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis virginis Mariae teneantur in principalioribus ecclesiis suæ dioecesis, vel territorii constitutionem hanc publicari facere.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS. Tit. XVIII.

Confirmatio apostolica constitutionum sequentium, quarum initia sunt:

Item cum quidam. Olim Sacro. Item sacro. Verum. Item cum clericis.

Item quia facientes. Declando. Stauimus sacro. Quoniam exempla.

Sollicitat. Officii nostri. Item cum quibusdam. Prædecessorū. Ecclesiastica

T 3 iurisd

15° Constitut. Prouinc. Lib. V.

jurisdictio. Cum affectata. Cum in constitutione. Decernimus. Ad reprimendum. Pia consideratione, ac dubiorum, quæ in eas cadunt, & responsionum.

LEMENS Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Honestis petitionibus supplici gratum nos decet præbere consensum: & eis maxime, quæ ecclesiasticarum personarum honorem, & statum, ac fauorem libertatis ecclesiastice respicere dignoscuntur. Sanè petitio venerabilium fratrum nostrorum Sancii Archiepiscopi Tarragonensis, & eius Suffraganeorum nobis nuper exhibita continebat, quod olim bona memoria Petrus, & Benedictus, ac Bernardus, ac Rodericus, necnon Eximinus, & Arnaldus Archiepiscopi Tarragonensis, ac Ioannes Patriarcha Alexandrinus tunc administrator ecclesie Tarragonensis in spiritualibus, & temporalibus auctoritate apostolica deputatus, quasdam inter alias constitutiones diuersis successiue vicibus ediderunt, idemque Ioannes Patriarcha administrator, & Arnaldus Archiepiscopus nonnulla quibusdam constitutionibus ipsis addiderunt, & aliquas ex ipsis etiam declararunt pro bono, & tranquillo statu cleri prouincie Tarragonensis, ac fauore ecclesiastice libertatis ipsius. Quarum constitutionum, & ordinationum, additionum, & declarationum tenores de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari. Quare idem Sanctius Archiepiscopus, & Suffraganei nobis humiliter supplicarunt, ut constitutionibus, & additionibus, ac declarationibus ipsis, ex quibus, ut afferunt, eis non modicum utilitatis, status, & honoris accreuit, apostolicæ confirmationis robur adiicere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur statui, & quieti subditorum, & praefertim personarum ipsarum, quæ velut Dei ministri potiori auxilio dignæ sunt, libenter intendimus, & auctoritate apostolica fauore prosequimur opportuno, dictorum Sancti Archiepiscopi, & Suffraganeorum supplicationibus inclinati, constitutiones, additiones, & declarations ipsas ratas, & gratas habentes auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Tenores vero præstarum constitutionum eiusdem Petri Archiepiscopi tales sunt, ut sequuntur usque ad Datum.

PETRVS ARCHIEPISCOPVS TARRACONENSIS in quinto concilio Tarracone celebrato, anno Dni. M. CCXLIII. Pridie Idus Ianua.

Excommunicant raptiores, deprædatores ecclesiasticorum, ac rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum, quæ violenter rapuerint, vel inuaserint. Fautores item, & receptatores memoratorum malefactorum: in eorumque presentia à diuinis cessandum, nec absoluendi culpa obnoxii, nisi satisficerint damnum, & iniuriam perpresso. Et si principales malefactores mortui fuerint, eorum cadauera sepultura ecclesiastica priuanda: quoique eorum hæredes satisficerint. Par ratione excommunicant qui prædas scienter, & voluntarie in castris suis receptant: cessandumque in iis à diuinis, & eorum presentia. Cùm autem per rei

Defent. excom. Tit. XVIII. 151

rei evidentiam, vel confessionem reorū constiterit de inuasoribus, vel quando in specie denuntiati fuerint, cessandum à diuinis. Absolutio autem cōmittitur Episcopo, à quo publicādi, & ii quos ipse, & ii quos alii Episcopi denuntiarint.



T E M cum quidam in aliorum prædis propria commoda studeat inuenire, sacro approbante concilio excommunicamus inuasores, raptiores, deprædatores hominum ecclesiarum, ecclesiasticarum rerum, & locorum religiosorum: qui bona prædicta rapuerint, vel inuaserint violenter: dummodo personæ de quibus querelam habuerint, paratæ fuerint stare iuri, prout debuerint. Eadem etiam excommunicatione ligamus fautores, & receptatores, prædictorum malefactorum: statuentes ut quandiu principales malefactores in aliqua villa, vel ciuitate fuerint, ecclesiæ cessent à diuinis: & si forte principales malefactores mortui fuerint absq; satisfactione condigna, licet in mortis articulo absoluti fuerint, eorum corpora non tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, quoique hæredes morientium satisficerint iniuriam passis, & damnum datum fuerit totaliter emendatum: nec prædicti in sanitatem aliquatenus absoluātur, nisi cum de præmissis omnibus satisficerint competenter. Simili excommunicationis sententia innodamus omnes illos, qui prædam clericorum, & locorum religiosorum, & hominum eorumdem receperint scienter & voluntarie in castris suis, vel emerint: & castra illa, vel villæ in quibus retenta fuerit præda, cessent penitus à diuinis, quoique damnum datum pro posse studuerint emendare. Et licet inuasores & raptiores ecclesiæ in genere sint excommunicati, non tamen evitentur, nisi facti evidenter, vel confessione propria hoc cōstatet: quoique in specie denuntiati fuerint. Et postquam in specie denuntiati fuerint, absolutio talium cuiilibet Episcopo in sua diœcesi auctoritate facili concilia est cōmissa. §. Item sacro approbante concilio statuimus, quod quilibet Episcopus in sua diœcesi denuntiet sententias per alium Episcopum latas ad significationem ipsius, & vitet excommunicatos ab eo, & faciat tanquam excommunicatos arctius per suam diœcesim uitari.

PETRVS ARCHIEPISCOPVS IN SEXTO concilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CCXLIII. Calendis Maii.

Declaratur superior constitutio, doceturque tantu ad eos pertinere, qui scienter & sponte cū armis, vel sine armis vim ecclesiasticis attulerint, aur in res eorumdem inuaserint. Fautores autem & empatores prædæ, post monitionem legitimam, arbitratu Diœcesani excommunicari debere.



L I M excommunicasse recolimus inuasores, raptiores, & deprædatores hominum ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum: qui bona prædicta rapuerint, vel inuaserint violenter: dummodo personæ, de quibus querelā habuerint, paratæ fuerint, prout debuerint, iuri stare. Eadem excommunicatione

catione ligamus fautores, & receptatores prædictorum malefactorum: statuentes, vt quandiu principales malefactores essent in aliqua villa, vel ciuitate, cessarent ecclesiæ penitùs à diuinis. Et si forte principales malefactores absq; satisfactione condigna ab hoc seculo transmigrarent, licet essent in mortis articulo absoluti, eorum corpora non traderentur ecclesiasticæ sepulturæ, quousq; hæredes morientium satisfecissent passis iniuriam, & damnū penitùs emendassent: nec prædicti absolui possent in sanitatem, nec de præmissis omnibus nisi priùs satisfecissent passis iniuriā competenter. Simili excommunicatione innodauimus omnes illos, qui prædicta clericorum, & locorum religiosorum, & hominum eorundem scienter receperint, & voluntariè in castris suis, & emptores ab eis: & quòd castra, & villæ, in quibus præda esset retenta, cessarent penitùs à diuinis, quousq; datum studuisserint pro posse suo penitùs emendare. Verum quidam prædictam constitutionem peruersè intellentes, eam trahunt ad res modicas, & ad ea, quæ non ex proposito nocendi, sed ex necessitate aliqua, & nō creditibus offendere capiuntur. Nos autem peruersum intellectum, & dubitationem huiusmodi penitùs declarantes, in omnibus supradictis casibus, sic duximus declarandā: Quòd illi tantum intelligentur excōmunicati, qui ex proposito cum armis, vel sine armis violenter inuaserint, & destruxerint loca prædicta, & ceperint homines ipsorum, & res eorūdem in hoc grauiter delinquentes: loca autem in hoc solo casu cessare volumus penitùs à diuinis, quandiu ibi prædicta fuerint violenter receptata. Fautores autem, & emptores præda post admonitionem legitimam iuxta dicecesani arbitrium excōmunicentur. Et si aliquem excommunicatorum prædictorum absque satisfactione condigna mori contigerit, tandem careat ecclesiastica sepultura, quoadusq; per hæredes ipsius damnum datum per eum sit plenariè passis iniuriam, vel eorum hæredibus restitutum.

BENEDICTVS IN CONCILIO PRIMO
Tarracone celebrato, anno Domini. M. CC-
LII. Sexto Idus Aprilis.

Episcopis facultas permittitur subditos suos absoluendi, qui excommunicati fuerint, vel denuntiati per constitutionē de inuasoribus, & raptoribus, &c. Archiepiscopo etiā subditos Suffraganeorū, postquā satisficerint iis, quos violarint.

SACRUM approbante concilio plenam concedimus vniuersitatis nostris Suffraganeis potestatem absoluendi subditos suos, qui excōmunicati per ipsos fuerint, vel etiam auctoritate constitutionis sacri concilii Tarracensis contra malefactores, & inuasores hominū, & rerum ecclesiæ promulgatæ: licet dicti excommunicati denuntiati fuerint in concilio Tarracensi. Item fuit ordinatum sacro concilio approbante, quòd dominus Archiepiscopus absoluat subditos Suffraganeorum suorum, qui ad ipsum venerint, excommunicati

municatos ratione constitutionis sacri cōcilii Tarracensis contra inuasores, & raptore, ac malefactores hominū, & rerum ecclesiæ promulgatæ, præmissa satisfactione, & secundum formam ecclesiæ: & quod dominus Archiepiscopus consensum Dicecesani illius, vel illorum excommunicatorum requirat, si sibi visum fuerit expedire.

IDE M IN E O D E M. Est §.

Presbyteris mutuò se absoluere à minore excommunicatione licere.

ITEM sacro approbante concilio damus vniuersis nostre provinciæ presbyteris potestatem, quòd ad inuicem vnu alteri possit super minoris excōmunicationis sententia absolutionis beneficiū impartiri.

BENEDICTVS IN TERTIO CONCILIO

Tarracone celebrato, anno Dñi. M. CCLXVI.

Duodecimo Calendas Nouembbris.

In locis, in quibus præda vendita, aut alienata fuerit, aut consumpta, cessandum à diuinis, quousque passis iniuriam satisfactum fuerit.

SACRUM cum in constitutione bonæ memoriæ domini Petri prædecessoris nostri, quæ incipit, O L I M . E X C O M - M V N I C A S S E R E C O L I M V S, caueatur, quòd loca, ad quæ præda clericorum, ecclesiarum, vel personarum, religiosorum, seu hominum eorundem accepta peruenerit, quandiu ibi fuerit, cessent penitùs à diuinis. Volentes inuasorum, & raptorum excoxitatis malitiis, & machinationibus, quantum cum iustitia possumus, obuiare, declaramus, & constituimus, quòd loca, in quibus huiusmodi præda vendita, vel alio modo alienata, seu etiam consumpta fuerit, tandem cessent penitùs à diuinis, quousque condigna satisfactio damna passis facta fuerit per eosdem.

IDE M IN E O D E M. Est §.

In locis, ad quæ occisores, & mutilatores clericorum profugerint, & in quibus violenter detinebuntur ecclesiastici, cessandum à diuinis quoad satisfecerint ecclesiæ arbitratu.

SACRUM cum clerici, & personæ ecclesiasticæ maiori quam res eorundem debeant priuilegio, & immunitate, seu libertate gaudere, sacro approbante concilio statuimus, quòd loca, ad quæ occisores, & mutilatores clericorum, & personarum ecclesiasticarum, & capientes eosdem peruenerint, cessent penitùs à diuinis, quo usq; ad iudicium ecclesiæ satisfecerint de commissis. Loca etiam, in quibus clerici, & personæ ecclesiasticæ capti detinebuntur, quādiu violenter, seu inuite detinebuntur ibidem, cessent similiter à diuinis.

IDE M IN E O D E M. Est §.

Excommunicantur qui occisores & mutilatores clericorum receptant.

ITEM, quia facientes, & consentientes poena pari debent damnari, eodem concilio approbante, receptatores eorum qui occidunt, vel mutilant, vel capiunt clericos, vel personas ecclesiasticas, excommunicationis sententia innodamus.

BERNARDVS IN PRIMO CONCILIO
celebrato, anno Domini. M. CCLXXXIII.

Nono Calendas Februarii.

Quibus in locis erunt, qui manus violentas iniecerint in Prælatos, ibi cessandum penitus à diuinis: & malefactores nuntiandi, & vitandi.

DE CLARANDO constitutiones prædecessorum nostrorum, videlicet Petri, & Benedicti bonæ memoriae: quarum prima incipit, OLIM EX COMMUNICASSE RECOLIMVS, & secunda, CVM NOS BENEDITVS, statuimus, quod quandiu personæ inuasorum, & raptorum rerum ecclesiæ, & personæ etiam illorum, qui in Prælatos ecclesiastarum cathedralium, & aliorum locorum religiosorum Tarragonensis prouinciæ manus iniecerint violentas, fuerint in aliqua ciuitate, villa, vel castro, prouinciæ supradictæ, aut infra terminos locorum eiusdem prouinciæ, quod ipsæ ciuitates, castra, seu villæ, & alia loca cesserent, ipsis inuasoribus, raptoribus, seu percussoribus præsentibus, penitus à diuinis: & dicti malefactores, percussores, seu raptiores per Rectorem, seu Capellanum loci illius excommunicati nihilominus nuntientur: & tanquam excommunicati ybique ab omnibus euitentur.

IDEI BERNARDVS IN EODEM.

Episcopi monentur obseruare constitutiones editas: Rectores item easdem obseruare ad præscriptum sui Dioceſanii iubentur: alio qui eius arbitrio puniendi, cogendique petenti expensas, quas is fecerit, restituere: facta tamē per Dioceſanum estimatione, adhibitoque petentis iure iurando. Si Episcopus negligens fuerit in iis castigatis qui non obseruarint, vel ipse obseruare neglexerit, præterquam quod Dei, & beatæ Teclæ iram incurret, ad arbitrium concilii Tarragonensis dicitur puniendum.

TATVIMVS sacro approbante concilio, quod quilibet Episcopus prouinciæ Tarragonensis circa obseruationem præsentis constitutionis, & omnium constitutionum à nostris prædecessoribus editarum sit sollicitus, & attentus. Rectores autem ecclesiastarum, & Vicarii, seu loca tenentes eorum constitutiones easdem ad mādatum sui Dioceſanii, vel eius Officialis inuiolabiliter teneant, & obseruent. Si quis verò de prædictis Rectoribus, Vicariis, Capellanis, vel eorum locum tenentibus recepto mandato sui Dioceſanii, vel eius Officialis, præsentes, & aliorum prædecessorum nostrorum constitutiones neglexerit obseruare, ad sui Episcopi, vel eius Officialis arbitriū puniatur: & nihilominus teneatur restituere illi, qui petit iustit

De sent. excom. Tit. XVIII. 155

iustitiam, omnes expensas quas eundo, et redeundo propter hoc ad Dioceſanum, per iuramentum præmissa taxatione Dioceſanii, probauerit se fecisse, & ad hoc per Dioceſanum Episcopum compellatur. Dioceſanus verò, qui circa correctionem subditorum suorum, qui super prædictis eius mandatum, vel Officialis sui neglexerint adimplere, vel circa obseruationem prædictarum constitutionū negligens repertus fuerit, vel remissus, iram & indignationem omnipotentis Dei, & beatæ Teclæ incurrit: puniendus nihilominus ad arbitrium prouincialis concilii, quod in ecclesia Tarragonensi contigerit in posterum celebrari.

BERNARDVS IN TERTIO CONCILIO
celebrato, anno Domini M. CCLXXXII.

Vndecimo Calendas Aprilis.

Qui per se, vel per alium, Episcopum quempiam necarit, aut violarit, omnibus feudis, ac beneficiis quibusvis Tarragonensis prouinciæ priuatus est, & qui ab eo nascentur postea, vñque ad quartam progeniem vertantur ad clericatus ordinem promoueri, aut ecclesiasticum beneficium adipisci. Si quis autem Episcopus, aut aliis Prælatus quempiam de eius, qui id fecerit, progenie promouerit, aut prudēs ac fīcēs beneficium cōtulerit, eius ordinis collatione, ad quē promouerit, biennio suspenſus cōfiteretur: collatio autē irrita. Siquem verò ex Prælatis inferioribus violarit, aut Officialē quempiam principalem, aut Canonicū cathedralis ecclesiæ, eidem pœnis subiacere, ac eius filios decernitur, feu disque & possessionibus eius ecclesiæ, quam lāserit, priuatus est. Si quis autem Prælaus reum eius criminis, aut eius filios ad quempiam ordinē promouerit, aut cōtulerit beneficium, anni spatio eo ordine, quē contulerit, est priuatus: irrita autē cōfiteretur collatio. Promoti autem per ignorātiā ad ordines, executio ne suscepit ordinis priuātū. Quæ constitutio in synodis quotānis publicanda.

VONIAM exempla præterita cauere nos admonent in futurum: idcirco nos Bernardus miseratione diuina Archiepiscopus Tarragonensis aſſistentibus venerabilibus fratribus, A. Barcinonensi, R. Vicensi, Petro Vrgellensi, Iacobo Oſcensi, Iasperto Valentiniensi, Garcia Tironensi, R. Gerundensi, & Ilerdensi Episcopis, ac procuratoribus aliorum Episcoporum absentium: necnon & Capitulorum cathedralium ecclesiastarum, & collegiarum, & quamplurimis aliis præsentibus, sacro sancto Tarragonensi approbante concilio statuimus, vt quicunque instigante diabolo per se, vel alium interficerit, seu vulnerauerit, vel ceperit, aut percussuerit aliquem Episcopum, omnibus feudis, ac rebus, & beneficiis, quæ ab ecclesiis quibusvis Tarragonensis prouinciæ tempore sceleris obtinebit, ipso factō perpetuō sit priuatus: & pleno iure ecclesiis, à quibus prædicta obtinuerit, applicentur: nec descendentes ab eodem malefactore vñq; ad quartam generationē ad gradum aliquem clericatus promouētur, nec beneficium aliquod ecclesiasticum feudale, vel aliud quodlibet in Tarragonensi ecclesiā aſſequātur. Et ne minūs vindictæ, quam excessus memoria tanti facinoris prorogetur, adiicimus, quod si quis Episcopus, vel alius quicunq;

V 2 Prælat

Prælatus aliquem de prædictis descendantibus, ad aliquem ordinem promouere, vel aliquod ecclesiasticum beneficium, seu quodlibet aliud eidem conferre præsumperit, à collatione illius ordinis, quem scienter contulerit, per biennium sit suspensus: & collatio eiusdem beneficij sit irrita ipso iure, & ea vice per proximum superiorem de illo beneficio ordinatur. Si verò aliquem de Prælatis inferioribus Episcopis, vel principalem Officialem Episcopi, vel Canonicum ecclesiæ cathedralis a usu temerario quisquam interficere, mutilare, vel capere præsumperit, ipse & filii sui incurvant pœnâ expressam superius ipso facto. Prouiso tamen quod ipsi feudis, & possessionibus quibuscumque tantummodo sint priuati, quæ ab ecclesiis, quarum personas sic laeserit, modo quolibet obtinebunt: hoc saluo, quod aliâs super hoc in canonibus continetur. Et Prælatus, qui tales malefactores, vel filios eorum ad aliquem ordinem promouere, vel cuiquam tale beneficium ecclesiasticum conferre præsumperit, à collatione illius ordinis quem scienter contulerit, per annum nouerit se suspensum: & collatio huiusmodi sit irrita ipso iure: & ea vice de beneficio ipso per superiorem proximū ordinetur. Quicunque autem ex prædictis malefactoribus, vel filiis suis à quoquam scienter, vel ignoranter ordiné receperit, executionem non habeat suscepti ordinis, nec beneficij collatio valeat, vt est dictum: saluis tamen omnibus pœnis canoniceis, quibus per hanc constitutionem non intendimus in aliquo derogari. Hæc autem statuta salubriter per Dicecesanos Episcopos Tarragonensis prouincia singulis annis in suis synodis, & Dicecessibus præcipimus publicari: & nihilominus ii, qui prædictas pœnas incurrerint, in synodis nuntientur.

RODERICVS IN TERTIO CONCILIO
celebrato, anno Domini. M. CCCX C-
III. Tertio Idus Augusti.

Episcopus, aut Officialis literis significatoriis per Ordinarios requisitus, vt quæpiam excommunicatum denuntiet, monetur nulla cognitione, aut inquisitione adhibita statim, aut infra triduum denuntiare, nulla ratione habita cuiusquam aut appellationis, aut exceptionis. Quandiu id facere neglexit, tandem ecclesiæ ingressu prohibetur. Neque verò ob ordinem non seruat processus, aut denuntiatio reuocanda. Qui commoda ex constitutionibus capiunt, ipsis constitutionibus subiacent, Episcopis exceptis.

O L L I C I T A T cura suscepti regiminis, vt utilitatibus subiectorum nunc nouarum constitutionum editione, nunc antiquarum innouatione prouidere curemus. Sanè constitutiones sacrorum conciliorum Tarragonensium editæ contra raptore, & inuasores personarum, & rerum ecclesiasticarum, religiosorum, & hominum eorundem, in quibus impiorum audacia coercetur, ac bona ecclesiastica conseruantur, propter quorūdam abusum, & negligentiam debitum non sortiuntur effectum. Cùm non nulli

nulli trepidantes, vbi trepidandum non est, cùm requiruntur per locorum Ordinarios, in quorū diœcesi rapina, vel violentia est commissa, vt prædictas constitutiones debeat obseruare, subtiliter causa diffugii nituntur indagare, & inquirere, an præfatæ constitutiones vendicent sibi locum in his, agentes partes iudicis, cùm potius vt meri executores deberent procedere. Et idcirco, quia parum est condere iura, nisi sint, qui ea tueantur, prædictas constitutiones approbantes, & confirmantes sacro approbante concilio statuimus, quod quandocunque aliquis Episcopus, vel eius Officialis, vel vicem gerens, per nos, vel Officiale nostrum, vel per alium Episcopum, vel eius Officialem, seu etiam vices eius gerentem nostræ prouinciæ, qui per suas literas significauerit se seruare cōstitutiones prædictas contra illum, contra quem petitur ipsas cōstitutiones seruari, fuerit requisitus, vt denuntiet eum excommunicatum iuxta memoratas constitutiones, & eas seruet, & faciat obseruari, & talem in ecclesia mandet denuntiari excommunicatum: ipsas constitutiones sine aliqua cognitione, & inquisitione statim, vel infra triduum, die, qua talis requisitio facta fuerit, minimè computata, si in sua diœcesi requisitus præfens fuerit, vel in loco: vt infra dictum tempus hoc valeat adimplere. Aliâs quâm cito commodè fieri poterit, considerata locorum distantia, obseruet, & mandet obseruari, omni appellatione, & exceptione cessantibus. Quod si prædicta contempserit, vt prædictitur, adimplere, tandem ingressum ecclesiæ sibi nouerit interdictum, donec ipsas constitutiones obseruet, & mandet obseruari. Ex quo autem dictas constitutiones fecerit, vel mandauerit obseruari, extunc ipso facto interdictum prædictum absq; relaxatione aliqua penitus sit ablatum. Hoc autem prouiso, quod propter iuris ordinem non seruat processus per Ordinarium, vel eius Officialem habitus, seu facta denuntiatio nullatenus reuocetur: cùm multis graffantibus opus sit exemplo, iuxta canonicas & legitimas sanctiones. Item quia non est ferendus, qui lucrum amplectitur, onus autem subire recusat, sacro approbante concilio statuimus, omnes personas cuiuscunq; statutus, vel conditionis existant, quæ ex præfatis constitutionibus cōmodum recipiunt, subiacere, & esse iubictas ipsis cōstitutionibus, si deliquerint in iis, quæ in ipsis constitutionibus cōtinentur: & contra tales personas iuxta tenorem ipsarum constitutionum esse rigidè procedendum: saluis constitutionibus sacrorum conciliorum Tarragonen. in favorem Episcoporum factis: quibus cautū est, quod Episcopi huiusmodi constitutionibus contra raptore, & inuasores rerum ecclesiasticarū editis non ligentur.

IDEM RODERICVS IN EODEM.

Ad excommunicationem, & alias pœnas, quibus obnoxii sunt, qui in Canonicum ecclesiæ cathedralis, vel Prælatum ecclesiæ collegiatæ, vel clericum suffragii ius in communibus tractatibus Capituli cathedralis ecclesiæ habentem, vel in commendatorem ordinis militie, vel Hospitalium sancti Ioannis Hierosolymitanus manus violentas temere iniecerint, vel agros, aut loca ipsorum cum

exercitu inuaserint, statuitur vt in eorū præsentia cesseret à diuinis, & si moniti infra mensē non satisfecerint, feidis, quæ ab ecclesiis lœforum, aut lœfis habent, in perpetuum sunt priuati.

DIFICII nostri debitum circa dispendia, quæ per nonnullos ecclesiis, & personis ecclesiasticis, & eorum hominibus, & rebus indebet afferuntur, deliberatione prouida exigētes salubris remedii appositione, talium temeritatem duximus præscindendam. Idcirco sacri approbatione concilii confirmantes omnes constitutiones per prædecessores nostros editas, & specialiter contra raptores, & inuasores personarū, & rerum ecclesiasticarum, addendo eisdem statuimus, quod quicunq; decātero in Canonicum ecclesiæ cathedralis, vel Prælatum ecclesiæ collegiatæ, vel clericum, qui vocem habeat in cōmunib; tractatibus Capituli ecclesiæ cathedralis, vel in Cōmendatorem ordinis militiæ templi, vel hospitaliorū sancti Ioānis Hierosolymitani manus iniecerit temere violentas, vel terras, vel loca Prælatorum ecclesiārum, vel templariorū, aut hospitaliariorū, vel aliorum locorum religiosorum cum exercitu inuaserit, arbores scindendo, vel tallando, aut ignem immittendo, aut graue damnum aliās irrogando, præter sententiam excommunicationis, quam ex tali delicto se nouerit incurrit, & vltra alias poenas contra tales statutas, vbi cunq; ipse fuerit, cesseretur penitus à diuinis. Et quicunque cum exercitu terras Prælatorum, vel ecclesiārum, vel locorum religiosorum inuaserint, vt est dictum, & moniti infra mensē non satisfecerint, omnibus feidis, quæ ab ecclesiis, vel personis, aut locis religiosis tenebunt, quæ sic lœserint, perpetuō sint priuati: saluis omnibus aliis poenis contra tales statutis, quibus per hāc constitutionem non intendimus in aliquo derogare.

IDEM RODERICVS IN EODEM.

Cessatio à diuinis ad præscriptum Decretalis, quæ incipit, ALMA MATER, moderanda.

TEM cum in quibusdam constitutionibus sacrorum conciliorum Tarragonensium sit cautum, quod in certis casibus debeat cessari penitus à diuinis, sacro approbante cōcilio declaramus prædictam cessationem debere fieri, prout tempore generalis interdicti per constitutionē sanctissimi patris domini Bonifacii VIII. quæ incipit ALMA MATER, & per alias constitutiones canonicas, est statutum.

EXIMINVS ARCHIEPISCOPVS IN CONCilio secundo celebrato, anno Domini. M. CCC- XIII. Octauo Cal. Februarii.

Qui ecclesiastico, cuiuscunq; ordinis extiterit, capitales inimicitias indexerit, & in dimicationem vitæ, ac fortunarū eū vocarit per se, aut per alium, eo facto excommunicatus est, & quandiu persistiter, denunciandus excommunicatus

pulsat

pulsatione campanarum, & candelarum extinctione: loca autem eius, si quæ habuerit, interdicto subiacere iubentur, quoad satisficerit de damnis. Si clericus fuerit, præter memoratas poenas, priuatur beneficiis, quæ obtinuerit, & administratione: si beneficiatus non fuerit, perpetuō reditum inhabilis, donec sedes apostolica cum eo dispensarit.

RADECESSORVM nostrorum, qui cōdemnauerunt abusum execrabilem diffidandi Prælatos, & personas ecclesiasticas, vestigiis inhaerentes, sacro approbante concilio statuimus, vt si quis deinceps cuiuscunq; status, conditionisve existens diffidauerit, seu acuydauerit diffidari, seu acuydari fecerit, vel procurauerit publicè, vel occultè Archiepiscopum, vel Episcopum, vel eorum Officiales, vel Prælatum, aut religiosum, vel alium clericum beneficiatum, vel alium in sacris ordinibus constitutum, seu prædictorū occasione homines, & loca eorum administrationi commissa acuydauerit, siue in hoc scienter dederit consilium, auxilium, vel fauorem ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & denuntietur excommunicatus quotidie, dum in excommunicatione persistiter pulsatis campanis, & candelis extinctis. Et nihilominus terræ, seu castra ipsius, si qua habuerit, eo ipso subiaceat ecclesiastico interdicto: à qua sententia nullatenus absoluatur, nec interdictum ipsum relaxetur, donec de iniuria, & damnis propterea irrogatis satisficerit competenter. Quod si clericus cuiuscunq; status, vel conditionis existens, aut religiosus in his deliquerit, si beneficium ecclesiasticum, vel administrationem obtineat, præter poenas prædictas, à beneficiis omnibus, & administratione sit eo ipso priuatus: si vero beneficiatus non fuerit, perpetuō sit inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum: donec secum super hoc per sedem apostolicam fuerit dispensatum.

EXIMINVS IN SECUNDO CONCILIO

Tarracone celebrato, anno Domini. M. CCC-

XIII. Octauo Cal. Februarii.

Iudices seculares, qui clericos, & alios ecclesiasticos super rebus, et causis suis iniuriösè coram se compellunt litigare, vel recurrentes ad forum ecclesiasticum in causis ad idem forum pertinentibus desistere compellunt, pro excommunicatis publicè nuntiandi.

CCLIESIASTICA iurisdictio à seculari distincta esse dignoscitur, & vna per alteram impediri non debet, sed potius adiuuari. Quia vero nonnulli seculares iudices statuta canonicum circa hāc edita contemnentes, clericos, & alias personas ecclesiasticas super rebus suis, & causis iniuriösè coram se compellunt in iudicio litigare, & alias personas recurrentes ad ecclesiasticum forum super causis, quæ ad idem forum ecclesiasticum de iure, vel de antiqua consuetudine pertinere noscuntur, ad desistendum compellunt, sacro approbante concilio statuimus, & vniuersis & singulis Prælatis in virtute

virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quatenus statutū felicis recordationis Bonifacii Papæ VII. quod incipit, QVONIAM VT INTELLEXIMVS, in suis episcopalibus synodis, ac in ecclesiis etiam suarum dicēsium, vbi expedire viderint, faciant publicari: prædictosq; iudices excommunicatos publicè nuntiari.

IOANNES PATRIARCHA IN PRIMO
concilio Tarracone celebrato, anno Domini.
M. CCCXXIX. Quarto
Cal. Martii.

Qui interdictum, vel cessationem à diuinis obseruari in cathedrali ecclesia, vel circuncuinicinis intelleixerit, in sua ecclesia id obseruet non expectato mandato Episcopi. Quod si non fecerit, ac si mandatum habuisset, puniendus.

CVM affectata ignorātia maximè in viris ecclesiasticis exprebetur, præsenti constitutione sancimus, quod si Rector aliquis, vel Vicarius prouinciæ Tarraconensis in cathedrali, vel conuinicinis sibi ecclesiis ad mandatū sui Episcopi, vel Officiis eiusdem, sciuerit contra personas aliquas constitutiones sacri concilii Tarraconensis, per quas à diuinis cessatio indicetur, obseruari: ita quod ipsis personis præsentibus cesseret ibidem à diuinis, in sua ecclesia & parochia eas seruet: & ipsis personis præsentibus, non expectato mandato alio, cesseret similiter à diuinis. Et si contrariū fecerit, ipsum in illas poenas incidere declaramus, in quas incideret, si mandatū huiusmodi habuisset.

IDE M IOANNES IN EODEM.

Excommunicantur qui eorum corpora sepelierint, qui constitutione de inuasoribus, & raptoribus ecclesiariū damnati deceferint de vita, damnis, quæ intulerint per eorum hæredes, non restitutis. Episcopis autem & clericis præcipitur, ne in suum conuictum eos recipient, contra quos obserueretur constitutio memorata.

CVM in constitutione domini Petri, quæ incipit, I T E M C V M QVIDAM, caueatur expresse, quod si principales malefactores absque satisfactione in mortis articulo fuerint absoluti, eorum tamē corpora non tradantur ecclesiasticae sepulturæ, donec per hæredes morientium damnum passis satisfactionum fuerit cōpetenter: ideo attendentes quod verba intelligenda sunt cum effectu, sacro approbante concilio excōmunicamus omnes, qui dætero talia corpora, donec satisfactū fuerit, vt prædicitur, scienter tradiderint ecclesiasticae sepulturæ: & qui in hoc dederint consilium, auxilium, & fauorē. Et quia ridiculū quodammodo reputatur non vitari per Prælatos, & clericos eos qui ob rerum, & ecclesiistarum tutelam per alios vitari mandantur, præcipimus in virtute obedientiæ Prælatis, & clericis quibuscumque, ne illos, contra quos constitutio obseruabitur, ad mensam suam recipere audeant, vel etiam inuitare.

IDE M

IDE M IOANNES IN EODEM.

Excommunicantur, qui impediunt, quoquo modo id faciant, quominus clericis sua iura tribuantur: aubentürque publicè nuntiari.

ECER NIMVS temporale dominiū, vel iurisdictionem aliquam obtinentes, vel etiam exercentes, qui voce præconis vel aliter prohibuerint, ne clericis, vel personis ecclesiasticis redditus, vel aliqua quæ debentur eis debita exsoluantur, aut iustitiam eisdem clericis, & personis de suis debitoribus, seu malefactoribus facere denegauerint, vel mandauerint denegari, vel eosdem clericos, seu personas ecclesiasticas banniuierint, seu bannire mandauerint: & dantes super his auxilium, vel fauorem excommunicationis sententia subiacere: præcipientes tales per locorum Episcopos, vel eorum Officiales ordinarios, quoisque de iniuria, & damnis satisfecerint competenter, excommunicatos publicè nuntiari.

IDE M IN EODEM.

Constitutio edita contra eos, qui clericos in dimicationē vitæ ac fortunaru provocant, extenuantur etiam ad eos, qui sine prouocatione, hostiliter tamen contra clericos se gerunt: ad eos item, qui ecclesiasticorū hostibus fauerint quoquo modō, eosque, qui in his delictis persistenter, nisi infra duos mentes ab hac constitutione edita, iis, quos læserint, satisfecerint. Statuitur etiam Archiepiscopo licere per totam prouinciam Tarraconensem memoratam constitutionem, & alias eodem pertinentes obseruare: iniungitürque Suffraganeorum subditis, vt Archiepiscopo pareant.

AD reprimendam audaciam peruersorum clericos, seu personas ecclesiasticas diffidantium, seu procurantiū diffidari, aut eorum occasione homines, vel loca eorū, sicut dudum in prouinciali concilio Tarraconensi constitutum, quod facientes talia incurrent excommunicationis sententiam ipso factō, & terra eorum effet supposita ecclesiastico interdicto. Verum quidā non attendentes mentem ipsius constitutionis, sed verba, ac poenas eiusdem astuta calliditate vitare volentes, contra illos, quos dicta constitutio diffidari prohibet, guerram absq; diffidamento faciunt, seu eos, & homines, loca, vel bona eorum per modum guerræ, seu hostiliter, aut aliter cum turba, seu hominibus coadunatis ex proposito damnificat, & inuidunt: quanquam contra personas ecclesiasticas, seu homines, aut bona, aut loca eorum guerra fieri non possit. Nos igitur Ioānes miseratione diuina sanctæ Alexandrinensis sedis Patriarcha, & administrator in spiritualibus, & temporalibus ecclesiæ Tarraconensis à sede apostolica deputatus, sacri approbatione concilii attendentes eos, qui talia agunt, non minus, sed plus delinquere, quam simpliciter diffidantes, eam constitutionē, quæ ad hoc facta extitit, ne damna ecclesiæ, clericis, seu personis ecclesiasticis inferrentur, locum habere decernimus, quantum ad omnia eius. Capitula, vt etiam contra illos, qui absque diffidamento prædicta faciunt, vel aliquid

X prædict

prædictorum, & qui in hoc dederint auxilium, consilium, vel fauorem: adiuentes dictam constitutionem locum habere etiam contra eos, qui prædictos diffidantes, guerrificantes, seu malefactores in locis suis receperint, siue defensauerint publicè, vel occultè. Quam quidē pœnam etiam locum habere decernimus contra omnes, qui in dictis criminibus, seu delictis persistūt: nisi infra duos menses à tempore huiusmodi constitutionis cōtinuè cōputandos satisfecerint de eisdem. Statuimus etiam eodem concilio approbante, quod præsentem constitutionem, & alias contra raptiores, & inuasores personarū ecclesiasticarum, rerum, & bonorum, & hominum eorundem diffidatores, malefactores, damnificantes, receptatores, ac fautores, & defensores editas nos Patriarcha administrator prædictus, & Archiepiscopi Tarragonenses, qui pro tempore fuerint, per quencunq; fuerimus requisiti, & etiam sine requisitione ex officio pro nobis, & ecclesia Tarragonensi; ac Canonicis eiusdem, ac familiaribus nostris possimus libere per totā Tarragonensem prouinciam obseruare, & facere obseruari, & secundum formam procedere, ac procedi facere super eis: et super his subditi Suffraganeorum nostrorum teneantur nobis, & dictis Archiepiscopis obedire: non solūm pro cōmittendis in futurū contra constitutiones prædictas, imo pro his, quæ contra eas sunt etiam iam commissa.

IDEM IOANNES IN EODEM.

Excommunicantur, & excommunicati denuntiari iubentur quicunque malefactores publicè denuntiatos tribus diebus dominicis, vel festiuis excepterint, aut excipi curarint. Præcipitur etiam Prælatis, & eorum Officialibus, vt in hac & cæteris huiusmodi cōstitutionibus obseruandis promptos se præbeant, nihil pecuniæ accipiant ad eiusmodi malefactores persequendos, aut cōtra eos procedendū: nec, quoniam nihil pecuniæ accepturi sunt, in procedendo sint tardiores. Si fecerint, ab officio suspenduntur, & diuinis. Prohibentur etiam quenquam in huiusmodi negotiis delegare: iubenturque censuras aggrauare, donec sufficienter satisfactum sit: ipsisque absolutis pœnitentiam imponere, quam si contempserint, denuò in excommunicationem relapsi denuntientur. Quos si aliter absoluierint, & diuinæ vltioni subiacere admonentur, & iudicio subsequentis conciliū.



IA consideratione prædecessores nostri excommunicantes inuasores, raptiores, & deprædatores hominum ecclesiastarum, ecclesiasticarū rerum, & locorum religiosorum, ac fautores, & receptatores eorum prouidè statuerunt, quandiu malefactores principales huiusmodi in aliqua villa, vel ciuitate existerent, ecclesiastas cessare penitū à diuinis: prohibendo tales ab excommunicatione absolui, donec de præmissis satisfecerint competenter. Considerauerunt nanque quod malefactores huiusmodi expulsi à ciuitatibus, & villis, ad quas eos conuenire contingeret, rubore suffusi ad humilitatis, & debitæ satisfactionis, ac reconciliationis facilius inclinarent effectum. Sed, prob dolor, quia interdum constitutiones super his editæ debite non seruātur, huius exc

huius excommunicatio, quæ contra formam dictarum cōstitutionū faciliter relaxatur, in animarū periculum deducitur in contemptū. Nam vix aliquis participationem talium excommunicatorum evitat: nullus etiam de suis ciuitatibus, vel villis eos expellit: & ex hoc sequitur, quod ipsi excommunicatis in ciuitatibus, & villis remanentibus, cūm cesserent ecclesiæ à diuinis, participatio diuinorū multis insontibus substrahitur, diuinum officium intermittitur, ac iuri ecclesiarum in prouentibus, & obuentionibus debitis detrahitur, & honor: & quod horrendum est dicere, dictis excommunicatis interdum propter munera eis oblata de ciuitatibus, & villis ad horam & tempus modicū exeuntibus, quod in eorum pœnam spiritualem statutum est, in præmium, seu lucrum vertitur temporale: & quod ad defensionis præsidium est inuentum, ad iniquitas flipendum retorquetur. Cupientes igitur constitutiones prædictas debitum sortiri effectum, & prædictam constitutionem deduci nullatenus in contemptum, hoc statuto perpetuo sacro approbante cōcilio excommunicamus omnes, qui scienter huiusmodi malefactores excommunicatos, postquam in ecclesia parochiali per tres dies dominicos, vel festiuis denuntiati fuerint publicè excommunicati in ipsa parochia, in suis ad hospitandum, vel habitandum receperint, vel receptos sustinuerint in domibus, vel hospitiis, aut eos per alios recipi mandauerint, vel fecerint: quos statim ex suo officio, etiam absq; requisitione cuiuscumque, Episcopi, & eorum Officiales principales, & alii pro Episcopis iurisdictione vtentes, excommunicatos denuntient vsq; ad satisfactionem condignam. Præcipimus insuper omnibus Episcopis prouinciæ Tarragonensis, ac Vicariis, & Officialibus earūdem, quod circa obseruationem ipsius, & aliarum constitutionum se exhibeant promptos, fauorabiles, & benignos. Et vt libentiū ad obseruationem constitutionum huiusmodi procedatur, prohibemus Officialibus, & Vicariis Episcoporū principalibus, & aliis pro Episcopis iurisdictione vtentibus, ne pro cause cognitione, vel processu faciendo contra malefactores huiusmodi aliquam pecuniam prætextu salarii, vel laboris exigant, vel etiam recipient: nec prætextu huiusmodi habenda pecuniæ, vel eð, quia salariū non habebunt, differat scienter procedere cūm fuerit procedendum: alioquin eo ipso suspensi sint ab officio, & diuinis. Prohibemus etiam Episcopis, & Vicariis, & Officialibus eorundem, ne ad cognitionem, vel præcessum huiusmodi faciendum aliquem, vel aliquos debeat delegare: cūm onus huiusmodi eis incumbere dignoscatur. Postquam autem cōtra aliquem, vel aliquos ipsas constitutiones duxerint publicandas, eosq; vt excommunicatos fecerint eutiari, contra eos exigente contumacia requisiti procedant: quilibet vide licet contra suos subditos, ex suo puro & merito officio: censuram ecclesiasticam aggrauando: nec tales malefactores, aut fautores, vel receptatores eorum absoluant, donec de damnis, & iniuriis propterea irrogatis sa-

tisfactum fuerit competenter. Imponant insuper absolutis sub debito praestiti iuramenti talem poenitentiam pro praemissis, quod poena docete cognoscant quantum excesserint cestlationi huiusmodi causam dando, seu aliter excommunicatis huiusmodi obsequia exhibendo. Quam poenitentiam si forte agere contemplerint, in pristinam excommunicationem, in quam eos in hoc casu reincidere decernimus, ipsos denuntient recipisse. Qui verò eos aliter duxerint absoluendos, ad interesse illis, qui damnificati fuerint, teneantur: & diuinę subiaceant vltioni, ac iudicio concilii subsequentis. Nos autem Patriarcha, administrator ecclesiae Tarragonensis praedictus, & successores nostri, qui pro tempore fuerint, Archiepiscopi Tarragonenses in nobis, & Officialibus nostris hanc constitutionem, & alias supradictas per omnia obseruabimus, & obseruari etiam faciemus.

ARNALDVS IN TERTIO CONCILIO
celebrato, anno Domini. M. CCCXLI.
Sexto Idus Decembris.

DVBIA, ET IPSORVM RESPONSIONES, SEV
determinationes, circa sacri concilii Tarragonensis constitutiones de
inuasoribus ordinata in quinto concilio, per Dominum Arnal-
dum Archiepiscopum Tarracone celebrato: quae
pro constitutionibus habentur, seu
seruari mandantur.

PRIMVM DVBIUM.

N constitutione, ITEM CVM QVIDAM, dicitur, quod inuasores, & raptori rerum ecclesiasticarum sunt excommunicati, & quod ipsis praesentibus cessetur à diuinis: & in constitutione, OLIM, declaratoria ipsius, dicitur quod illi tantum sunt excommunicati, qui ex proposito cum armis, & sine armis violenter inuaserint, destruxerint loca ecclesiarum, & ceperint homines ipsorum locorum, & res eorundem, in hoc grauiter delinquentes. Nunc verò dubitatur vtrum solùm tales sint excommunicati propter verbum exclusum? & vtrum praedicta omnia requirantur, cum copulatiue ponantur, vel generaliter sint excommunicati omnes malefactores eorum.

Determinatio Primi dubii.

DISIVNCTIVE INTELLIGVNTVR
verba Constitutionum.

V IDETVR quod ita interprætata est consuetudo, quod inuasores, raptori, & deprædatores clericorum, hominum ecclesiarum, ecclesiasticarum rerum, & locorum religiosorum sunt excommunicati: & quod verba in constitutione, OLIM, posita intelli-
gi debeant disiunctiuē.

SEC

SECVNDVM DVBIUM.

I TEM in dicta constitutione, ITEM CVM QVIDAM, dicitur, quod receptatores, & fautores talium sint excommunicati: & in dicta constitutione, OLIM, dicitur, quod excommunicentur.

Determinatio Secundi Dubii.

V IDETVR quod fautores, & receptatores excommunicati sic per constitutiones, ITEM CVM QVIDAM, & per constitutionem, OLIM, quae dicit excommunicentur, debeat denuntiari, ac publicari excommunicati.

TERTIVM DVBIUM.

I TEM in dicta constitutione, ITEM CVM QVIDAM, dicitur, quod praesentibus praedictis principalibus inuasoribus in aliqua ciuitate &c, cessetur penitus à diuinis: & in dicta constitutione, OLIM, quod solūm loca, in quibus praedicta violenter accepta fuerint, cessent à diuinis: & per constitutionem, quae incipit DECLARANDO, debet cessari praesentibus inuasoribus, &c. Remanet primum dubium, videlicet qui in hoc casu dicantur esse inuasores, & esse excommunicati, cum in dicta constitutione, DECLARANDO, non sint excommunicati.

Determinatio Tertiū Dubii.

V IDETVR idem respondendum, quod ad primū dubium: & quod cessetur vbiq; fuerint principales malefactores: sed in locis in quibus præda recepta fuerit, cessetur quandiu ibi præda fuerit: vel vbi fuerit vendita, aut aliās alienata, seu etiam consumpta.

QUARTVM DVBIUM.

I TEM, cum in dicta constitutione, DECLARANDO, dicatur quod cessetur à diuinis quādiu prædicti fuerint in locis, vel infra terminos locorum, dubitatur quomodo intelliguntur termini locorū. Et, si dicatur, quod ponuntur ibi pro terminis parochiarum, quid erit, cum in una ciuitate, vel loco sint multæ parochiæ?

Determinatio Quartū Dubii.

V IDETVR quod in ecclesia, vel in ecclesiis, ciuitatibus, villis, castris, vel locis, vbi malefactores praesentes fuerint, vel præda detenta, aut vendita, vel alienata, vel consumpta fuerit, cessetur à diuinis, & in suburbis, & continentibus ædificiis eorundem, æstimandis ad arbitriū Dioecesani Episcopi, vel eius Officialis: taliter quod neruus non contemnatur ecclesiasticæ disciplinæ. Sed si ecclesia parochialis extra castrum, villam, vel populationem fuerit, cessetur ibi quandiu malefactor in parochia fuerit, & quod aliter exnunc non curetur de terminis locorum, vel parochiarum.

X 3 QVIN

QVINTVM DV BIVM.

ITEM, Cūm in dictis constitutionibus, I TEM C VM Q VI DAM, & O L I M , dicatur quōd loca, in quibus præda recepta fuerit, cessent à diuinis, vtrum intelligatur scienter vel ignorāter, & quorum scientia requiratur.

Determinatio Quinti Dubii.

VIDETVR quōd scientia hominū requiratur: & quōd pro scientia habeatur, si publica sit fama in loco, quōd præda est ibi.

SEX T VM DV BIVM.

ITEM, Cūm in constitutione, I TEM C VM Q VIDAM, dicatur quōd tales non euitentur, nisi facti euidentia, vel confessione propria hoc constaret, dubitatur si tunc Rector ecclesiæ possit eos vitare, & ipsis præsentibus cessare: & facit ad hoc constitutio, I TEM S T A T V I M V S , vbi dicitur quōd Rectores ad mandatum Episcopi, vel eius Officialis dictas constitutiones seruent.

Determinatio Sexti Dubii.

VIDETVR quōd nullus astringatur ad obseruationem cessationis donec cessatio per Episcopum, vel eius Officialem, vel vice gerentem Episcopi sit indicata.

SEPTIM VM DV BIVM.

ITEM, cūm ibi dicatur Officialis: & in constitutione, S O L L I C I T A T , dicatur, Cūm per Episcopum, vel eius Officialem, seu eius vice gerentes, videtur intelligendum de principali Officiali: præsertim cūm in cessationibus requiratur magna solennitas, nec iudex delegatus possit terram interdicere, nisi sibi specialiter sit commissum.

Determinatio Septimi Dubii.

VIDETVR quōd nedium Episcopi, & eorum Officialis principales, sed etiam foranei, seu Decani, qui habent cognitionem vniuersitatis causarum criminalium, possint processum facere quem fieri desiderant constitutiones prædictæ, citra tamen inductionem quam faciunt Episcopi, vel Vicarii generales, aut Officialis principales eorum. Pro liberatione verò personarum ecclesiasticarum Decani cessationem, cūm ei locus fuerit, indicere non vetantur.

OCTAVVM DV BIVM.

ITEM, an cōstitutione habeat locum vbi homines ecclesiæ inter se damnum sibi inferunt.

Determinatio Octavi Dubii.

VIDETVR quōd, si homines alicuius loci ecclesiæ inter se guerrificando, vel aliās damnū dederint, non sit locus constitutioni. Si verò homines vnius loci ecclesiæ ex proposito inuaserint, rapuerint, vel deprædati fuerint homines alterius loci ecclesiæ, locus est constitutioni.

NONVM

NONVM DV BIVM.

ITEM, si constat quōd dicta constitutio habet locū, an possit Episcopus, vel Officialis eam non seruare, & de iure cōmuni procedere: cūm pœna legis non sit in arbitrio iudicantis.

Declaratio Noni Dubii.

VIDETVR quōd si Episcopus, vel Officialis eius requiratur seruare reconstitutionē, cūm locus constitutioni fuerit, teneatur eam seruare, & indicere cessationem auctoritate eiusdem: nisi aliud pars requiriens duxerit tolerandum. Vbi verò Prælatus ex suo tantū procedat officio, in sua remaneat libera potestate vtrum in totum, vel in partem seruet candem.

DECIMVM DV BIVM.

ITEM si facta restitutione debet cessari, donec excommunicatus fuerit absolutus.

Determinatio Decimi Dubii.

VIDETVR quod facta restitutione rapinæ, vel liberatione personæ detentæ debeat tolli cessatio.

VNDECIMVM DV BIVM.

C O N T R A C A P T U M S I N E fraude, non proceditur.

ITEM an propter inuasorē, seu raptorem captum sit cessandum, cum recedere non possit.

Determinatio Undecimi Dubii.

VIDETVR quōd propter illum, qui captus sine fraude tenetur, non debet cessari.

DVODECIMVM DV BIVM.

ITEM cūm in constitutione, PIA, dicatur quod Episcopi, & eorum Officialis non per delegatos, sed per seipso faciant cōstitutionis processum, dubitatur vtrum possint delegare aliis testiū receptionem producendorum ad instructionem negotii: & vtrum talibus delegatis liceat absque pœna dictæ constitutionis, PIA, recipere salarium pro labore.

Determinatio Duodecimi Dubii.

VIDETVR quōd absque dubio huiusmodi delegationes fieri possint. Sed caueant sibi Officialis, quōd non participant in salario delegatorum: quia aliās prædictam pœnam non evitabunt.

FINIS BULLÆ PRAEINSERTÆ DOMINI
Clementis Papæ, confirmatoria præcedentium constitutionum, & Dubiorum, ac declaracionum corum.

NVL

NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, & confirmationis infringere: vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem contra hanc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorū Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Auinioni Octauo Calendas Iulii. Pontificatus nostri, anno Decimo.

Verantur Abbatissa, & Conuentus monasterii vallis donzellæ, diuina per sacerdotes curare celebrari, cum in Diœcesi Barcinonensi cessatur à diuinis ob cōstitutionum contra raptore, inuasores &c, obseruationem. Est localis.

LE M E N S Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Iustis petentium votis libenter annuimus, eaq; fauore prosequimur opportuno. Sanè petitio venerabilis fratri nostri Raymundi Episcopi, & dilectorum filiorum Capituli Barcinonensis nobis exhibita cōtinebat, quod olim bona memoria Petrus, Benedictus, ac Bernardus, & Rodericus, necnon Eximinus, & Arnaldus Archiepiscopi Tarragonenses, ac Ioannes Patriarcha Alexandrinus tunc administrator ecclesie Tarragonensis in spiritualibus, & temporalibus auctoritate apostolica deputatus, in suis prouincialibus conciliis, eisdem approbantibus conciliis, quasdam constitutiones pro bono, & tranquillo statu cleri prouinciae Tarragonensis, ac fauore ecclesiasticæ libertatis ipsius, diuersis temporibus ediderunt: idemq; Ioannes Patriarcha administrator, & Arnaldus Archiepiscopus nonnulla quibusdam ex constitutionibus ipsis addiderunt, & aliquas ex ipsis etiam declararunt: quodq; per eas ecclesie ciuitatum, villarum, & locorū dictæ prouinciae debent in certis casib⁹ expressis in ipsis contra inuasores, raptore, deprædatores hominum ecclesiarū, rerum, & locorum religiosorū, ac nonnullas alias personas in constitutionibus expressas eisdem, à diuinis cessare: et quod postmodum fœlicis recordationis Clemens Papa sextus prædecessor noster illas ex certa scientia confirmavit: quodq; dilecta in C H R I S T O filia Abbatisa, & conuentus monasterii Vallis dōzellæ extra muros Barcinonenses Cisterciensis ordinis, quibus nuper, vt quotiescumq; contingere ecclesiæ, vel monasteria ciuitatis vel Diœcesis Barcinonensis, vel ipsam ciuitatem quois modo, & casu interdicti, liceret eis in dicto earū monasterio missam, & alia diuina officia ianuis apertis, & campanis pulsatis, excōmunicatis, & interdictis exclusis, per presbyteros idoneos alta voce facere celebrare, auctoritate apostolica per nostras literas duximus indulgendum, prætextu literarū ipsarū, in quibus de dictis constitutionibus, additionibus, & declaracionibus nulla sit mentio, tempore quo cōtra inuasores, raptore, & deprædatores huiusmodi, vel alias vigore prædictarum constitutionum in ecclesiis, & monasteriis ciuitatis ipsius, quæ de prouincia prædicta existit, generaliter à diuinis cessatur; huiusmodi diuina alta voce apertis ianuis, & pul-

& pulsatis campanis in dicto ipsarū monasterio, quod etiam in prouincia ipsa existit, faciunt celebrari: quodq; propterea plurima incōuenientia sequuta fuerunt, & maiora sequi verisimiliter dubitatur: cum inuasores, raptore, & deprædatores præfati in ciuitate prædicta stare ex eo liberius permittantur, quod populus ciuitatis ipsius, tempore cessationis huiusmodi, ad eadem diuina ad idem monasterium admittitur, sicq; satisfactione retardatur, & neruus ecclesiasticæ contemnitur disciplinæ. Nos igitur attendentes quod indultum huiusmodi, dum in ecclesiis, vel monasteriis, aut ciuitate prædictis vigore constitutionum ipsarum à diuinis cessatur, locum habere non potest, cum interdictum ecclesiasticum, & huiusmodi cessatio à diuinis non modicū differre noscatur, dictorū Episcopi, & Capituli in hac parte supplicationibus inclinati, eisdem Abbatisa, & conuentui tenore præsentū districti inhibemus, ne prætextu huiusmodi indulti, tempore quo in ciuitate prædicta, vel eius ecclesiis vigore dictarum constitutionum ab huiusmodi diuinis cessari debebit, ipsa in dicto monasterio celebrent, aut celebrari faciant, seu permittant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorū eius se nouerit incursum. Datum Auinione quarto Novenas Iunii. Pontificatus nostri, anno decimo. Natiuitatis verò Domini. M. CCCCLXXXIII.

R O D E R I C V S A R C H I E P I S C O P V S I N
primo concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCCXLIdibus Martii.

Clericus quocunq; in ordine constitutus, qui publicè denuntiatus, absolu⁹ tamē neglexerit, si in ea negligenter sex menses perfitterit, viginti morabatinis mul-
statur, si quidem beneficium habuerit: si non habuerit, deceni. Si per annū per-
fitterit continuum, quadraginta ducatis: si ultra annū, officio, ac beneficiis su-
spenditur, quoad sit absolutionis beneficium consecutus, ac tanto tempore,
quanto post annum in excommunicatione permanserit.

VM medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disci-
plinas nō eradicans, dummodo is, in quē lata fuerit, nō con-
temnat, hoc consultissimo statuimus editio, quod si clericus
in quocunq; ordine constitutus canonice fuerit excommu-
nicationis vinculo innodatus, & publicè nuntiatus, & negligens in abso-
lutione petenda per sex menses continuè in excōmunicatione ipsa con-
tumaciter ex certa scientia perfitterit, quia nihil obedientia prodeesse vi-
detur humilibus, si eiusdem contemptus cōtumacibus non obesset, si be-
neficium ecclesiasticum habuerit, pœnam viginti morabatinorū incur-
rat: si beneficiatus non fuerit, pœnam decem morabatinorum præstare
cogatur ærario sui Ordinarii applicandā. Si vero propriæ salutis oblitus,

X per

per annum continuū in prædicta excōmunicationis sententia perdurauerit, Pharaonico animo damnabiliter obstinatus, quia crescente contumacia crescere debet & poena, statuimus vt xl. aureos suo ordinario applicados soluere teneatur. Si verò vltra annum in excōmunicatione persistiterit, tandem ab officio, & omnibus beneficiis, quæ obtinet, sit eo ipso suspensus, donec se absolui fecerit: & postea nihilominus tanto tempore, quanto post annum, vt præmittitur, in excommunicatione permanferit.

S A N C I V S A R C H I E P I S C O P V S I N Q V A R T O
concilio Tarracone celebrato, anno Dñi. M. CCC-
L VII. Decimo tertio Calendas Aprilis.

Religiosi exempti, & non exempti, sicut pro se constitutiones Tarraconenses admittunt, si in eas commiserint, ita contra se admittere tenentur: alias commodo ipsarum priuati sunt.

RE Q V E N S plurimorū clamor nostrum propulsauit auditum, quod nōnulli religiosi exempti, & non exempti, etiam de ordine militari, potius propriis quam reipublicæ nostræ prouinciae commodis inhiantes, cum eis in personis propriis, locis, hominibus, vel aliis bonis suis iniuriæ, damna aliqua, seu violentiæ per quempiam irrogantur, nos, seu curiam nostrā, & venerabilium fratribus nostrorum Suffraganeorum adeunt, vt sibi per cōstitutiones in sacris conciliis Tarraconensibus contra inuasores, raptiores & deprædatores hominum ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum factas, & salubriter emanatas succurratur de remedio cōpetenti in dictis constitutionibus expressato: quod quidem remedium, cum contra ipsos in dictis constitutiones committentes ad instantiam aliquorum, vel alias ex officio proceditur, non curat admittere, nec eisdem volunt subiici, sed potius liberari: oblii cōsilii Sapientis, quo cauetur, P A T E-
R E L E G E M, Q V A M T V IPSE T V L E R I S, & canonicarum, & imperialium legum, quæ publicè profitentur, quod quisquis ius in alterum statuit, ipse debet eo vti. Et frustra legis auxilium implorat, qui committit in legem. Nos igitur præfatus Archiepiscopus approbatione eiusdem sacri cōcilii statuimus, quod dum religiosi, etiam si fuerint de ordine militari, sicut pro se dictas constitutiones admittunt, contra se, si in eas commiserint, admittere teneantur. Quod nisi fecerint, dictarum constitutionū commodo, & auxilio, præsentis sanctionis auctoritate, ipso facto decernimus esse priuatos: præcipientes nostris Suffraganeis, Vicariis, & Officialibus eorundem, ne in eo casu ad instantiam ipsorum, nec ex officio dictas constitutiones obseruent.

I D E M S A N C I V S I N E O D E M.

Cessandum esse à diuinis in præsencia eorū, qui executores, seu nuntios curiarum ecclesiasticarū capiunt, interimunt, vulnerant, atrociter verberant, & suis subditis de iis interimidis præcepta constituunt,

P R O C

RO C E D I T à rationis & iuris tramite, quod vbi maius est periculum, ibi proculdubio est pleniūs, & salubrīus prouidēdum. Quād autē graue sit, & onustū dispēdiis, & quot & quātis sit plenum periculis ecclesiasticæ iurisdictionis exercitium nostræ prouinciæ, his præsertim temporibus, exercere non solū exacti consideratio temporis docuit, sed considerata etiam prudenter præsentis temporis discrimina indicant: quia nōnulli temporale dominium obtinentes suis terminis non contenti, falcam suam in alienam segetem imponere non verentur, satagentes iurisdictioni ecclesiasticæ, quantū possunt, illudere, ac etiam exquisitis coloribus usurpare. Executores nanque, seu nuntios nostros, & venerabilium fratribus nostrorum, Vicariorū, aut Officialium literas eis, & subditis suis, seu in dominio ipsorum cōsistentibus iustitiæ deferentes non solū capiunt, sed etiam interimunt, vulnerant, & atrociter verberant, ac præcepta suis subditis faciunt de interimendis eisdem: in Dei offendam notoriā, & ipsorum grande periculum animarum. Quapropter nos Archiepiscopus supradictus, prout decet & expediat, talia attentantes, qui ipso iure tanquam impedites iurisdictionem ecclesiasticam excōmunicati existunt, congruis remediis ab huiusmodi ausibus retrahere, & ad Dei semitam reducere cupientes, sacro approbatte concilio statuimus, quod si talia, & tam nefanda crimina, quod absit, per aliquem Ducē, Marchionem, Comitem, vice comitem, nobilem, Baronem, militē, ciuem, burgensem, generosum, vel non generosum & Officialles eorum, consules, patiarios, consiliarios ciuitatum, vel villarum, castrorum, & locorū temporale dominium obtinentes, vel aliquem eius loco in nostra prouincia Tarraconensi cōmissa decātero fuerint, omnia loca, castra, seu villa cōmittentis huiusmodi facinus, in dicecessi, in qua cōmissum fuerit, constituta, ipso facto sint supposita ecclesiastico interdicto. Quod quidem interdictum in ecclesiis cathedralibus, & propinquioribus circuncuinicinis ecclesiis, si cōmodè alibi denuntiari non poterit, sufficiat publicari, & processus necessarius fieri in eisdem.

I D E M S A N C I V S I N E O D E M.

Absolutio ad cautelam prohibetur concedi excommunicatis, virtute sacrorum conciliarum prouincialium Tarraconensium de inuasoribus &c, & de facto concessa non valere declaratur.

NA T V R A L I S dictat ratio, ac experiētia manifestat, quod nouis morbis noua cōuenit antidota præparari. Cum autē ab aliquibus citra temporibus nonnulli excōmunicati auctoritate constitutionum sacrorum conciliarū Tarraconensium contra inuasores, raptiores, & deprædatores huiusmodi ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum salubriter promulgatarum munus absolutionis ad cautelam obtinere nitantur, quod nūquam, vel rarō fieri confueuit approbatione eiusdem sacri concilii, hoc fieri

Y 2 prohib

prohibemus: statuentes, quod si de facto fuerint absoluti, non valeat absolutione sic obtenta.

PETRVS SECUNDVS ARCHIEPISCOVS
in primo concilio Tarracone celebrato, anno Do-
mini. M. CCCLXIII. Tertio
Calendas Februarii.

Iuxta constitutiones aduersus inuasores, raptiores &c, editas, in dños temporales procedendū; qui clericos priuilegium clericale allegantes, & petītā à se multū pecunia dare recusantes ē ditione sua expellunt, aut certē curant expelli.

A E T E R V M quia fide dignorū relatu percepimus, quod nonnulli dominium temporale obtinentes in ciuitatibus, locis, castris, & villis infra prouinciam Tarracensem, illudentes ecclesiasticæ libertati, presbyteros, & clericos simpliciter tonsuratos, vel etiam coniugatos, & personas alias ecclesiasticas, si coram eisdem dominis, vel Officialibus allegant tonsurā, vel cum casus occurrit quod gaudere volunt priuilegio clericali, vel si pecunia eis data, vel mutuata non fuerit, quam nituntur à dictis presbyteris, vel clericis exigere vel exquisitis coloribus, & figmentis, vel quod dicunt eos habere suspectos, seu aliās pro libito voluntatis de dictis ciuitatibus, castris, villis, locis & ipsorū dominio de facto expellunt, vel expelli faciūt, baniūt vel banniri faciūt, de volūtate, & assensu sacri concilii ordinamus, vt contra dominos, Vicarios, Officialis, Baiulos dictorum dominorū, & alios talia facientes, qui in præmissis, vel aliquo præmissorū deliquerint, vel ratum habuerint, procedatur per constitutiones sacrorum conciliorum Tarracensem editas contra inuasores, raptiores, & deprædatores hominum ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, & locorum religiosorum per nos, & Suffraganeos nostros, Vicarios, & Officialis nostros, & ipsorū, prout in aliis casibus fuit hacenus in Tarracensi prouincia fieri affuetum: præfatas constitutiones cōtra talia impie attentantes, & dantes eis in hoc auxilium, consilium, vel fauorē, quos volumus pœnis, & censuris dictarum constitutionum ipso facto ligari, penitus extenderentes.

PETRVS TARRACONENSIS ARCHIEPI-
scopus in tertio concilio celebrato, anno Domini.
M. CCCLXVI. Idibus Februarii.

Domini temporales, Baiuli, Officialis qui suas ecclesias vacantes per vim stabi-
liunt, & nouos Rectores ingredi non permittunt, excommunicantur: & ecclē-
siæ subiiciuntur interdicto, donec sit satisfactum.

D tollendum, & penitus euitandum abusum, qui in quibusdam locis dicecis prouinciae Tarracen. pullulauit, videlicet quod Rectori bus, seu Vicariis perpetuis ecclesiarum parochialium rebus exemptis humanis, nonnulli domini tem-
porales, Baiuli, seu Officialis ipsorū ecclesias sic vacantes cum armis sta-
biliunt,

biliunt, vel stabilire permittunt, ponentes inibi armatos homines qui si-
ne licentia dominorum temporalium nouos Rectores ingredi in ecclesiis
eis debitas non permittūt, imo, quod est perniciosum exemplum, eos re-
dimi faciunt, recipiendo pecuniam ab eisdem: & bona ipsorū occupant,
& distrahit antequā possessionem ecclesiarū valeant adipisci: hoc fieri
decātero prohibemus omnino. Quod si secūs aetū fuerit, dominos tem-
porales, Baiulos eorū, vel quoscunq; alios auctoritate præsentis sanctio-
nis ipso facto excōmunicationis sententiæ volumus subiacere: & ecclesiæ
sic stabilitas, per aliquos occupatas, propter delictū dominorū, seu Offi-
cialiū suorū ecclesiastico supponimus interdicto: donec de iniuria facta
nobis, in cuius diocesi hoc delictū commissum fuerit, & Rectori taliter
impedito, ac de expensis, & damnis inde illatis fuerit integrè satisfactum.

I D E M I N E O D E M.

Vbi potentibus præsentari à nuntiis nequeūt literæ sine periculo, pro præsenta-
tis debere haberi, si in duabus vicinis parochiis à Rectoribus fuerint publicatæ.

VIA malitia delinquentium succrescente, cum per Prælatos, Vicarios, vel Officialis eorum ex officio, vel ad partis instantiam per constitutiones sacrorum conciliorum Tarracensem contra eos proceditur, talis processus per delinquentes, seu inuasores huiusmodi, præsertim potentes plures impeditur: qui ex-
quisitis fraudibus nuntios ad eos portantes literas, vt coram ipsis Præla-
tis, Vicariis, & Officialibus compareant, vel procedant, interimunt, ca-
piunt, vel aliās faciunt, & procurant, quod huiusmodi literæ ad eorū no-
titiam nequeant peruenire: statuimus, quod in dictis casibus, si sine pe-
riculo, vel scandalo verissimili nuntiorum easdem deferentium, cōmo-
dè præmissæ literæ illis, contra quos emanauerint, præsentari nō possent,
literas quæ ad tales delinquentes, seu inuasores diriguntur, in duabus pa-
rochiis circūuicinis ipsarum ecclesiarum Rectoribus sufficiat præsenta-
ri. Quibus per dictos Rectores in suis ecclesiis lectis, perinde illi, ad quos
literæ diriguntur, parere contentis in dictis literis teneantur, ac si eadem
literæ essent eisdem delinquentibus, vel inuasoribus præsentatæ: & sic
consequenter in negotio, seu causa procedatur.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHIEPI-
scopus in primo concilio Tarracone celebrato, anno
Dñi. M. CC CXCI. Nonis Aprilis.

Ordinarios, qui cum parti satisfactum non est, reos tamen absoluunt, obli-
gari iis satisfacere, qui damnum acceperunt.

VER E LIS percepimus plurimorum, quod ordinarii, & eo-
rum Officialis ad partis instantiam excōmunicationis senten-
cia ex facto proprio innodatos absoluere non formidant:
satisfactioni parti, ad cuius instantiæ sunt ligati, & eorum assensu minime

Y 3 expect

expectatis. Quod fieri prohibemus, statuentes Ordinarios, vel Officiales talia attentantes parti ad interesse omnimodè obligari.

ENNECVS ARCHIEPISCOPVS IN CON-
cilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.
CC CX CI. Nonis Aprilis.

Archiepiscopo licere procedere iuxta constitutiones de inuasoribus, & raptoribus &c, contra subditos Suffraganeorum, qui vim ecclesiis, vel ecclesiasticis in-
rulerint. Qui impediunt, quominus queat procedere, excommunicari: ne-
que absolui nisi ab eo posse, aut eius Officiali.

V O N I A M aliqui curiosi disceptantes de his, quæ non
multū expediūt, & plura sapere quām oporteat contra do-
ctrinam Apostoli temerē apperētes, in dubitationē sollicitā
vertere dignoscūtur quod à nostris prædecessoribus prouide
dè noscitur institutū in cōstitutione, incipiente A D R E
PRIMENDAM. §. S T A T V E N T E S , & à summis pontificibus
confirmatum, an nos, & Officialis noster Tarracone requisiti per totam
prouinciam obseruare, & obseruari facere valeamus constitutiones per
prædecessores nostros editas contra raptore, inuasores personarum ec-
clesiasticarum, rerū, ac honorū, & hominū eorundem diffidatores, dāni-
ficatores personarū, ac honorū ecclesiæ, fautores, & defensores raptorū,
& damnificantium prædictorum: nos, sacro cōcilio requirente, & vnam-
miter approbante, cupientes hæsitationis materiam amputare, declar-
amus quascunq; cōstitutiones à prædecessoribus nostris editas contra di-
ctos raptore, inuasores personarum ecclesiasticarū, rerum, ac honorum
omnium, & hominum eorundem diffidatores, damnificatores, recepta-
tores raptorum, & damnificantium prædictorum, nos, & Officialis no-
ster, qui Tarracone nunc sumus, & qui pro tēpore fuerint, per quencun-
que de prouincia, & quotienscunq; fuerimus requisiti contra quoslibet
de prouincia, & qui infra eandem crimina commiserint, seu quomodo-
libet deliquerint & etiam absq; requisitione, & ex officio pro nobis, &
ecclesia Tarraconensi, ac Canonicis eiusdem, nostris, & ipsorum familia-
ribus quibuscumque possimus liberē per totam Tarraconensem prouin-
ciam obseruare, & facere obseruari, & secūdum eorum formam contra
prædictos in qualibet dioecesi Suffraganeorum nostrorū, & contra ipso-
rum subditos, & ad eorum requisitionē, & pro dictis delictis ibidem per-
petratis procedere, & procedi facere super eis. Et super his nostri Suffra-
ganei, & eorum Officialis, ac ipsorum subditi teneantur nobis, seu Officiali
nostro, nostrisq; successoribus, & eorum Officialibus obedire: non
solū pro cōmittendis in futurum contra constitutiones prædictas, sed
etiam pro his, quæ contra eas sunt iam commissa: Officialis, & subditos
dictorum Suffraganeorū, sacro approbante concilio, si in præmissis im-
pedimentum præstiterint, excommunicationis sententia innodantes: à
qua

qua n̄iſi per nos, & Officiale nostrū absolutionis beneficium nequeant
obtinere. Nulli ergo liceat declarationē huiusmodi interpretari, restrin-
gere, vel arcta, si excommunicationis sententiam, approbante cōcilio,
per nos latam cōtra huiusmodi antiqui statuti declarationem hæsitates,
in dubium vertentes, seu etiam restringentes, cupiant uitare.

ENNECVS IN SECUNDO CONCILIO

celebrato, anno Domini. M. CC XC V.

Duodecimō Calen. Decembri.

Excommunicantur, qui atrociter vulnerarint, aut percutierint ecclesiasti-
cos, aut ministros ecclesiasticorum, modò sint clericis soluti: & in eorum
præsentia à diuinis p̄cipit p̄cessandum.

R O V I D E attendentes, quod raptore, deprædatore ho-
minum ecclesiarum, ecclesiasticarum rerum, locorum re-
ligiosorum excommunicationis sententia, sacro approban-
te concilio, innodantur, & in pœnæ aggrauationē in eorum
præsentia cessatur etiam à diuinis: animaduertentes perso-
nas maiori quām res debere priuilegio et immunitate gaudere, de cōmu-
ni totius cōcilia sacri consilio, & assensu statuendo declaramus vulneran-
tes, vel atrociter percutientes Prælatos, vel Vicarios eorū, seu Officialis
vel Decanos, vel Canonicos religiosos, vel alios clericos in sacris ordinibus,
vel beneficiatos, aut procuratores fiscales dictorum Prælatorum, seu
eorum Officialium, dum tamen clericis soluti existant, subiacere pœnis,
& sententiis supradictis: & in eorū præsentia cessari debere penitus à di-
uinis, iuxta modum, & formā quæ in constitutionibus, I T E M C V M
Q VIDAM, &, O L I M , cōtra inuasores editis expressantur: aliis pœ-
nis in iure, & constitutionibus appositis nullatenus derogantes.

I D E M I N E O D E M.

In præsencia eorum, qui ecclesiasticos in vitæ, & fortunarum dimicationem
prouocauerint, si intra decem dies eiusmodi prouocationem non re-
uocauerint, cessandum à diuinis.

V O N I A M ex pœnis in cōstitutione, incipienti P R A E-
D E C E S S O R V M N O S T R O R V M &c, imposi-
tis cōtra diffidantes, seu acuydantes Prælatos, vel alias per-
sonas ecclesiasticas in dicta constitutione cōtentas, propter
temporis malitiam, & multorum, proh dolor, prauitatem,
præfato morbo, vt decet, non est vsquequaq; prouisum, quominus Dei
timore & pœnis præfatis postpositis, & spretis nonnulli diffidare, seu
acuydare personas ecclesiasticas in præfata constitutione contentas, &
dictis diffidantibus dare consilium, auxilium, vel fauorem nullatenus ve-
reātur: idcirco, quia crescente cōtumacia debet crescere ipsa pœna, adii-
ciendo statuimus, quod si post monitionem factam personaliter, vel pu-
blicē in ecclesia, ybi domicilium habuerint diffidantes, seu acuydantes
præfati,

præfati, per Rectorem, seu eius locum tenentem, vel per alium loco sui demandato Prælati ipsius Rectoris, vel Officialis eiusdem infra decem dieum spatum præfata acy damenta, seu diffidamenta non reuocauerint cum effectu, extunc in ecclesiis ciuitatum, villarum, vel locorū, in quibus præfati diffidantes, seu acy datus præsentes fuerint, cesseretur penitū à diuinis; vt cessatur, seu cessari debet in præsentia inuasorum, raptorum, deprædatorum hominum ecclesiarum, ecclesiasticarum rerum, & locorum religiosorum: aliis pcenis in præfata constitutione contentis in suo robore duraturis.

ENNECVS TARRACONENSIS ARCHI-
episcopus in tertio concilio celebrato, anno Dñi.
M. CCCC VI. Idibus Martii.

Statuitur poenas inuasoribus &c, per constitutiones constitutas, declarari debere in eum qui notoriè clericum, vel monachum captum habitum gestantem regularem requisitus non restituerit: recipiendam autem informationē summaria, si clericus notoriè non fuerit: vbi innotuerit clericū esse priuilegio gaudentem clericali, procedendum in eum qui illum ceperit iuxta decretalem, SI IV DE X, & perinde ac si notoriè clericum cepisset.

VS T V M quidem decernimus, & necessitate compellimur nos Enneucus miseratione diuina sancte Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus prouinciale concilium celebrantes, quod in his, quæ sunt salubriter prouisa, si declaratione, vel additione indigat, prout experientia docuerit, debitum prouisionis remedium apponamus. Cum itaq; in modo procedendi vigore constitutionū prouincialium de inuasoribus contra delinquentes, in eis per nos approbationē sacri cōcilii edito sit prouisum; quod contra detinentem notoriè clericum, vel monachum, fratrem minorem, vel huiusmodi similem habitum gestantem regularē, si requisitus eum restituere noluerit sine aliqua informatione, pcenā dictarum constitutionū contra eum declarentur: & de capto non notoriè clero recipiatur informatio summaria, si est clericus gaudens priuilegio clericali, & contra detinentem procedatur iuxta tenorem decretalis, SI IV DEX L A I C V S, de sententia excommunicationis libro sexto. Adiicimus sacri approbatione concilii, & declaramus, quod si per dictam informationē constiterit dictum talem captum esse clericum gaudentem priuilegio clericali, contra detentorem procedatur ad declarationem dictarum constitutionū, vt de notorio clero est prouisum.

ENNECVS IN TERTIO CONCILIO
celebrato, anno Domini. M. CCCC-
VI. Idibus Martii.

Domini temporales, quibus innotuerit malefactores octo dies in suis ditionibus receperatos, nisi infra decēm dīes, postquam innotuerit eos eiecerint, sic vt de nuo non redeant, excommunicantur: & in eorum præsentia à diuinis cessandum.

ITEM



TEM cūm in constitutione per bonæ memorie Petru Archiepiscopum Tarragonensem prædecessorem nostrū edita, incipienti O L I M EX COMM VNICASSE RECOLIMVS, caueatur, quod quandiu principales malefactores, inuasores, & raptore bonorum, & rerum ecclesiarum, & hominum, ac locorū eorum fuerint in aliqua ciuitate, vel villa, in eorum præsentia cesseretur penitū à diuinis: & s̄pē accidat quod quidam Domini ciuitatum, & villarū huiusmodi, & eorum Officialis, eorum qui deprædati sunt, damna nō sentientes, & ipsorum, & ecclesiæ iniurias pro nihilo habentes, malefactores prædictos multo tempore sustinentes, quandoq; in odium ecclesiarum, & damna passorum prædictorum: ex quo delictorum corundem esse videntur participes, & conformes: dignumq; reputemus, quod tales etiam poenas sentiant eorum, sacri concilii approbationē adiicimus & fancimus, quod si dominus ciuitatis, villæ, castræ, aut loci, in quibus malefactores fuerint receptati, vel eorū Officialibus constiterit tales malefactores fuisse per octo dies receptatos, nisi eosdē à suis ciuitatibus, castris, villis, vel locis infra dies decē post dictos octo dies immediate sequentes requisiti eiecerint cum effectu, ita quod amplius ad ipsas, vel ipsa, vel iurisdictiones eorum non redeant, tales Domini, & eorum Officialis simili sint excommunicatione ligati: & in eorum præsentia, vt in fautoribus, & receptatoribus, cesseretur penitū à diuinis. Ab hac ramen poena tantum excludimus dominum Regem, & dominam reginam, & eorum primogenitum, & eius vxorem.

I D E M I N E O D E M.

Officialis Dominorum temporalium, qui clericorum coniugatorū reorum priuilegium ad personas refringentes, bona iudicio ecclesiastici iudicis non permittunt, sed ipsi capiunt, sunt excommunicati: & in eos non secūs quam in inuasores, & raptore procedendum.



VIDAM Officialis seculares prouinciae Tarragonensis priuilegium clericis coniugatis à sacris canonibus indultu, quo pro excessibus, seu delictis per eos cōmissis, seu de quibus delati fuerint, in personis, & bonis de ecclesiastici iudicis foro existunt, eis auferre, & ecclesiasticam iurisdictionem sibi usurpare callida fraudē, vt percepimus, cupientes, priuilegium prædictum, quoad personas dictorum clericorū refringunt, bona verò eorundem esse assertunt, licet ficte, de foro seculari: & his non cōtentī, multoties dictos clericos in odium iurisdictionis ecclesiasticæ capiunt, & eorum bona occupant, etiam de facto: & cūm ex his per ecclesiasticū iudicem proceditur contra eos pro dictorū bonorum restituzione, respondent & excipiunt contra veritatem, quod dicta bona non capiunt ratione delicti, sed eo quod esse afferunt domini temporalis: & quod dominus temporalis vult, quod ipsa bona capiantur, & occupentur per eosdem. Nos autem huic

Z perni

pernitioso abusui obuiare, & ecclesiasticae iurisdictioni, vt illibata persicat, prouidere debito remedio cupientes, approbante sacro concilio, excommunicamus quoscunque officiales, & personas, quacunque auctoritate, vel potestate fungantur, talia attentantes: & contra ipsos ut inuasores, & occupatores rerum, & bonorum, ac iurium ecclesiae, prout re vera existunt, procedi volumus, & poenas constitutionum de inuasoribus in eis decernimus locum habere, & esse seruandas.

IDEM IN EODEM.

Tempore generalis interdicti, & cessationis à diuinis quando Corpus C H R I S T I eleuatur maius cymbalum ter, & ter item in sanguinis eius elevatione pulsandum: & oratio, quæ pro vnitate ecclesiae fiebat, continuanda.

E D E M P T O R I S nostri morte recensemus, & ipsius misericordiam imploramus, quotiens Eucharistiae sacramentum veneramur, eiq; deuotā & humilem reuerentiam exhibemus. Ut igitur ipsius gratia assequatur deuotiū populus Christianus, statuimus sacro concilio suadente, quod temporibus generalis interdicti, & cessationis diuinorum, quando Corpus C H R I S T I eleuatur in qualibet ecclesiarum prouinciæ nostræ, maius cymbalum in Corporis C H R I S T I tribus vicibus, & aliis tribus vicibus in sanguinis eiusdem elevationibus pulsetur: ut sic populus huiusmodi signo admonitus, ore genu flexo, & indulgentias acquirere valeat concessas. Quodq; oratio, quæ pro vnitate ecclesiae fiebat in qualibet dicecesi, continuetur & obseruetur. Si qui verò prædicta facere omiserint, suorum Prælatorum arbitrio puniantur.

P E T R V S Q V A R T V S D E C A R D O N A T A R -
raconensis Archiepiscopus in concilio Barcinone cele-
brato, anno Domini. M. D. X V I I .

Pridie Calendas Iulii.

Ad constitutas superioribus constitutionibus de inuasoribus, & raptoribus poenas, quibus iubentur excommunicati esse malefactores huiusmodi, & quandiu alii cubi morabuntur, cessari à diuinis, adiungitur, ut statim postquam de maleficio summariè constiterit, sine villa admonitione, aut citatione in eos procedatur ad declarationem memoratarum poenarum: neque, quominus id fiat, obstatere debere ullam monitionem per alias constitutiones ad id requisitam. Si huiusmodi malefactores ecclesiastici fuerint, ultra memoratas poenas ipso facto executione ordinum, & perceptione fructuum priuari, quoad absoluti nem fint adepti.

ICET per multas laudabiles constitutiones fuerit statutum & prouisum, sub certis poenis, & censuris aduersus diffidantes, seu acuydantes, seu acuydari, seu diffidari facientes, vel procurantes, aut in hoc consilium, auxilium, vel fauorem dantes, & etiam guerram absq; diffidamento facientes contra Archiepiscopos; vel eor

vel eorum Officiales, seu Prælatū, aut religiosum, vel alium clericum beneficiatum, aut in sacris ordinibus constitutū, vel contra homines, & loca eorūdem, & signanter circa hæc inueniatur latius prouisum per constitutionē, incipientem P R A E D E C E S S O R V M N O S T R O R V M Q V I CONDEMAVERVNT, & per aliam, incipientem A D R E P R I M E N D A M P E R V E R S O R V M , & aliam, incipientem Q V O N I A M E X P O E N I S, verumtamen attendimus hominum ex crescente malitia, id experientia edocente, præmissa parum attendi, neque poenas & censuras formidari, sed potius negligi & paruipendi. Ut igitur audaciæ peruersorum reprimi valeant, & similia committendi omnis occasio auferatur, præmissas, & alias constitutiones super huiusmodi disponentes præsentis auctoritate concilii approbantes, & ampliantes statuimus etiam & ordinamus, vt qui in dictas commiserint constitutiones, ultra dictas poenas & censuras in ipsis contentas, & in eos inflictas, ipso facto cessent ecclesiae penitū à diuinis: & interdictum, vbiunque dicti malefactores moram traxerint, obserueretur iuxta mentem, seriem, & tenorem constitutionum contra inuasores, raptiores, & malefactores ecclesiarum, & clericorum editarum: & consti tuto summarie de eorum maleficio, statim absq; aliqua monitione, & citatione procedatur, ac procedi possit ad declarationem dictarū poenarum excommunicationis, & interdicti, & ad obseruationem earundem non obstante monitione decem dierum, vel aliis per alias constitutiones requisitis, & contra tales secundum formā, & modum procedendi contra inuasores, & malefactores ecclesiarum, & clericorum tanquam contra potentes, vel à notorio procedi possit ad libitum ordinariū ex officio, vel ad instantiā partis. Et si tales malefactores clerici seculares fuerint in sacris ordinibus constituti, vel beneficiati, seu religiosi, ultra incur sionem poenarum, & censurarū prædictarum, ab executione sacrorum ordinum, & perceptione fructuum suorum beneficiorū existant eo ipso priuati: donec absolutionem à suo superiore meruerint obtinere.

IDEM IN EODEM.

Contra eos, qui ex proposito violentas manus iniecerint quoquomodo in personas clericorum, ac religiosorum in sacris constitutorum ordinibus, procedendum esse vi sacrorum conciliarum de inuasoribus, &c.

VM iure disponente omnes illi qui violentas manus iniecerint contra clericos in sacris ordinibus constitutos, beneficiatos, seu religiosos ligentur censuris ipso facto: necnon de iure diuino sit dispositū, quod prædicti non sunt tangendi præter ipsorum voluntatē approbantes constitutiones circa ea disponentes de nouo sacro cōcilio approbante decernimus, vt remoueat omne dubium quod hucusque per aliquos suscitabatur super iniuria, seu vulneratione atrociter facta in personis clericorū & benefi ciator

catorum, ac clericorum religiosorum. Declaramus quod omnes illi qui ex proposito violentas manus iniecerint quoquomodo in personas ipsorum clericorum, ac religiosorum in sacris ordinibus constitutorum, seu beneficiatos, seu religiosos, sint excōmunicati: & procedi valeat, & possit contra ipsos per querelam constitutionum sacri concilii Tarragonensis editorum, tanquam contra inuasores, raptores iuxta mentem, seriem, & tenorem ipsarum: & in ipsorum præsentia cessandum à diuinis prout dictæ constitutiones decernunt, & modus procedendi se habet.

IDE M IN E O D E M.

Qui laicorum potentia freti ecclesiæ detinent contra Ordinariorum voluntatem, in eos iubetur procedi iuxta constitutiones de inuasoribus, &c: formamque seruari, quæ constituta est aduersus eos, qui notoriè clericum violarint, nimurum cessandum à diuinis in iis locis, vbi Sarraceni, per quos ecclesiæ detinetur, fuerint, seu præda: & Christianos excōmunicari, qui cum Sarracenis communicarint: & aggrauari debere vique ad inuocationem brachii secularis: atque interdictum ponи, quod relaxari nequeat sine consensu Ordinariorum, & satisfactione partis laicæ. Si clericis vel incitantibus, vel adiuuantibus, vel procurantibus id crimen fuerit admissum, ultra censuras, quibus obnoxii sunt ipso facto, iure, si quod habebant, priuari.

V A N V I S à prädecessoribus nostris fuerit prouisum per constitutiones editas contra laicos ecclesiæ sub colore iuris patronatus, quod in eis habent, & habere se afferunt, vel alias, occupantes, & etiam contra clericos seculares, & regulares, qui per potentiam laicorum ecclesiæ & beneficia detinent præter, & contra voluntatem Ordinariorum, sub poenitentiis & censuris: veruntamen, ut experientia docet, quæ magistra omnium rerum existit, dicti laici, non obstantibus dictis censuris & cōstitutionibus, faciunt, quod peius est, dictas ecclesiæ & beneficia detineri per Sarracenos, seu quascunq; alias personas tam ecclesiasticas, quam seculares: fructusq; ipsarum ecclesiæ, & beneficiorum asportari faciunt per prädictos. Et cum non sit dubium quin tam prädicti, quam mandantes, consentientes, facientes, & fieri facientes, & in his dantes consilium, auxilium, vel fauorem sint excommunicati, ad reprimendam audaciam, & temeritatē omnium prädictorum adiucimus, & de nouo sacro approbante concilio statuimus contra talia facientes, cuiuscunque gradus, präeminentiæ, dignitatis, seu conditionis existant, etiam si sint domini temporales, & potentes mandantes, dantes consilium, auxilium, vel fauorem tacite vel occulte facientes, possit & valeat procedi per viam constitutionum sacerdotum conciliorum de inuasoribus: & incident in poenas contra inuasores editas: & in ipsorum præsentia cessari debeat à diuinis, seruata procedendi forma in dictis constitutionibus tradita super notorio: et etiam in loco, ciuitate, vel villa, vbi ipsi infideles, & Sarraceni, aut alii prädicti fuerint, seu præda, cesseatur penitus à diuinis, prout dictæ constitutiones de inuasoribus disponunt: & etiam

& etiam quod Christiani non possint communicare cum ipsis Sarracenis, neque aliquod cōmerciū exercere. Contrariū facientes, ipso iure, & facta tria canonica monitione præmissa, sunt excōmunicati. In quam excommunicationē declaramus incidisse: mandantes eodem sacro concilio approbante, quod locorum Ordinarii, seu eorum Officiales publicent supradictos Christianos talia facientes, aggrauando ipsis, prout iustum fuerit, vsq; ad inuocationem brachii secularis, & etiam ponere interdictū generale, seu speciale in loco, & territorio illius dominii, in quo delictum fuerit commissum: si dictis Ordinariis, seu suis Officialibus visum fuerit commissum, donec debitam satisfactionem fecerint de præmissis. Quod interdictū non posset relaxari simpliciter, vel ad cautelam, nisi de consensu Ordinarii, & parte satisfacta & contenta ad cuius interesse, & Prælati ecclesiæ, presbyteri, seu clerici in his dantes consilium, auxilium, vel fauore, seu fieri mandantes, occasione quorum prädicta fuerint perpetrata, seu prädicta rata habentes, ipso iure & facto sint priuati iure, si quod in ipsis ecclesiis, vel beneficiis eis competit, ultra censuras desuper fulminatas, quas ipso facto, & iure incurvant, & in ipsis locum volumus vindicare.

FINIS.

L A V S D E O.

Z 3 SEQ

SEQVNTVR QVATVOR
MODI PROCEDENDI IUDICIA-
LITER CONTRA INVASORES IN VIM
sacrorum conciliorū Prouincialium Tarraconen-
sium, & formandi processus contra inua-
sores, editi in diuersis prouin-
cialibus conciliis,
**

PRIMVS MODVS EDITVS PER ARNAL-
dum in tertio prouinciali concilio Tarracone celebra-
to, anno Domini. M. CCCXXXIX.

Quinto Nonas Augusti.

DVBITATVR autem quomodo fiat processus cōtra inua-
sores, & raptore, & alios: & contra quoscunque, contra quos
debet procedi per constitutionem sacri cōcilii Tarraconen-
sis. Et de vsu, & consuetudine. Et obseruātia debet & solet pro-
cedi contra ipsos per hunc modum. Venit ad iudicium damnum passus,
& proponit in articulis in scriptis corā Ordinario, vel eius vices geren-
te, quod talis miles, vel alius fecit tale fore factum: vt puta, rauabauerit ta-
lem clericum, vel inuaserit talem rem ecclesiasticam, vel violēter fecerit
hoc contra libertatem ecclesiasticā, & sic de aliis, secundum quod con-
tinetur in constitutionibus sacri cōcilii Tarraconensis. Et sic potest pro-
cedi contra talem summarie, & de plano, & breuiter per constitutionem
sacri concilii Tarraconeñ. Et dictus iudex receptis articulis à dicto con-
querente, qui paratus est stare iuri cuicunque de illa re de qua agitur, de-
bet, si inueniri potest, commode, & citò citare dictum malefactorem, &
dicere illi quod reducat, & tornet talem in sua possessionē pacificā cum
omnibus damnis, & expensis quas, & quae fecit, & sustinuit pars conque-
rens: aliás quod dictus iudex procedet contra ipsum per constitutionem
sacri concilii Tarraconensis. Et, si ipse malefactor nolit interponere ra-
tiones iustas, quod hoc sibi licuerit attentare: vel nō inuenitur, quia forte
recessit cum præda, vel commode & citò citari non potest, & damnum
passus, qui spoliatus est, fraudaretur, cùm de iure, afflito non sit danda
afflictio, si talis malefactor nō expectaretur, tunc in eo casu dictus iudex
recipere debet summariam informationē super dictis articulis, nō data,
nec concessa copia dicto malefactori: & si inuenierit ita esse, debet dictus
iudex facere literam Rectori, vel eius locū tenenti illius parochiæ, in qua
degit dictus malefactor, & omnibus aliis clericis, ad quos præsentes per-
uenerint, quod denuntient talem publicē excōmunicatum, & quandiu
sit præsens ipse malefactor, seu eius præda, in eorū parochiis cœlent pen-
itus à diuinis: & inferatur causa, quare hoc fiat in litera supradicta. Et
nunquam absoluatur talis malefactor, donec iniuriam & damnum passo
plena-

Modi procedendi.

plenariè satisfecerit in prædictis: nec eius appellatio modo aliquo reci-
piatur. Et talis processus debet remanere penes ordinarium, qui aggrena-
uare poterit participantes cum eodem malefactore, tria monitione fa-
cta in diebus dominicis, vel festiis proximè, vel continuè subsecutis. Et
de tali processu faciendo nihil debet habere, nec recipere dictus iudex,
nisi solū expensas, si cōtingat ipsum extra ciuitatem, vel villam, vbi ha-
bitat, exire & intendere in prædictis. Sed notarius de scripturis debet ha-
berē salarium temperatum, prout hæc & alia latius in dictis constitutio-
nibus continentur.

SECUNDVS MODVS PROCEDENDI FVIT
editus per R.D.D.Petrum Clasqueri, Archiepiscopum Tar-
raconensem, traditusq; Domino Guilelmo de Turril-
lis Episcopo Barcinonensi in cōcilio prouinciali
Tarracone celebrato, anno à Natiuit. Do-
mini. M. CCCXLIIII. Ordina-
tus per Venerabilem Barptolo-
mæum Cesaraues De-
cretorum Docto-
rem.

Ordo procedendi visitatus per constitutiones sacri concilii Tarraconensis
contra inuasores, raptore, & deprædatores hominum, bonorum, & re-
rum ecclesiasticarum in curia Tarraconenſi: qui etiam variatur ad arbi-
trium iudicis secundum casuum accidentia, & qualitatem, conditionem
& statum personarum delinquentium, & in quas delinquitur.

ROPO NIT quis querimoniam cum articulis, seu capi-
tulis contra aliquem qui dicitur raptor, in qua querimonia
proponens stare se iuri offert paratu: et ipsa querimonia cū
articulis, seu capitulis oblata est coram Officiali principali,
idem Officialis, si persona, cōtra quam petitur procedi, non
sit potens, vel de vniuersitate loci alicuius, quæ partem faciat cum eadē,
incontinenti debet mandare citari malefactorem illum, antequam recipi-
tur informatio super contentis in querimonia: & in literis citatoriis
confueuit querimonia cum capitulis inseri. Et, si malefactor citatus in
termino assignato venit, & copiam querit de querimonia, articulis, &
capitulis, si non habuit, quia literæ citationis non habuit copiam, datur
sibi copia, & recipitur informatio super querimonia, & articulis: & au-
diuntur defensiones citati summarie. Et, si defensiones non habet, vel
minus iustas habet, recepta informatione, nulla tradita copia de atesta-
tionibus aduersario, qui dicitur malefactor, si constat de assertis in que-
rimonia, declarantur poenæ constitutionum contra illum. Si autem cita-
tus non venit in termino assignato peremptoriè, reputatur contumax, &
recipitur informatio, & declaratur poenæ constitutionum in illius con-
tumac

tumaciam. Si verò persona illa, quæ dicitur raptor, sit potens, vt putat nobilis miles, vel ciuis, seu burgenis potens, vel tenens officium procurationis pro aliquo domino potenti, Vicariæ, vel Baiuliæ, vel cum eo faciat partem vniuersitas alicuius loci, in quo forsitan informatio habebit recipi, & illius loci habitatores testificari, ne per talium personarum potentiam, vel factum veritas possit occultari, vel probatio impediri: si scirent per citationem, vel aliâs, processum constitutionū fieri, & inchoari: ante aliquam citationem recipitur informatio: qua recepta, si per illam constet de assertis in querimonia oblata, citatur inuasor sub tali forma, quia inseritur in litera citationis querimonia cum capitulo: & in cōcluſione dicit Officialis, Cūm cōstet nobis de prædictis per summariam informationem &c, requirimus & monemus quatenus infra talem terminum vj. vel x. dierū quem peremptoriè assignamus restituatis rapta &c, vel conueniatis amicabiliter &c, vel dicta decima die coram nobis Tarracone cōpareatis in curia, iustas causas, si quas habetis, legitimè propositorus & ostensurus, alioquin lapsō dicto termino procedemus ad declarationem pœnarum dictarum constitutionū, & aliâs &c. Et si dictus raptor & malefactor sic monitus, & citatus venit in termino assignato, & petit copiam de querimonia, & articulis, si iam non habebat, vt dixi, in casu præmisso datur sibi copia solum de querimonia prædicta & articulis, non autem de attestationibus receptis, & audituntur defensiones suæ summarie, quas si non habuerit, vel minus iustas habuerit, fiet declaratio pœnarum constitutionum prædictarum siue prætarū. Si autem malefactor in termino assignato venire contempserit, vel aliâs cōplere contenta in literis prætarctis, reputabitur contumax, & in eius contumacia proceditur ad declarationem pœnarum dictarum constitutionū. Si autem petatur procedi ad deliberationē personæ ecclesiasticæ, quæ capta detinetur, distinguitur: quia aut est notorium quod ille, qui captus detinetur, est clericus gaudens priuilegio clericali, vt Canonicus, vel Archidiaconus, vel notoriè presbyter in sacris ordinibus constitutus: tunc in præmisso casu, ex quo de captione constat, sine aliqua citatione declaratur pœna dictarum constitutionum: & idem si est persona ecclesiastica notoriè, vt, quia est monachus, frater minor, vel prædicator, vel huiusmodi similis habitum regularem publicè deferens. Si autem non sit notorium captum fore clericū gaudentem priuilegio clericali, in hoc casu recipitur informatio summaria: si est clericus gaudens priuilegio clericali, potest procedi attentis serie, & tenore Decretalis,

S I . I V D E X . L A I C V S ,
de sententia excommunicationis, libro
sexto.

TER

TER TIVS MODVS PROCEDENDI CONTRA INUASORES &c, editus per dictum dominum Petrum Clasqueri in tertio prouinciali cōcilio Tarracone celebrato, anno Domini. M.

C C C L X X . Septimo
Idus Nouembris.

A STOR ALIS Officii sollicitudo nos admonet, & inducit, vt de vnitate, & concordia, ac etiam vtilitate subiectorum prouidere curemus. Hinc est quod, prout de certo didicimus, forma, & modus procedendi vigore constitutionis sacri concilii Tarraconen sis, editæ contra inuasores, hucusq; in nostra prouincia obseruatus, dispar sit penitus, & disformis. Et quidam nimium rigorosi circa eius obseruantiam fuerūt: quidam etiam nimis lenti: propter quod in subditos nostros sæpiissimè vidimus scandala generari, & questionum materiam suboriri. Volentes igitur & scandali materiam præscindere, & procedendi modum trahere vniiformem, qui aliâs per plures & meliores nostræ prouinciae extitit obseruatus, hoc sacro approbante concilio statuimus, & perpetuò ordinamus, quod processus qui fiet decætero contra inuasores, raptore, & deprædatore, & alios de quibus habetur in dicta constitutione sacri cōciliī Tarraconen sis, & aliis constitutionibus ad declarationem illius diuersis temporibus emanatis, fiat vniiformiter, per formā, siue modum infrascriptæ dictiōnis. Quia aut ad partis instantiam, aut ex iudicis officio proceditur: si ad partis instantiam, pars quæ affirmauerit se inuasam, vel aliquid sibi fuisse sublatum, seu aliquid sibi fuisse factum, propter quod dictæ constitutioni sit locus, seu procurator eiusdem, cautione prius data quod stabit iuri, prout debuerit, offerat articulos, siue positiones in scriptis iudici super prædictis inuasione, rapina, vel deprædatione illatis, vel aliis in dicta constitutione contentis: & potest procedi contra talem summarie, breuiter, & de plano: prout solitum est procedi iuxta constitutionem sacri concilii Tarraconen sis. Quibus articulis per iudicem receptis, mox absque vocatione, vel requisitione partis recipiatur per ipsum iudicem summaria informatio in scriptis, non obstantibus exceptione, vel oppositione cuiusquā. Quia recepta, si per eam apparuerit, vel iudici visum fuerit, quod constitutioni sit locus, mandet iudex per suas literas Vicario, vel Rectori, seu illi, qui curam animarum gerit in parochia, in qua ille degit, cōtra quem constitutio petitur obseruari, quod moneat inuasores, si inueniri poterint: aliâs in domo conuocatis duobus, vel tribus testibus: vel, vbi de scandalo non timeatur, publicet in ecclesia parochiæ suæ, quod infra certos dies ipsius iudicis arbitrio moderandos, computandos a die monitionis, satisfaciant damnum passo:

Aa alias

Modi procedendi

aliás nunc ut extunc, declaret iudex in suis literis illum sic monitum incidisse in constitutionem sacri concilii Tarragonensis. Et si infra dictos dies in litera iam præfixos inuasor non restituerit, vel emendauerit, vel satisfecerit damnum passo, vel coram iudice non allegauerit talem causam, qua probata constaret constitutioni locū non esse, obseruetur constitutio contra eum. Si dictus inuasor dictā causam non allegauerit, tunc iudex det terminū alleganti dictam causam VIII. dierum computandorum à die quo causa fuerit allegata ad probandum, & verificandum causam per ipsum allegatam. Et si infra illud tempus illam probauerit, & verificauerit, supercedeat iudex à processu constitutionis, donec receptis omnibus probationibus, & discursis, dicta constitutioni apparuerit esse locum. Si verò infra prædictum terminum assignatum causam per eum allegatam non probauerit, nō obstante allegatione alicuius impedimenti, facti, vel iuris, vel alia allegatione quacunque, faciat iudex contra eum constitutionē obseruari. Si verò iudicis officio procedatur, modus omnino seruetur prædictus: excepto quod iudex cum articulis, vel etiam sine articulis per eius fiscalem loco partis oblatis, procedere possit: si autem casus notorius, & scādalosus occurrit, quod prædictus procedendi modus seruari non debet, vel non possit. Quæ omnia iudicis Officio relinquuntur: quia diuersitas factorum exigit certam formam non per omnia obseruari. Procedat iudex omissa, vel seruata forma prædicta: prout sibi iuxta qualitatē negotii visum fuerit, quod eius arbitrio relinquatur. Prædecessorū autem nostrorum vestigiis inhærendo statuimus, quod propter omissiones istius formæ, vel alterius obseruantæ ordinis iudicarii, processus non sit irritus, nec etiam irritus faciendus.

QVARTVS MODVS, SIVE VSITATVS, & copiosus, factus per Dominum Ennecum Archiepiscopum in concilio celebrato, anno Domini. M. CCCXI. Quinto Calendas Aprilis.

VENIET ad iudicium damnū passus, & scriptis coram Officiali principali, vel in eius absentia corā vicem gerente suam querelam proponet: in qua continebitur, quod talis, vel tales raubauerunt, vel inuaserunt rem ecclesiæ violenter, vel contra ecclesiasticā libertatem fecerunt: & sic de aliis, secundum quod continentur in constitutionibus sacrorum conciliorum Tarragonensium de inuasoribus: dicentibus contra inuasorem summarie, breuiter, & de plano, & absq; litis contestatione procedi. Et in fine ipsius querelæ proponat, seu offerat stare iuri cuicunque, obligandoq; bona sui principalis, si interuenerit in ipsa causa procurator. Neq; erit necesse dare firmacias, seu facere alias obligationes. Iudex autē recepta, & retenta querela citet illico,

contra inuasores, &c.

illico, vel saltē quando poterit, ipsum malefactorem, & fautores, iuxta proposita in querela, si sciat ubi moram faciant, seu personaliter existāt: ac si citare cōmodè pessit: et illi ipsam querelam per sagionem, seu numerum iuratum curiæ transmittat absq; copia ipsius querelæ, sed causa expressa: tamen si petat, est illi danda (nec est necesse quod citatio eundem malefactorem personaliter apprehendat, postquā sic fuerit citatus) addendoq; in fine querelæ, ac in ea dem litera illi dicat expresse, quod restituat talem rem, si quam recipit, seu de facto occupauit: vel restituat tam in suā possessionē, vel libertatē ecclesiasticā, vel hominem talem ecclesiæ, si captum detineat: vel talia bona, si sunt mobilia: quæ dicitur violenter recepisse, seu occupasse vñā cum omnibus damnis, interesse, ac expensis, quas, & quæ fecit, ac sustinuit pars ipsa conquerens: vel tali die cōpareat coram eo dem, iustas causas, si quas habet, propositurus & ostensurus: aliás quod dictus iudex procedet contra dictū malefactorem, seu inuasorem per constitutionem sacri concilii Tarracoñ, iuxta & secundū petita in præfata querela. Et si dictus malefactor veniat, & dicat, ac corā ipso iudice proponat quod iure facere potuit, vel quod impunē poterat hoc aliás fieri, audiendus est: & in suis probationibus tam per testes, quam per alias probationes admittendus, quas summatim ipse iudex recipere debeat, & teneatur. Et si infra tempus per ipsum iudicē assignatū nō probauerit se iuste fecisse, ergo presumitur quod illicet. Quare iudex procedat absq; alia iuri solēnitate, tanquam contra malefactorem, ad declarandū ipsum incidisse in excommunicationis sententiā, aliasq; constitutionū poenas, iuxta etiā petita in querela. Si autē simpliciter neget contēta in dicta querela, tunc iudex recipiat suam ex officio informationē absq; alia partis vocatione. Et si sibi constiterit de contentis in ipsa querela iudex ipse habet declarare sine difficultate quacunque, ipsum malefactorem incidisse in excommunicationis sententiā, & in alias poenas constitutionum sacri concilii Tarragonensis, iuxta, & secundum in prædicta querela petita. Si autem non vult coram eo in iudicio comparere, vel iustas causas, si quas habeat, ad sui defensionem proponere, vel non inueniatur, quia forte cum præda recessit, vel est extra terram, vel cōmodè etiam citari non potest, & damnum passus, qui spoliatus est, fraudaretur, cum afflito non sit danda afflictio, quod esset, si talis malefactor expetaretur, tunc dictus iudex habeat incontinenti, vel saltē quando cōmodè poterit summariam informationē super dicta querela oblata recipere, etiam parte cōtraria non vocata. Tamen faciat iudex ipse hoc casu, ut merus executor, & sic non requiritur iudicariū orē in eum obseruari etiam de iure communi. Et si inuenerit ita fore, debet iudex citare ipsum malefactorem ad suam audiendam declarationem duntaxat: qui si non veniat, in eius contumaciam declarationem faciat: declarando cōdemnū excommunicatum, ac incidisse in excommunicationis sententiā, & in

Modi procedendi

alias poenam, iuxta & secundum formam, & tenorem constitutionū sacri concilii Tarragonensis, & illico mandare literas fieri Rectoribus ecclesiasticis, &c: et specialiter illi Rectori illius parochiæ, in qua malefactor audire consuevit diuinam, ac de cuius est parochia: ut quād sit præfens ipse malefactor, vel eius præda in illa parochia, cestetur penitū à diuinis, & deinde per totam prouinciam Tarragonensem: & in litera, seu literis prædictis inseratur causa, quare hoc facit ipse iudex. Et nunquā est absoluendus ab excōmunicationis sententia dictus malefactor, donec plenariè satisfecerit damnum passis de omnibus damnis, iniuriis, & interesse, ac expensis. Nec est admittenda eius appellatio si talis de facto appellat: imo iudex apostolos negatiuos tradere teneatur, neque absoluatur etiam ad cautelam: cūm in facto dictarum constitutionum non habeat locum absolutio ad cautelam, & hoc contra minores personas. Si autem persona illa, quæ dicitur raptor, sit potens, vt putat nobilis, vel Baro, vel dominus illius loci, vel tenens officium procuratoris pro aliquo domino temporali, vel Vicariæ, seu Baiuliæ: vel cum eo faciat partem vniuersitas alicuius ciuitatis, villæ, vel loci habitatores testificari, ne per talium personarum potentiam facta veritas valeat occultari, vel probatio debita impedita, si scirent per citationem talem processum constitutionum prædictarū fieri ante aliquam citationem, recipiatur informatio super querela oblata, qua informatione recepta, si per illam constet de cōtentis, & assertis in eodem, citetur inuasor, seu malefactor sub tali forma, Cūm constet nobis de prædictis per summariam informationem &c, requirimus & monemus quatenus infra talem terminum vij. vel x. dierum secundum locorum distantiam quem peremptoriè assignamus, restituatis rapta &c, vel conueniatis amicabiliter &c, vel dicta die coram nobis in iudicio cōpareatis causas iustas, si quas habetis, propositurus, & ostensurus: alioquin, lapso diēto termino, procedemus ad declarationem excommunicationis sententiæ, ac poenarum in dictis constitutionibus sacri concilii Tarragonensis contentarum iuxta petita in querela.

Veruntamen si sine periculo, vel damno verisimili nuntiorū easdem literas deferentium commodè prædictæ literæ illis personis præsentari non possent seu potuerint, quæ talibus delinquētibus, seu inuasoribus diriguntur in duabus parochiis circuinicinis ipsarum ecclesiasticarum Rectoribus sufficiat præsentari. Et, si dictus malefactor sic citatus, & monitus venerit in termino assignato, & petit copiam de cōtentis in querela, datur sibi copia de querela, non autem de attestationibus iam receptis: & audiuntur defensiones, vt suprà, in casu præmisso: quas si non habuerit, vel minus iustas, faciat declarationem, vt suprà. Si verò malefactor venire in termino assignato contempserit, vel aliás adimplere contenta in literis prædictis ipsius iudicis, reputabitur contumax, & in eius cōtumacia procedetur ad declarationem, &c. Si autem requiratur procedi ad liberationem

contra inuasores, &c.

tionem personæ ecclesiastice quæ capta detinetur, distinguitur: quia aut est notorium, quod ille qui captus detinetur, est clericus gaudens priuilegio clericali, vt quia notoriè canonicus, vel presbyter, vel in sacris ordinibus constitutus, tunc in præmisso casu, ex quo de captione constat, & requisitus restituere noluerit, sine aliqua citatione declarātur poenæ dictarum constitutionum, &c. Et idem si est persona ecclesiastica notoriè, vt quia monachus, frater minor, vel huiusmodi similes habitum regularem publicè deferentes. Si autem non sit notorium captū fore clericum gaudentem priuilegio clericali, in hoc casu recipitur informatio summaria: si est clericus gaudens priuilegio clericali, proceditur attentis serie, & tenore decretalis, S I. I V D E X L A I C V S, libro sexto, de sentē. excōmu. Et dictus processus debet remanere penes Ordinarium, qui aggrauare poterit participantēs cum eodem malefactore, trina monitione in ipsa parochia per tres dies dominicos, vel festiuos publicè facta: post duas denunciationses, si quis tales denunciatos excommunicatos in suis domibus, vel hospitiis ad habitandum receperint, vel receptos sustinuerint, tales receptatores, vel sustinentes iudex ipse etiam denūtiet, seu denuntiari faciat publicè in ecclesiis excommunicatos, cūm ipso facto inciderint in excōmunicationem contra præmissa faciendo: quos excommunicatos denuntiare tenetur iudex etiam ex officio, absq; cuiusquam requisitione, vñq; ad satisfactionem congruam, vt hæc, & alia in præfatis constitutionibus latius continetur. Et de tali processu faciendo nihil debet recipere, vel habere iudex, nisi solū expensas, si contingat ipsum iudicem extra ciuitatē, villam, vel locum ybi habitat exire, & circa præmissa intendere vel vacare. Sed notarius de scripturis debet, seu potest salarium temperatum habere: vt in dictis constitutionibus pleniū habetur.

D E P R O O E M I I S, E T C O N C L U S I O N I B V S, A C F I R M I S C O N- ciliorum.

Ex principalibus conciliis prouincialibus decerpta sunt inferiora proœmia, conclusiones, & firmæ conciliorum.



O S. Ioannes Dei gratia Sabinensis Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, prouinciale concilium in præsenti Ilerdensi ciuitate celebrantes, præsentibus, & assistentibus nobis, venerabilibus Christo patribus S. Tarragonensi Archiepiscopo, B. Barcino-nensi, G. Gerundensi, G. Vicensi, P. Vrgellensti, B. Ilerdensi, P. Dertusensi, & G. Oscensi Episcopis, necnō & multis Abbatibus, & aliis ecclesiasticis Prælatis prouincia Tarragonensis, anno Domini. M. C X X I X. quarto

A a 3 Calend


190 De procemiis, & conclusionib.

Calendas Aprilis, constitutiones quasdam, siue ordinationes edidimus sequentes, A N I M A R V M, &c.

Factisque, & publicatis constitutionibus prædictis in concilio Ilerdensi de concilio Archiepiscopi Tarragonensis, & Suffraganeorū eiusdem, Dominus Legatus executionem earum commisit Archiepiscopo Tarragonensi in hunc modum.



ENERABILI in Christo patri Dei gratia Tarragonensis Archiepiscopo, eiusdem permissione Sabinensis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus, salutem in Domino. Parum est in ciuitate ius esse, nisi qui illud tueatur, existat: nec prodebet iura insurgere contra malos, si deesset iuriū executor. Quia ergo complures in vestra prouincia, diuino timore, & ecclesiastica disciplina à se penitus abdicatis, contra constitutiones à nobis salubriter promulgatas in cōcilio Ilerdensi, fraudulentis occasionibus super obtinendis pluribus beneficiis curam animarum habentibus: & alii etiam fraudes quamplurimas excogitando venire præsumunt, volentes per sollicitudinem à vobis ecclesiasticæ prouisionis suscep̄tam, huiusmodi fraudibus obuiari, ac prædictas cōstitutiones nostras prouidæ executioni mandari, vobis qua fungimur auctoritate mandamus in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis, præcipientes firmiter, & distictè, quatenus constitutiones per vos ipsos humiliter obseruantes, easdem in omnibus, & per omnia qua cōuenit distinctione ab aliis faciat in uiolabiliter obseruari, nulli in hac parte aliquatenus deferendo: ut zelum Domini vos demonstretis habere, nec homini deferre videamini cōtra Deum. Alioquin si in præmissis notabiliter exequendis extiteritis, quod non credimus, negligentes, pœnam suspensionis expressam superius meritò poteritis formidare. Speramus autē in Domino, quod super obseruantia constitutionum taliter vestræ circumspectionis prouidentia se habebit, quod non de negligentia reprehendi, sed potius de diligentia meritò debebitis commendari. Datum Tutell. Cal. Maii.



ATEAT vniuersis, quod nos Sparagus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus de mandato, & auctoritate Reuerendi Patris, & domini Ioannis Deigratia Sabinensis Episcopi, quondam apostolicæ sedis Legati, in Tarragonensi ecclesia generale concilium celebrantes, anno Dominicæ incarnationis. M. C C X X . Calendis Maii, interuenientibus venerabilibus fratribus, G. Vicensi, P. Dertusensi, G. Oscensi, B. Barcinonensi Episcopis, ac procuratoribus aliorum Episcoporum Tarragonensis prouinciæ &c, statuta huiusmodi facimus in hunc modū, QVONIAM NON VLLI, & infra.

NOS

OS Petrus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus congregato prouinciali concilio Tarracone, anno Domini. M. C C X X I X . Decimo quarto Calendas Maii, præsentibus venerabilibus fratribus Barcinoñ. Dertusensi, Gerundensi, Vrgellensi, Vicensi, Oscensi, Ilerdensi Episcopis, constitutiones venerabilis patris Ioannis Sabinensis Episcopi bonæ memorie, apostolicæ sedis Legati ad memoriam reducentes, easdem post earū publicationē præcipimus obseruari: alias de nouo edimus in forma sequenti, EX COMMUNICANTES &c, & infra, S T A T V I M V S.

Ego Ioannes de Guardia notarius Domini Archiepiscopi memorati mandato ipsius, & Suffraganeorum supradictorum hoc scribi feci die, & anno præfixis.

NOS Petrus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus præsidentes in concilio in ciuitate Valentiæ congregato, anno Domini. M. C C X L . Octauo Idus Maii, & eodem cōuenientibus in vnum venerabilibus fratribus, B. Barcinonensi, R. Ilerdensi, P. Dertusensi, V. Oscensi Episcopis, & V. Cæfarugustanensi, & F. Valentiniensi electis, Aliisq; Episcopis Suffraganeis nostris se per suas literas, & nuncios excusantibus, constitutiones edidimus sequentes.

Ego Ioannes de Guardia notarius Domini Archiepiscopi memorati mandato ipsius, & Suffraganeorum supradictorum hoc scribi feci die, & anno præfixis.

NNO Domini. M. C C X L II . Tertio Idus Maii, Nos Petrus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus, vna cum venerabilibus fratribus, P. Dertusensi, P. Vrgellensi, & V. Oscensi Episcopis, & procuratoribus Episcoporum absentium apud Tarracone in prouinciali concilio congregati, deliberatione habita & tractatu, saluti animarum, & statui vniuersalis ecclesiæ prospere cupientes quasdam ordinationes, siue cōstitutiones edidimus prout in subiectis capitulis exprimuntur.

Ego Petrus sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.

Ego Petrus Dertusensis Episcopus subscribo.

Signum Pontii Vrgellensis Episcopi.

Ego Vitalis Oscensis Episcopus subscribo.

Ego R. de Albutiano Gerundensis Archidiaconus subscribo.

B. Barcinonensis Archidiaconus firmo.

Ego Michaël Belchitensis Archidiaconus subscribo.

Ego Sancius Petri Episcopi Tirasonensis procurator subscribo.

Ego Bernardus Anaianus Ilerdensis Canonicus, procurator Episcopi Ilerdensis.

Ego R. de Speluncia Canonicus Ilerdensis subscribo.

Ego

Ego Michaël de Alchoario subdiaconus hoc scripsi mandatis prædictorum, die & anno quo suprà.



N N O Domini. M. C C X L I I I . Tertio Nonas Maii,
Nos Petrus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus in ciuitate Tarragonensi concilium celebrantes, præsentibus venerabilibus fratribus, P. Dertusensi, B. Vicensi, V. Oscensi, R. Ilerdensi, & V. Cæsaraugstanensi Episcopis, & præsentibus procuratoribus quorundam aliorum Suffraganeorum nostrorum, videlicet, B. de Vilagranata Archidiacono pro ecclesia Barcinonensi pastore vacante, A. de Myniana, & R. de Auinione Canonici, pro Episcopo Gerundensi, M. Petro Archidiacono Tirasonensi pro suo Episcopo, magistro Roberto capellano domini Ricardi Cardinalis pro Episcopo Pampilonensi, & R. Ilerdensi Episcopo supradicto pro Calagurritanensi Episcopo: præsentibus, inquam, omnibus supradictis Suffraganeis ecclesiæ Tarragonensis, & aliis quāplurimis viris religiosis, & clericis (Valentino Episcopo absente, qui, dum accederet ad concilium, à Sarracenis, ut dicebatur, peccatis exigentibus, fuit captus) habita deliberatione, & tractatu ad reformationem status totius prouinciae nostræ cōmuni voto, & consensu quædam iura, quæ in dessuetudinem abierant, ad memoriam reducentes, quædam etiam de nouo addentes, quæ necessaria, & utilia videbantur, constitutiones sacro approbante concilio edidimus in hunc modum,

S T A T V I M V S I N P R I M I S &c, & infrà.

Ego Petrus sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.

Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.

Ego R. Ausonensis, siue Vicensis Episcopus subscribo.

Ego Vitalis Oscensis Episcopus subscribo.

Ego frater Vincentius Cæsaraugstanensis Episcopus subscribo.

B. Barcinonensis Archidiaconus tenens locum Episcopi vacante sede firmo.

Signum A. de Myniana Gerundensis Canonici procuratoris Episcopi Gerundensis.

Ego M. Petrus Tirasonensis Archidiaconus procurator Episcopi Tirasonensis subscribo.

Ego Robertus curiæ Romanæ scriptor, procurator domini Pampilonensis Episcopi subscribo.

Signum Ricardi Archidiaconi Vrgellensis procuratoris domini Episcopi Vrgellensis.

Signum fratris Hugonis de Fulalquierio magistri hospitalis.

Signum fratris R. de Serra magistri militiæ templi, qui hęc firmamus.

Ego Ioannes de Rubione notarius domini Archiepiscopi supradicti mandato eiusdem hoc scribi feci, die & anno præfixis.

Ego

Ego Michaël de Alchoario subdiaconus hoc scripsi mandato Ioānis de Rubione notarii supradicti die & anno, quo suprà.



N N O Dominicæ incarnationis M. C C X L III . Pridie Idus Ianuarii. Cūm parum profit in ciuitate ius esse, si desit iurum executor, nos Petrus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus attendentes, quod cōstitutiones editæ in concilio Lateranensi, & constitutiones domini Sabiniensis per negligientiam prælatorum in dessuetudinem abierūt, sacro approbante concilio mandamus venerabilibus fratribus nostris præsentibus in prouinciali concilio Tarragonensi, P. Dertusensi, G. Gerundensi, V. Oscensi, R. Ilerdensi, V. Cæsaraugstanensi, P. Pampilonensi, & P. Barcinonensi Episcopis, & aliis Episcopis Suffraganeis nostris, vt diligentem habeant cum suis Capitulis super obseruatione præmissorum tractatum: & ea faciant tam in ecclesiis cathedralibus, quam in suis diocesis in uiolabiter obseruari, si debitam voluerint effugere vltionem. Quoniam in sequenti concilio super hoc inquisitione habita diligenter, transgressores, & negligentes animaduersione debita punientur. Nos etiam cūm visitationis causa ad dioceses descendimus, super his officiis nostri debitum exequemur, E T Q V I A &c, & infrā.

Ego Petrus sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.

Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.

Ego R. Ilerdensi Episcopus subscribo pro me, & pro A. Calagurritano Episcopo cuius sum procurator.

Ego frater Vincentius Cæsaraugstanensis Episcopus subscribo.

Ego Petrus Pampilonensis Episcopus pro me, & pro Tirasonensi Episcopo, cuius sum procurator, subscribo.

Ego frater Petrus Barcinonensis Episcopus subscribo.

Ego Geraldus Celsonensis Præpositus Vrgellensis Episcopi subscribo procurator.

Signum fratris Guilelmi de Cardona magistri militiæ templi in Aragonia, & Cathalonia, qui hoc laudo, & firmo.

Ego Michaël de Alchoario Subdiaconus scripsi mādato omniū prædictorum die & anno, quo suprà.



N N O Domini. M. C C X L VI . Cal. Maii, conuenientibus in vnum venerabilibus patribus, P. Dei gratia Tarragonensi Archiepiscopo, P. Dertusensi, R. Ilerdensi, F. Calagurritanensi, R. Cæsaraugstan. A. Valentinen. P. Barcinoñ. & B. Gerundensi Episcopis, & procuratoribus Oscensis, Tirasonensis, Vicensis Episcoporum, apud Tarragonem in concilio prouinciali, habita deliberatione in concilio ad honorem Dei, eiusq; genitric

B b ntric

nitricis, & totius prouinciae status salubriter statuerunt ea, quæ inferiùs annotantur, CVM EPISCOPI, & infrà.

Ego Petrus sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.

Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.

Ego R. Ilerdensis Episcopus subscribo.

Ego frater Petrus Barcinonensis Episcopus subscribo.

Ego Arnaldus Valentianensis Episcopus subscribo.

Ego Rodericus Cæsaraugustanensis Episcopus subscribo.

Ego frater B. Gerundensis Episcopus subscribo.

Ego Ioannes de Guardia notarius domini Archiepiscopi memorati mandato ipsius, & supradictorum Suffraganeorum hoc scribi feci die & anno præfixis.



NNO Domini. M. CCXL VII I. decimo Calend. Maii, conuenientibus in vnum venerabilibus patribus, nobis P. Deigratia Tarragonensi Archiepiscopo, P. Dertusensi, R. Cæsaraugustanensi, & B. Vicensi Episcopis, magistro B. & P. de Mesarata procuratoribus Barcinonensis Episcopi, magistro Matthæo Ilerdeñi. procuratore Vrgelleñi. Episcopi, G. Vitali Ilerdeñi. Capituli, M. Archidiacono Valentini. pro Episcopo Valentini. R. Archidiacono pro Episcopo Calagurritanensi, & eius procuratore, M. Petro Archidiacono pro Tirasonensi Episcopo, apud Tarragonem in provinciali concilio, cùm Petri nauicula, variis tribulationum procellis vnde irruentibus, in mari huius seculi tumultuosi agitetur, & aduersus Dei ecclesiam, in subversionem fidei, & conculationem libertatis ecclesiastice, persecutionis ollâ succendat humani generis inimicus, nec sit de qualitate meritorum hominū confidendum: sed deuotiùs solito diuinum auxilium in tanto necessitatis articulo implorandum, sacro approbante concilio duximus statuendum &c, QVOD IN SINGVLIS, & j.

Ego Petrus sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.

Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.

Ego Raimundus Cæsaraugustanensis Episcopus subscribo.

Signum B. Dei gratia Vicensis Episcopi.

Signum magistri Berengarii de Curti procuratoris Episcopi Barcinoñ.

Signum magistri Matthæi de Ilerda, procuratoris dñi Episcopi Vrgel.

Signum magistri Archidiaconi Valentianensis procuratoris domini Episcopi Valentianensis.

Ego Guil. Vitalis subscribo ratione procreationis ecclesiæ Ilerdensis.

Ego R. Semeni Archidiaconus Calagurritanensis, & procurator eiusdem ecclesiæ subscribo.

Ego M. Petrus Archidiaconus procurator domini Tirasonensis Episcopi subscribo.

Signum

Signum Petri de Mesarata procuratoris Episcopi Barcinonensis.

Ego Ioannes de Guardia notarius domini Archiepiscopi supradicti mandato eiusdem, & supradictorum Suffraganeorum die & anno præfixis, hæc scribi feci.



NNO Domini. M. CCXLIX. Idibus Martii, Nos Petrus miseratione diuina Tarragonensis Archiepiscopus, in ciuitate Tarragonensi concilium celebrantes, præsentibus venerabilibus fratribus P. Dertusensi, V. Oscensi, P. Barcinonensi, G. Ilerdensi, & A. Valentineñ. Episcopis: P. Alberto Capituli Barcinonensis, ac Gerundensis Episcopi, B. Burdi, B. Vicensis, B. de Pratis Priore Vrgellensis, G. Cæsaraugustanensi sacrificia Cæsaraugustanensis, & S. Petro Tirasonensis Episcoporum, & P. de Lerato Cantore Ilerdensis, S. de Boleya Oscensi Capitulorum procuratoribus, fratre, F. Riupollensi, & fratre P. sancti Cucufatis Abbatibus, communi approbatione concilii ordinavimus inferiùs annotata, & in primis, QVOD IN DOMINO IACOBO REGI &c, & infrà, ITEM CVM NON SINE GRAVI, &c.

Ego Petrus sanctæ Tarragonensis ecclesiæ Archiepiscopus subscribo.

Ego Pontius Dertusensis Episcopus subscribo.

Ego Vitalis Oscensis Episcopus subscribo.

Ego frater Petrus Barcinonensis Episcopus.

Ego frater G. Ilerdensis Episcopus subscribo.

Ego frater Andræas Valentinus Episcopus subscribo.

Ego Petrus Albertus Barcinonensis Canonicus procurator domini Gerundensis Episcopi subscribo.

Ego Sancius Petro Canonicus Tirasonensis procurator domini Tirasonensis Episcopi subscribo.

Ego Ricardus Archidiaconus Vrgelleñi. procurator domini Episcopi Vicensis subscribo.

Ego Bandes Vrgellensis sedis Prior, procurator domini Vrgellensis Episcopi subscribo.

Ego Guil. de Alaxico notarius dñi Archiepiscopi supradicti, mandato eiusdem & prædictorum omnium scribi feci, die & anno præfixis.

A NNO Domini. M. CCLII I. Sexto Idus Aprilis, Nos Benedictus diuina prouidentia Tarraconen. Archiepiscopus in ciuitate Tarracoñ. sacro sanctum concilium celebrantes, præsentibus venerabilibus fratribus A. Cæsaraugustañ. B. Gerundensi, G. Ilerdensi, & D. Ocen. Episcopis: & præsentibus aliorum Suffraganeorū nostrorum, & eorundem Capitulorū procuratoribus, ac venerabilibus, & discretis viris P. de Granyana Castellano Empostæ, & Iacobo de Timor tenente locum magistri domus militiæ templi, consideratione habita diligenter.

Bb 2 Ego

Ego Benedictus diuina prouidentia Tarragonensis Archiepiscopus
hoc firmo.
Ego Arnaldus Cæsaraugustañ. Episcopus subscribo.
Ego frater B. Gerundenis Episcopus subscribo.
Ego magister V. Oscensis Episcopus subscribo.
Ego frater G. Ilerdensis Episcopus subscribo.
Ego P. Petrus Prior Osceñ. procurator Capituli subscribo.
Ego B. Anaiarius Ilerdensis Archid. procurator Capituli subscribo.
Ego P. Guil. Tiraſon. Canonicus procurator vna cum sacrista Tiraſoneñ. Episcopi, & Capituli Tiraſoneñ. subscribimus.
Ego Berengarius de Spiellis Præcentor Barcinonensis, & procurator
Episcopi & capituli eiusdem firmo.
Ego Petrus Marsagallus scriptor dicti domini Archiepiscopi, hoc scri-
psi mandato omnium prædictorum, die & anno præfixis.

ANNO Domini. M. CCL VI. Decimo septimo Cal. Junii,
Nos Benedictus Dei gratia Tarragonensis Archiepiscopus, in
ciuitate Tarragonensi sacro sanctum concilium celebrantes,
præsentibus venerabilibus fratribus B. Vicensi, A. Barcinoñ.
V. Oscensi, & P. Gerundeni Episcopi, & Episcoporum, & Capitulorum
Tiraſonensis, & Cæsaraugustañ. ac Capitulorum Pampilonen. Oscensis,
Ilerdensis, Barcinoñ. Gerundenis, & Calagurritaneñ. ecclesiarum pro-
curatoribus, & Abbatibus de Bello Podio, & de Cardona, & Præposito
Celsonensis, & procuratore Abbatis Iraxen. & discretis viris fratre
Geraldo amico hospitalis Hierosolymitanen. & fratre Hugone de Sohi mi-
litia templi magistris, considerantes quod constitutiones de nouo editæ
periculum animarum plerumq; inducunt, dum à subditis non seruantur,
de nouo constitutiones aliquas edere noluimus, sed firmiter, ac distriictè
mandamus, quod constitutiones, quæ per dominū Papam Innocentium
tertium, & quartum, & per dominum Ioannem Sabineñ. Episcopum in
Hispaniæ partibus olim legationis officio fungentem, & per prædeces-
sores nostros in cōciliis prouincialibus editæ sunt, quas in præsenti con-
cilio confirmamus, & approbamus, ab omnibus nostræ prouinciæ inuio-
labiliter obseruentur, & infrā.

Ego Benedictus Dei gratia Tarracoñ. Archiepiscopus hoc firmo.
Signum B. Dei gratia Vicensis Episcopi.
Ego V. Oscensis Episcopus subscribo, & hoc signum facio.
Ego P. Dei gratia Gerundenis Episcopus subscribo.
Signum fratris Ioannis Abbatis Belli Podii.
Ego R. Cardonensis Abbas.
Ego B. Celsonensis Præpositus subscribo.
Ego Petrus Guilelmus procurator Cæsaraugustañ. et Tiraſonensis

Episc

Episcoporum, & Capituli Tiraſonensis hoc firmo.
Ego E. Lopus de Luna Archidiaconus Vallis Oſſelle, procurator Prio-
ris, & Capituli Pampilonensis pro me, & comprocuratore meo G.
Lupo de Lombieri subscribo.
Ego Petrus Marsagallus notarius domini Archiepiscopi supradicti
hoc scripsi mandato omnium prædictorum, die & anno præfixis.



NNO Domini. M. CCL XVI. Cal. Septembris, domi-
nus Benedictus Dei gratia Tarragonensis Episcopus de Ro-
mana curia rediens, in ciuitate Gerundeni, vbi dominus
Rex Aragonum erat personaliter constitutus, contuocauit
concilium prouinciale scribens omnibus Suffraganeis suis
propter hoc suas literas sub hac forma, Benedictus miseratione diuina
Tarragonensis Archiepiscopus venerabili, & charissimo in Christo fra-
tri A. Cæsaraugustañ. Episcopo salutem, & synceram in Domino cha-
ritatem. Dei virtus, & Dei sapientia Dominus I E S V S C H R I S T V S,
cuius ineffabili subiecta sunt omnia maiestati, à fundationis initio splen-
dore virtutum suam illustravit ecclesiam, & insignem reddidit singula-
ris priuilegio potestatis: vt per eius ministerium, suum iustitia confequa-
tur effectum: & sedato querelarum turbine, mundo possit tranquillitas
peruenire. Huius autem præminentia dignitatis, dum nos, qui regimini
Tarracoñ. ecclesia, licet immeriti, diuina potentia præsidemus, reuersi
de Romana curia reuerenter attendimus, reddimus corde solliciti, quod
tempestatis onus, quo Tarragonensis ecclesia, & prouincia conturba-
tur, & libertas ecclesiastica læditur, & religio Christiana concutitur, per
nostræ, ac vestræ, & aliorum Prælatorum prouisionis auxilium cœlesti
pietate propitia propulsetur. Hinc est quod nos, vt rectum ecclesia, &
prouincia per fidelium salubre consilium, & auxilium fructuosum status
debiti possint habere decorem, ecclesiarum Prælatos, & Capitula nostræ
prouinciæ apud Tarragonem pro celebrando ibidem concilio duximus
aduocandos. Rogamus itaq; fraternitatem vestræ, & hortamur attente,
præsentium vobis tenore præcipiendo mandantes, quatenus die sancti
Lucæ Euangelistæ proxime ventura, quam pro dicto celebrando concil-
lio assignauimus, Tarracone personaliter interelle omni prorsus occa-
sione postposita procuretis: vt nos, qui absentes diutiis ab ecclesia, &
prouincia nostra vos desideramus videre plurimū, & ecclesia Tarraco-
nensis mater vestra ex vestræ visitationis honore spirituale gaudium, &
ex vestra industria percipiamus consilium profuturum. Cæterum volu-
mus, & mandamus Abbatibus, & Prioribus Monasteriorum vestræ dic-
cessis, quod eodem termino Tarracone intersint pro dicto celebrando
cōcilio & Capitulo vestro, et quod mittat procuratores suos proutios, &
fideles, qui vice ipsorum vtile nobis consilium largiantur, auctoritate no-

B b 3 stra,

198 De processiis, & conclusionib.

stra, & vestra præcipere studeatis. Datum Gerundæ tertio Nonas Septembris, anno Domini. M. CCL XVI.

Sub eadem forma scripsit P. Gerundensi, R. Vicensi, A. Barcinoneñ.

G. Ilerdensi, V. Oscensi, V. Calagurritanensi, A. Tirasonensi, P. Pampiloñ. A. Valentineñ. B. Dertusensi, & A. Vrgellensi. Episcopis.

Item fuit scriptum per literas, & sub alia forma fratri Guidoni de la Guespa Castellano Empostæ, & fratri P. de Queralto tenenti locum magistri domus militiæ templi in Aragonia, & Cathalonia.

ANNO Domini. M. LXVI. Duodecimo Calend. Nouemb. Cum nos Benedictus miseratione diuina Tarraconensis Archiepiscopus essemus in ciuitate Tarraconensi personaliter constituti, præsentibus venerabilibus fratribus A. Cæsaraugustanensi, A. Valentineñ, A. Barcinonensi, P. Gerundensi, B. Dertusensi, G. Ilerdensi, F. Tirasonensi, & R. Vicensi Episcopis: aliorum etiam Suffraganeorum nostrorum, & Capitulorum ecclesiastarum cathedralium & aliorum Prælatorum Tarraconensis prouinciæ procuratoribus, ac venerabilibus, & discretis viris fratre Guidone dela Guespa Castellano Empostæ, & fratre P. de Queralto tenente locum magistri domus militiæ templi in Aragonia, & Cathalonia præsentibus, ad honorem sanctæ, & indiuiduæ trinitatis patris, & filii, & Spiritus sancti, sacro sanctum concilium celebrantes super tuitione, & conseruatione ecclesiasticae libertatis, & corrigendis clericorū excessibus, & moribus in melius reformati: ac super salubri, & tranquillo statu totius prouinciæ Tarraconensis, cum prædictis tractauimus diligenter, & de assensu prædictorum &c, & infrà.

ANNO Domini. M. CCLXXIII. Nono Cal. Februarii. Cum nos Bernardus diuina miseratione Tarraconeñ. Archiepiscopus essemus in ciuitate Tarraconensi personaliter constituti, præsentibus venerabilibus fratribus A. Barcinonensi, G. Ilerdensi, F. Tirasonensi, R. Vicensi, A. Dertusensi, Iacobo Oscensi, Episcopis, & aliis Suffraganeis nostris, S. V. Calagurritanensi, A. Pampilonensi, P. Cæsaraugustanensi, A. Valentineñ, P. Gerundensi, & P. Vrgellensi absentibus, & se per procuratores, & literas excusantibus: & Capitulorum ecclesiastarum cathedralium, & aliorum Prælatorum Tarracoñ. prouinciæ procuratoribus: ac venerabilibus, & discretis fratre A. de Castro nouo magistro militiæ templi in partibus Aragoniæ, & Cathaloniæ, & fratre Berengario de Almenaria, tenente locum magistri ultramarini sancti Ioannis Hierosolymitani, & Castellaniæ Empostæ similiter præsentibus, ad honorem indiuiduæ sanctæ trinitatis patris, & filii, & Spiritus sancti sacro sanctum concilium celebrantes, de assensu omnium prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes cōstitutiones factas per prædecessores nostros, & per nos ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiastarum, clericorum, & religiosarum personarum, monasteriorum, & hominū, ac rerum omnium prædictorum, QVIA VERO EX PLVRIBVS, & infrà, &c.

ac firmis conciliorum. 199

mus omnes cōstitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiastarum, clericorum, religiosarum, monasteriorum, & rerum omnium prædictorum, sacroq; approbante concilio statuimus, & infrà.

Ego Bernardus Dominicus notarius domini Archiepiscopi, hoc scripsi mandato omnium prædictorum, loco, die & anno prænotatis.



ANNO Domini. M. CCLXXVII. Quinto Nonas Maii. Cum nos Bernardus diuina miseratione Tarraconensis Archiepiscopus essemus in ciuitate Tarraconensi personaliter constituti, præsentibus Capitulo nostro Tarracoñ. ac venerabilibus fratribus A. Barcinonensi, P. Gerundensi, G. Ilerdensi, R. Vicensi, F. Tirasonensi, Ioanne Oscensi Episcopis, ac Iacobo Petro de Bonatago Valentinenñ electo, aliis Episcopis Suffraganeis nostris. s. A. Pampilonensi, P. Vrgellensi, P. Cæsaraugustanensi, A. Dertusensi, & G. Calagurritano Episcopis absentibus, & se per procuratores, & literas excusantibus: et Capitulorum ecclesiastarum cathedralium, & aliorum Prælatorum Tarracoñ. prouinciæ procuratoribus, ac venerabilibus, & discretis fratre R. de Ripellis Castellano Empostæ, fratre Dalmatio de Serone, venerabili, & fratre G. de Abellars, de Barberano præceptoribus, procuratoribus fratris Simonis de Turre generalis domorum militiæ templi in Hispania visitatoris similiter præsentibus, ad honorem sanctæ indiuiduæ trinitatis patris, & filii, & Spiritus sancti sacro sanctum concilium celebrantes, de assensu omniū prædictorum laudamus, concedimus, approbamus, & per omnia confirmamus omnes cōstitutiones factas per prædecessores nostros, & per nos ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiastarum, clericorum, & religiosarum personarum, monasteriorum, & hominū, ac rerum omnium prædictorum, QVIA VERO EX PLVRIBVS, & infrà, &c.

ANNO Domini. M. CCLXXXII. Undecimo Calend. Aprilis, Quoniam exempla præterita cauere nos admonent in futurum: iccirco nos Bernardus diuina permissione Tarraconensis Archiepiscopus assentibus nobis venerabilibus fratribus A. Barcinoñ, R. Vicensi, P. Vrgelleñ. Iacobo Oscen. Iac. Petro Valentiñ. Garcia Tirasonensi, B. Gerundeñ. Guilielmo Ilerdeñ. Episcopis, ac procuratoribus aliorum Episcoporū absentium, necnon & Capitulorum cathedralium ecclesiastarum, & collegiarum, & quamplurimis aliis præsentibus sacro sancto Tarracoñ. approbante concilio statuimus, & infrà.

ANNO Dñi. M. CCXCI. Die Sabbati quæ fuit Idus Martii. Nos Rodericus permissione diuina sanctæ Tarraconensis ecclesiastæ Archiepiscopus in ciuitate Tarracoñ. personaliter constituti de mandato speciali literis nobis facto, & auctoritate Sanctissimi Patris & Dom

& domini, meritisq; beati domini Nicolai diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summi Pontificis, assistentibus nobis venerabilibus fratribus R. Vicensi, P. Vrgellensi, A. Dertusensi, fratre B. Barcinonensi, Hugone Cæsaraugustanensi, fratre Adamario Oscensi, & Geraldo Ilerdensi Episcopis: absentibus Michaële Pampilonensi, Almorrano Calagurritanensi, & Calciatensi, P. Tirasonensi, R. Valentinensi, & B. Gerundensi, se per procuratores literatorie excusantibus: necnon & nobili, ac religioso viro fratre B. de Cardona, domorum militiae templi in partibus Aragonum, & Cathaloniæ magistro, & procuratore Magistri sancti Ioannis Hierosolymitani, procuratoribus Capitulorū, ecclesiarum cathedralium, ac collegiarum, monasteriorum, aliorumq; Prælatorum Tarraconen. prouinciæ præsentialiter constitutis: præsentibus etiam discretis, & religiosis viris Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Archidiaconis, & Decanis: necnon & pluribus aliis ecclesiarū Prælatis præfatæ prouinciæ tam exemptis, quam non exemptis ad hoc specialiter euocatis, ad honorem sanctæ, & indiuiduæ trinitatis patris, & filii, & spiritus sancti, apud ciuitatem, & ecclesiam Tarracoñ. sponsam nostram cui, licet immeriti, diuina clementia pastoralis officii debitè præsidemus, sanctum prouinciale concilium celebrantes præfato sacro concilio approbante, prædecessorum nostrorum vestigiis inharentes laudamus, concedimus, approbamus & irrefragabiliter per omnia confirmamus constitutiones factas per prædecessores nostros ad utilitatem, libertatem, & defensionem ecclesiarum, clericorum, & religiosarum personarū, monasteriorum, hominum, rerum, ac bonorum omnium prædictorū, ET QVONIAM PIVM E S S E &c, & infra.



N N O Domini. M. C C X C I I I . die Mercurii, quæ fuit tertio Idus Augusti, Nos Rodericus permissione diuina sanctæ Tarraconen. ecclesiæ Archiepiscopus in ciuitate Ilerden. personaliter constituti, assistentibus nobis venerabilibus fratribus B. Barcinonensi, P. Tirasonensi, Hugone Cæsaraugustanensi, fratre Adamario Oscensi, Geraldo Ilerdensi, et Benedicto Gerundensi Episcopis: necnon & Galcerando de Vegis Archidiacono ecclesiæ Vrgellensis, ac gerenti vices Capituli eiusdem ecclesiæ sede vacante, & magistro Berengario Archidiacono ecclesiæ Valentinæ, gerentiq; vices venerabilis fratris nostri R. Episcopi eiusdem ecclesiæ Valentinensis, absentibus M. Pampilonensi, Almorrano Calagurritano & Calciatensi, se per procuratores, & literatorie excusantibus: procuratoribus Capitulorū, ecclesiarum cathedralium, ac collegiarum, monasteriorum, & aliorum Prælatorum Tarraconensis prouinciæ præsentialiter constitutis: præsentibus etiam discretis, ac religiosis viris Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Archidiaconis, & Decanis: necnon & pluribus aliis ecclesiarum

Prælat

Prælatis præfatæ prouinciæ, ad honorem sanctæ & indiuiduæ trinitatis patris, & filii, & Spiritus sancti, apud ciuitatem Ilerdensem prædictum sanctum prouinciale concilium celebrantes, præfato sacro concilio approbante constitutiones edidimus, quarum series sic se habet, &c.

Ego Martinus Petrus procurator domini Calagurritaneñ. & Calciantensis Episcopi subscribo.

Ego M. de Sclaua Thesaurarius Pampilonensis, procurator R. domini Pampilonensis Episcopi subscribo.

Ego Galcerandus de Vegis Archidiaconus Vrgellensis, procurator Episcopi Vrgellensis subscribo.

A N N O Domini. M. C C C X X I X . Quarto Calend. Martii, Ioannes Patriarcha Alexadrinus, ac administrator ecclesiæ Tarraconensis in spiritualibus & temporalibus à sede apostolica deputatus in primo concilio Tarraconensi.

P R O O E M I V M .

A D officium pertinet præsidentis constitutiones à se, vel à prædecessoribus suis editas, quas obesse conspicit potius quam prodeesse, refecare simpliciter, vel in melius reformare, & subditos suos certos reddere quas habeant obseruare. Recognitis igitur diligenter constitutionibus prædecessorum nostrorum Archiepiscoporū sanctæ ecclesiæ Tarraconensis, editis in diuersis prouincialibus conciliis, per eos diuersis temporalibus celebratis, ac quibusdam ex ipsis tanquam periculosis, quibusdam vero tanquam superfluis refecatis, illas quas utiles seu necessarias inuenimus, simul cum quibusdam, quas de nouo edidimus, sacro cōcilio approbante in præsens volumen prouidimus redigendas: decernentes easdem, & non alias haberi pro constitutionibus conciliorū prouincialium prouinciæ Tarraconensis, ac mandantes easdem inuolabiliter obseruari.

P R A E S T E S autem constitutiones à prædecessoribus nostris bonæ memoriae editæ, vt superius continentur, in præsens volumen redactæ fuerūt, & illæ, quas nos de nouo edidimus, publicatæ sacro concilio approbante, in Capitulo ecclesiæ Tarracoñ. præsentibus, & assistentibus venerabilibus fratribus nostris Raymundo Valentineni, Berengario Dertusensi, Arnaldo Vrgellensi, Arnaldo Ilerdensi, & Galcerando Vicensi Episcopis Suffraganeis nostris, & venerabilibus, ac religiosis fratre Sancio de Aragonia, gerente vices magistri hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani in Castellania Empostæ, fratre Pontio Populeto, fratre Ioanne Vallis Dignæ, & Galcerando Vallis dignæ, Geraldo de bello Pudio, & fratre Raymundo sancti Felicis Guixelleñ. Abbatibus: ac aliorum Suffraganeorum nostrorum, videlicet Pontii Barcinonensis, & Gastonis Gerundensis Episcoporum: necnon ecclesiarum cathedralium, & colle-

C c giatar

giatarum prouinciae Tarracoñ procuratoribus, & quamplurimis aliis die Lunæ intitulata quarto Calendas Martii, anno Domini M. CCC. XXIX: præsentibus testibus Bernardo de Vlzinellis legū doctore, Raymundo Ianuario præceptore Valentiæ, Guilelmo de Oculo Molendinorum, & Laurentio Martino Canonico Ilerdeñ. Francisco de Oliueriis de Castilione, & Petro Marça de Gandesia ecclesiarum rectoribus Dertusensis, & Berengario Ferrarii de Arcubus Tarraconensis dioecesis.

Nos Ioannes Patriarcha Alexadrinus, & administrator ecclesiæ Tarraconensis subscrimus, & sigillum nostrum appendi fecimus.

Ego Raymundus Valentiæ Episcopus subscrivo.

Ego Berengarius Dertusensis Episcopus subscrivo.

Ego Gasto Gerundensis Episcopus subscrivo.

Ego Arnaldus Vrgellensis Episcopus subscrivo.

Ego Arnaldus Ilerdensis Episcopus subscrivo.

Signum Raymundi Ferrarrii notarii publici, & iurati Reuerendi in Christo patris, & domini Raymundi diuina prouidentia Valentini Episcopi: qui prædictis correctioni, additioni, examinationi, & publicationi constitutionū prædictarum tam antiquarum, quam nuuarum præsens fui, & de mādato Reuerendissimi domini Patriarchæ prædicti subscrīpsi, die 8 anno præfixis.

Signum mei Petri Toſt Reuerendissimi patris, & D.D. Patriarchæ, & administratoris præfati notarii publici, & iurati: qui correctioni, additioni, examinationi, & publicationi, ac subscriptionibus prædictarum prouincialium constitutionū in præsenti volumine contentarum, redactarum, ac omnibus & singulis supradictis vna cum dictis testibus, vt prædicitur, præsens fui: & de mandato ipsius domini Patriarchæ & sacri concilii ipsas constitutiones, quæ in sexdecim chartis huius voluminis continentur ex vtraq; parte scriptis, quarum quælibet est solito signo meo signata sub hac forma publica, propria manu scripsi, cum literis tamen rasis, & emendatis, &c.

NO S. Dalmatius miseratione diuina sanctæ Tarraconensis ecclesiæ Archiepiscopus considerantes quod in ineffabilis diuinæ potentia celsitudo, cuius viæ sunt inuestigabiles, cuiusque sapientia magnitudinem humani non capiunt intellectus, ad regimen sanctæ Tarraconeñ. ecclesiæ suæ miserationis arbitrio nos erexit, tanto arctius ad suscep̄ta sollicitudinis executionē nos astringens, quanto nos altius supra modum suæ gratiæ largitate discretis gradibus sublimauit, n corde nostro continua pulsamur instantia, vt dictæ sollicitudinis debitum, ad quod nos obligat necessitas, prout nobis ex alto conceditur, exsoluamus: & ad bonum statum, utilem, & salubrem dictæ Tarraconensi ecclesiæ sponsæ nostræ, aliis quoque ecclesiis nostræ prouinciaæ diuina

diuina fauente clementia, inter alias sollicitudinū curas, quibus animus noster fluctuantis pelagi more cotinuè fatigatur, efficaciter intendimus: cleri, & populi dispendiis & profectibus, altissimo cooperante, salubriter occurrentes. Hac itaque consideratione, & iuxta patrum statuta sanctorum, & etiam pro necessitate urgente, statum ecclesiæ & eius libertatem, atq; clerum nostræ prouinciae multifariè concernente, prouinciale concilium duximus in dicta nostra ecclesia celebrandum: in quo, septiformi gratia inuocata, statu discusso prouinciaæ, & ad Dei laudem, prout negotiorum qualitas exigit, & Dominus duxit inspirandum, propenso iudicio reformato, nonnullas sacri approbatione concilii constitutiones edidimus: quas volumus aliis constitutionibus prouincialibus prædecessorum nostrorum adiungi, quarum tenores sequuntur.

PRO OEMIUM DOMINI PETRI DE LVNA
Cardinalis sedis apostolicæ Legati, super constitutionibus prouincialibus per eum editis, anno
Domini. M. CCCII.

PE T R V S miseratione diuina sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconus Cardinalis, apostolicæ sedis Legatus, venerabili in Christo patri Archiepiscopo Tarraconeñ. & dilecto in Christo eius Vicario in spiritualibus generali, ac officiali Tarraconensi salutem in Domino. Cum vniuerso Hispaniarum clero, ac populo, quorum ex iniuncto nobis legationis officio curam gerimus, in eo maximè obligemur, vt nostræ sollicitudinis studio mores eorum dirigantur salubriter, & actus deuii in melius reformatur, iccirco ad hoc nostræ considerationis intuitum cōuertentes, infrascriptas constitutiones, quas & Dei seruitio cōgruas, & proficuas credimus animabus in regnis, & terris ditioni serenissimorū principum Regum Aragoniæ, & Nauaræ subiectis, in illis videlicet ad quæ, & ad quas legationis nostræ auctoritas se extendit, duximus promulgandas: quas die datarū præsentium in ecclesia cathedrali Gerundensi in præsencia nonnullorum Episcoporum, & aliarum notabilium personarū fecimus publicari, prout earum similes aliâs promulgauimus, & publicauimus in Castella. Et quâuis omnes prædictæ constitutiones pro subditorum salute essent proculdubio statim executioni mādandæ, ex certis causis rationabilibus animum nostrum ad hoc mouentibus, ipsarum effectum usque ad concilium prouinciale per vos patrem Archiepiscopum, cum Suffraganeis vestris primo celebrandum, & per duos menses post ipsius celebrationem immediate sequentes duximus suspendendum: vna de ipsis duntaxat excepta, quæ est contra clericos publicè concubinarios promulgata: super quorum correctione, cum iura communia, & aliorum Legatorum apostolicæ sedis in eisdem partibus deputatorum constitutiones editæ iam pro-

C C 2 cedant

204 De procœmiis, & conclusionib.

cedant, & ex eis effectus correctionis debitus non fuerit haec tenus subsequetus, dignum reputamus ut præfata nostra constitutio, per quam etiam aliarum, ut præmittitur antea editarum rigor in quibusdam detrahitur, statim contra obstinatos in prælibato crimine debitæ executioni maledetur, ne occasione dilationis cuiusque videantur ulterius in iam damnatae huius turpitudinis sordibus celari: iccirco ipsa intra duos menses, post receptionem præsentium immediate sequentiū, per vos in synodo quam propterea congregare iubemus, vel saltem in ecclesia cathedrali Tarragonensi publicari volumus, & mandamus, & deinde post alios duos menses à tempore publicationis huiusmodi facienda numerados, vos & omnes personas ecclesiasticas, ac seculares: & religiosas ciuitatis, & dioecesis Tarracōn. prout de vobis, & ipsis in eadem constitutione tenetur, auctoritate, qua fungimur, ligare decernimus per præsentes. Tenor vero earundem nostrarum constitutionum sequitur sub hac forma, IN I V N C T I : & quæ sequuntur, &c. Datū Gerundæ octauo Cal.

Nouembris Pontificatus Domini nostri Clementis Papæ VI I. anno Duodecimo: fuit hic
circa annum. M.

CCCII.

**

FINIS.

Reliquæ constitut. prouin.

205

DVM PROVINCIALIVM CONSTITUTIONVM VOLVMEN EXCVDERE TVR, MISSAE SVNT SEQVENTES CONSTITUTIONES, ET SANCII CONSTITUTIO, VT ETIAM exuderetur. Sunt enim fructuofissime, & ad tollendos huius temporis abusus aptissime: quibus facit Tarragonensis concilij, sicut superioribus, accepit auctoritas.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

LIB. I.

HIERONYMVS CARDINALIS, ET ARCHIepiscopus Tarragonensis in concilio prouinciali Tarracone celebrato, anno Domini. M. D. L VI.

Quinto Id. Februarii.

Clericos peregrinos ad publica sacerdotalia munera non admittendos nisi & ordinum, ad quos promoti fuerint, & famæ vitæq; literas superioris sui testes exhibuerint: ad priuata posse, literis suorum ordinariorū exhibitis. Familiares magnatum auctoritate eorum munitos, non impediendos quo minus missas celebrent.

 LERICI alienæ dicecessis, et præsertim alienæ nationis nō sunt recipiendi, nec admittendi ad missarum solennia publicè celebranda: nec ad curæ animarū regimen, vel aliquod sacerdotale officium sine literis suorum ordinum, & etiam literis testimonialibus sui prælati perhibentibus testimonium vite, famæ, & conuersationis honestæ. Et si fieri possit, testes adhibendi, qui de notione hominis, & qualitatibus prædictis testimonium perhibeat veritati. Ad missas vero priuatas & secretas cum solitis literis suorum ordinariorū admitti poterunt, prævio in omnibus legitimo examine. Familiares vero magnatum, cum eorum auctoritate muniantur, non impedianter missas celebrare.

DE INSTITUTIONIBVS.

LIB. II.

IDEM HIERONYMVS IN EODEM concilio. M. D. L VI.

Legenda beneficiorum onera, quibus ea fuerint conferenda. Præsentandi facultatem habentibus, instituendi ac conferendi obseruandæ fundationes, & eorum, quibus beneficia conferre voluerint, perspicienda qualitates.

 VIA valde periculosa est tam conferentibus beneficia, quam ipsa acceptantibus iuramentum de adimplendis oneribus beneficiatis iniunctis præstare, vel recipere: si talia onera non manifestentur, ut sciatur, si talia sint, quæ adimpleri possunt per beneficiandum: & si non possint adimpleri, collationes & institutiones denegentur, prouidemus quod ante collationem, & seu institutionem faciendam, si id commode fieri possit, legatur onera iniuncta per fundatores, vel quæ à iure iniunguntur, explicetur ipsis beneficiadis ut ipsis visis & intellectis, sciant ad quæ tenetur, & ignorantiam prætere

Dd dere

dere non possint: ne sub generalitate de obseruandis & adimplēdis oneribus, ipsorum animæ illaqueantur. Et vt fundatorum beneficiorū voluntates adimpleantur, mandamus quibuscumq; facultatē præsentandi, conferendi seu instituendi habentibus, vt antequam ad prædicta, seu aliquod ipsorum deueniant, current fundationes, & institutiones beneficiorum videre: & qualitates præficiendorum aduertere.

D E C E N S I B V S. L I B. III.

S A N C I V S T A R R A C O N E N S I S A R C H I E P I-
scopus in tertio concilio per eum celebrato, anno
Domini. M. C C C. L I I I .

Quinto Id. Decembris.

Constitutio Domini Benedicti papæ duodecimi cuius initiu est, VAS ELE-
C T I O N I S, & nō Ioannis Alexandrini, cuius initiu est, P R A E L A T I S,
obseruari præcipitur ab Archidiaconis. Hæc constitutio non eit posita loco
suo, in titulo de Censibus, propterea quod hæsitatum eft à doctribus, an
extrauagans Benedicti duodecimi VAS ELECTIONIS, vñ recep-
ta fuerit: vt per Parisi. cōci. C. VIII. vol. vt tamen innotescat: hic inferta eit.

TE M quia in nostro sacro concilio prouinciali in dubium
vertebatur, an Archidiaconi nostræ prouinciæ, quibus com-
petit ex consuetudine, priuilegio, vel aliâs quomodolibet vi-
tare, seruare habeant constitutionem domini Papæ Bene-
dicti xii. Re. Me. quæ incipit, VAS ELECTIONIS, vel constitutio-
nem editam per dominum Ioannem Bonæ memoriæ Patriarcham Ale-
xandrinum & administratorem sanctæ Tarragonensis ecclesiæ, quæ inci-
pit, P R A E L A T I S: ideo de consilio & assensu dicti sacri concilii de-
clarando constituimus & ordinamus, quod præfati Archidiaconi con-
stitutionem prædicti domini Papæ Benedicti seruare teneantur. Quod
etsi & dicti Archidiaconi tres euectiones, vel minus ducerent, quinq; so-
lidos pro qualibet euectione tantum à volentibus pecuniā soluere: si
autem quatuor, vel ultra euectiones vsq; ad septem ducerent, viginti quin-
que pro omnibus septem, iuxta tenorem constitutionis dicti domini Be-
nedicti similiter à volentibus valeant recipere, & non ultra.

D E P O E N I S.

L I B. V.

H I E R O N Y M V S C A R D I N A L I S , A R C H I E P I-
scopus Tarragonensis, in concilio Tarracone celebrato.
anno Domini. M. D. L V I .

Quinto Idus. Februarii.

Vetantur Officiales graues & enormes noxas pecunia remittere, & cū iis, qui
eas admiserint, dispensare: præsertim si non fuerit parti læse fatisfactum, &
spiritualis pœnitentia peracta. Quod si leues noxae fuerint, aut eiusmodi, vt
nisi à iure non sit pœna cōstituta, pecuniariæ multæ locus relinquuntur: quin-
etiam vbi ad meliorem frugem redditum reum probabile est. Sin quæpiā

circun-

circumstantia peccatum grauius reddens in accusatione præterita fuerit,
pecunia reo restituta, iubetur iterū caufam dicere, Vbi vero quæpiam caufa
componere cum reis suaferit, cum iis componere Prælatis non licere, nisi
crimen liqueat. Sin inciderit tempus, vt cum reis componendum legitimis
de causis videatur, nec tamen elici crimen, nec probari posse, non habendi
pro confessis iis, quibuscum fuerit compositum. Multæ pecuniariæ in piis
vñs erogandæ.

ON S I D E R A N T E S laudabiliter prohibitum fuisse per
bonæ memoriæ Petri de Luna Officialibus clericos delatos
de maleficiis, propter quæ pœna capitalis effet infligenda, rela-
xare, aut abire permettere, vel in castigando, corrigendo, vel
puniendo remissos & negligentes existere, perniciosam, & mali exempli,
& nutritiua scandalis, & rumoris in populis fore in similibus dispensa-
tionem: præsertim si pecunia mediante ea fieri intelligatur, & in cæteris
delictis non passim, sed in omnibus regulâ tenendam, sacro igitur appro-
bante concilio prohibemus remissiones, & dispensationes pro similibus
delictis enormibus, præsertim parte non satisfacta, & spirituali pœnitē-
tia nō peracta, de pœna infligenda fieri: ne vbi exaggerada est, ibi fallaci
misericordia aboleatur. In leibus vero criminibus et extraordinariis, in
quibus pœna iudicis arbitrio infligenda est, & in quibus à iure determi-
nata non sit, multæ pecuniariæ locus sit. Si verisimiliter presumatur de
correctione, et emendatione delati, liceat Prælatis cum delatis sponte id
suppliciis, semotis dolis & fraudibus, et aliis incitatiuis, ad cōpositio-
nem venire, & dispensare. Verum si facta cōpositione cum delinquentे,
ex eo quod qualitas grauior in accusatione, seu inquisitione fuit forsan
omissa, si propter qualitatē debebat corporaliter puniri, possit iterū cō-
tra ipsum delatū inquiri, restituta quātitate percepta. Insuper cùm causa
mouerit ad compositionē deueniri, id attendatur, vt nō fiat, antequam de
crimine per testes, vel per confessionē apparuerit: ne forsan ij, qui inno-
centes fuerint, metu carceris se cōponere cogantur, vt tunc, qui se cōpo-
suerint cū Prælatis, pro confessis habeātur. Quando vero delati se cōpo-
suerint de crimen, super quo plene nō cōfiterit, nec cōfessi fuerint, sed
taliter quod quæstionibus, aut purgationi canonicae locus sit, & causa
mouerit ad compositionē voluntariā faciēdam, tam iudicē, quam ipsos
delatos, siue culpabiles fuerint, siue nō: ex tali cōpositione, & quantitatis
solutione pro confessis non habeantur. Idq; semper in animo & opere
geratur a Prælatis, vt peccator, de quo spes correctionis habetur, vitam
præteritam emendet et antequam cum eo dispensemur, aliquā spiritualē
pœnitentiam publicam, vel secretam, arbitrio dispensantium indicen-
dam, videlicet in casu, quando dispensatus vel compositus habetur pro
confesso, in loco designado peragat: & pecunias in piis operibus erogare
teneantur: vt potius salutem animarum subditorum, quam pecuniarum
incrementum querere videantur.

Dd 2 DE

DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBVS.

LIB. V.

IDEM HIERONYMVS IN EODEM.

Exigenda prætextu eleemosynarū per ecclesiās pecunie ad calices emendos, ornamenti aliaq; quibus ecclesiāe gent comparanda, facultatē Vicarii ventantur dare, nisi ijs in opia ecclesiarum constiterit: vt necessariō exigi eleemosynam oporteat, toto eo tempore, quo eiusmodi facultatem concesserint. Sin credibile fuerit vnius anni concessione nō satis subleuatū iri eccliam, priusquam denuo facultatem concedant, pecunie collecte superiore anno rationes iubentur exigere, & iure iurando eos astringere, qui sunt exacturi, in eum vsum confunditum iri pecuniā, in quem collecta fuit: salua sedis apostolicæ licentia & Diocesanī: quo casu in aliū vsum ei commutare licet. Iubetur præterea in concessionis literis nomen apponi quæstoris & agnomen, cæteraq; disertè explicari, quæ suprā fieri oportere hac in re præceptum est.



VONIAM indignum est in ecclia Dei quosdam sub pietatis & paupertatis clypeo ineibriari, & nimia satietate cibos fastidire, quosdā verò fame perire, & eleemosynarum largitionibus non posse subleuari, quod propter multitudinem quæstorum euenire compertum est, dum sub clypeo paupertatis subleuandæ annales querendi licentias à nostris Vicariis obtinuerunt, & subleuata paupertate ac ~~necessitate cessante~~, nihilominus subsequentibus annis similes licentias obtinent, & pecunias, quæ pro necessitatibus virginibus ecclesiarum & personarum eisdem inservientium à fidelibus zelo pietatis elargitæ sunt, epulis ac lautis cōuiuis, ac aliis in honestis vībus tā quærentiū, nuntiorum, quām personarum, à quibus missi sunt, expendunt, vel de ipsis thesaurizant, & nihil vtilitatis piis locis, pro quibus elargitæ sunt, obuenit, sed in alios vīsus etiam pios conuertunt, præter, seu contra largientiū intentionem: & cæteri miserabiles prædictis eleemosynis, quæ eisdē elargirētur, si prædictis quæstoriis nō fuissent elargitæ, verisimiliter defraudātur, & intēio largientiū ad effectū nō deducitur: matura deliberatione prohibemus licentias quærendi concedi pro piis operibus, calicibus, ornamētis, aut aliis necessitatibus ecclesiarum, capellarum, aut aliorum piorum locorum, nisi prius summarie cōstiterit nostris vicariis de necessitate, pro qua concedūtur: & quod necessitas tempore concessionis duret, & toto anno durare verisimiliter præsumatur, si per concessionem licentia nō subleuaretur: et quod ante concessionē detur fidèle computum de pecuniis ac eleemosynis quæstuatis, & habitis anno proxime effluxo: & reliquis datis administratoribus locorum, & quod iurent bene & legaliter se habere, dolo & fraude cessantibus, quod eleemosynas habendas expendēt pro dictis necessitatibus, & in prophano, aut pios vīsus, præter eos, pro quibus habitæ sunt, nō conuertent: salua sedis apostolicæ licentia, aut Diocesanī loci: in casu quo licentiam cōuertendi in aliū pium locum cōcedere potest. Ordinamus insuper ut

in præ-

209

in prædicta concesione narrentur nomen & agnomen quæstoris: & nō simpliciter dicatur, Lator præsentū, & qualiter computum veridicum reddidit coram loci Dicecesano, seu viçario ipsius, & iurauit firmiter tā dictus lator de bene & legaliter se habendo & reliqua soluendo administratori loci pii, quām dictus administrator de expendendo in necessitates, pro quibus concessa est licentia, pro vt per certificatorias factas per loci Dicecesanum apparuit.

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS.

LIB. V.

IDEM HIERONYMVS IN EODEM.

Non temere excommunicationis, atq; interdicti sententia proferenda: neq; infligenda in leuibus delictis, tamēsi interdum particularis irroganda excommunicationis, & particulare interdictū: vbi reus ex iure capi detinērue nō potest. Cæteris in criminibus carcere dignis, vt coerceri queant rei, cæfura proferenda: nec minū impigre tamen danda opera vt capiantur. Captis ad celebritatem diuinorum redeundum. Rei tamen non prius librandi, quām partī laicæ satisfecerint, & absolutionis beneficium fuerint adepti.



VM in ecclia Dei non sit maior poena excommunicationis sententia, caueant Ordinarii, & alii, quibus competit, ne illam passim proferant, nec sint proclives ad interdicti sententiam proferendam: cum per eam infontes, vt culpabiles puniantur, & maturius sit intendendum, vbi maius animarum imminet periculum. Et pro delictis leuibus, aut aliis, pro quibus ad capturam & capti detentionē procedi non potest secundum iura, nō est ad interdicti sententiam & cessationis generalis à diuinis procedēdum: ne tam gravis sententia pro leuibus delictis prolata, in dies vilescat: & ne quæ prodeſſe debent, noceant omnibus. In quibus tamen si videbitur, ad particularem delinquentis excommunicationem seu excommunicationis declaratiōnem, & vltimō ad interdictum particulare procedi possit. In aliis verò criminibus & carcere, & detentione dignis, si fieri possit, ad capturam & capti detentionem procedāt, ad censuram proferendam: & nihilominus quām primū poterunt, delinquentes capiant, & ab aliis Officialibus assidentiam petant. Quibus captis, pandantur ecclesiæ & cymbala & organa pulsantur, ac si capti absoluti forent: qui tamen non relaxentur, donec partilæſe satisficerint competenter, & absolutionis beneficium meruerint obtinere.

DE PROOEMIIS CONCLVSIONIBVS ET FIRMIS CONCILIORVM.

HIERONYMVS DE AVREA CARDINALIS

in concilio Tarracone celebrato. Anno Domini

M.D.LVII. Octauo Cal.Iunias.

Dd 3 Præc

Reliquæ constitutiones

Præcipitur Abbatibus, Prioribus, Parochiis, & Vicariis perpetuis, cæteris que, quibus cura animarum credita est, ut cum per commissarios faci prouincialis concilii moniti fuerint, singuli vnum volumen Constitutionum emanant iuxta aestimationem pretiæ a sacro concilio constituti: si secus fecerint, dupli pretiæ, & excommunicationis poena mulctatum iri: idque cum emerint, feruari ab illis in ecclesiis, vel earuſ sacrarisi oportere: eiulq; com- mutatio cum vlla alia re fieri prohibetur.

A C R A S haec tenus editas prouinciales constitutiones incuria quasi incognitas, & semisepultas, quas in vnum collectas, mendisque emundatas, ac typis fidelibus magno labore & expensis excudendas sacram prouinciale concilium curauit, ecclesiis, ecclesiasticisq; personis, eisque maxime, quibus animarum cura imminet, ad vitam morisq; populi instituendum apprimè necessarias, vt ab omnibus intelligantur, & in posterum obseruentur statuit, mandauit, & decreuit, vt omnes & singuli Abbates, Piores, Parochii vicariiq; perpetui, cæteriq; alii quibus cura imminet animarum, quoties monitio commissariorum per dictum sacram prouinciale concilium ad id deputandorum eis innotuerit, vnuſquisque eorum volumen accipiat, taxatumque pretium persoluat: poena excommunicationis, ac dupli taxati pretiæ constitutacibus imminente, irremissibiliter ab eis exigenda: necnō vt eundem in propriis ecclesiis, carumq; sacrariis, aut penes se, id in alios usus, seu aliarum personarum non commutando: vt ecclesiæ ornamen- tum perpetuo habeant, & teneant, mandauit & decreuit sub poena arbitrio Dioceſanorum, quorum conscientiam onerari voluit, cum in viſitatione extiterint: vel alias, de eorum constiterit contrafactione, seu negligentia puniendos.

Signum Domini Thomæ Costa Abbatis sancti Saturnini de tiuernolis, Dicecesis vrgellensis, Canonici & hospitalarii Dertusensis, vicarii generalis Illuſtrissimi & Reuerendissimi Tarraconensis Archiepiscopi, præsidentis in prouinciali concilio, qui hæc firmauit, & laudauit.

Signum Galcerādi Grauelosa, Canonici ecclesiæ Tarraconensis, procuratoris Reuerendissimi Barcinonensis Episcopi.

Signum Augustini Frexa, Comensalis ecclesiæ Tarraconensis, procuratoris Reuerendissimi Ilerdensis Episcopi.

Signum Bartholomæi Iaques, Canonici Tarraconensis, procuratoris Reuerendissimi Vicensis Episcopi.

Signum Bartholomæi Forama, Canonici Tarraconensis, procuratoris Reuerendissimi Vrgellensis Episcopi.

Signum Benedicti Barnabæ Munyoz, Canonici ecclesiæ Tarraco- nensis, syndici Reuerendi capituli Tarraconensis.

Signum Francisci Solsona Canonici ecclesiæ Barcinonensis, syndici Reuerendi Capituli Barcinonensis.

Signum

prouinciales

Signum Michaëlis Maull, Canonici Ilerdensis, syndici Reuerendi Capituli Ilerdensis.

Signum Petri Piquer, Canonici Vrgellensis, syndici Reuerendi Capituli Vrgellensis.

Signum Iacobi Ceruero, Canonici ecclesiæ Dertusensis, & Archidiaconi de Corbera, syndici Reuerendi Capituli Dertusensis.

Signum Ioannis Soler, Canonici Vicensis, & syndici Reuerendi Capituli Vicensis.

Signum Fratris Ioannis Ruiz, Monachi sanctorum crucum, Procuratoris Reuerendi Abbatis Monasterii sanctorum Crucum.

Signum Fratris Gabrielis Comes, Monachi monasterii Populeti Procuratoris Reuerendi Abbatis eiusdem monasterii.

Signum domini Frâcisci Zeuedo, monasterii scalæ Dei, procuratoris Reuerendi Prioris eiusdem monasterii, ordinis cartusiensis.

Ego Honofrius Montoliu notarius, & sacri prouincialis concilii

Scriba, mandato præfatorum dominorum Præſi-
dentis, & aliorum, scripsi, & de prædictis
fidem facio: die & anno


præfixis.

Christi

Christiano Lectori Salutem:

PA TR V M nostrorum seculo, Christiane lector, collectus est doctrinæ Christianæ epilogus, temporum illorum simplicitati accommodatior, quam eruditorum auribus aptior. In eo enim intueri licet non tam decidi de fide controvèrsias, quam placita recepta recenserri. Informari adeo magis postulabant simplices & pii animi, quam acutè subtiliterque doceri. Eius quidem rei extare speciem voluimus, quod nefas esse duximus quicquam ex hoc opere vetustatis aboleri: præsertim cum studium omne nostrum huc contulerimus, ut veteris memoria recordatio diligentia nostra à posterioritate recolatur. Et que lubentius eum superiorum temporum doctrinæ Christianæ epilogum constitutionibus prouincialibus adiungendum censuimus simplicibus hominibus docendis non ineptum. Sed ne quid desiderari posset à doctis, quos profundiora, & eruditiora delectant, eorum auribus alium edidimus, multiplice rerum sacrarum cognitione refertissimum. Quem quidem eo præposuimus, ut effet vestibulum honestius, quod meliora pollicetur. Quem qui paulo diligenter leget, habere se intelliget locupletissimum doctrinæ Christianæ promptuariū, vnde ad omnem siue doctorū, siue rudium institutionem penum copiosissimam queat depromere. His commodis sacri Tarraconensis conciliū solitudine partis ut fruare Christiane lector, valde optamus: quando nihil Deo Opt. Max. gratius, & nobis ac populo fructuosius esse potest, quam ut doctrinæ Christianæ vocibus personent aures Christianæ.

Vale.



CHRISTIANI HOMINIS PIA INSTITUTIO;

Præfatio.

VM tria illa sint, quæ ex Paulo instrumento Dei electo maxime: imò verò sola, iuxta Augusti num religione sunt sequenda, Fides, Spes Charitas: optimè & omni ex parte concinna Patres constitutione prouinciali Tarracoñ. videntur decreuisse, Sex ea fore, quæ in cōpendium Christianæ doctrinæ redigenda essent, ut bina singulis responderent: Fidei Credendum & Petendum, Rom. 10. c. Charitati Seruandum & Vitandum, Spei Op-randum & Timendum. Estq; hic ordo rebus ipsis satis accommodatus: cùm Fides bona ex parte sit præteriorum, instruens intellectum, Deum cognoscendo: Charitas præsentium, voluntatem accendens, cognitum amando: Spes verò futurorum, vtrumq; quoad hīc licet, perficiens, cognito & amato quadantenus fruendo. Quæ hominis est proprio fungētis munere beatitudo. Quod tunc demū commodè præstiterimus, si eru-ditii Christiana religione, quæ sola illuminat vera luce omnem hominem Ioan. i. d. veniente in hunc mundum, & diuina credentes, etiam humana peta-mus: & bona seruantes mala vitemus: & superna expectantes inferna timamus. Ut ita rectam tenentes viam à Fide auspicati, quæ per Dilectionem operatur, dum bene viuedo tendimus, quæ iam nunc per speculum Spei in enigmate videmus, ad eorum tandem veram Speciem perueniamus. Ut qui à Deo per superbiam veteris Adæ diuina beneficia spernentis in maximam ignorantiam miserè incidimus, ad Deum rursus per Rom. 5. b. Fidei humilitatem redeentes, per Charitatis ardorem appropinquemus: Matt. 6. d. eq; per Spei fiduciam inserti, per Speciei similitudinem vniamur æterna Rom. 8. c. hæreditate, quam tantopere petimus, potituri, filii Dei, cohæredes autem Ioan. i. b. IESV CHRITSI, credentes in nomine eius, aliás ab omni hæreditate casuri. Sine fide enim impossibile est placere Deo. Nam ipsa est funda-Hel. ii. a. mentum & radix, quæ cæteras portat, substantia rerum sperandarum, Ibidem. argumentum non apparentium. Vnde iure cautum est, nisi credideri- Ef. 6. a. mus in terris, non posse nos intelligere cœlestia. Sed ita in Deum creda- Ioan. 11. f. mus,

A R G V- mus, ut cognoscentes Deum Patrem, velut omnium creatorem: & quem
mentum et
summa sym-
boli aposto-
li.

ille misit IESVM CHRISTVM, ut generis humani redempto-
re: & ab utroque procedentem Spiritum sanctum, cuius ecclesiæ catho-
licæ sanctificatorem, in sanctorum communione, remissionem pecca-
torum adepti, tandem animo & corpore gloriæ vitam consequamur
æternam. Quæ summa est eorum, quæ Apostolorum symbolo, & mutua
omnium collatione, proposita sunt Christiano homini credenda,
duodecim articulis, quos hic obiter expositos subiicimus. Quibus crede-
re debemus pure, sincere, & extra omnem dubitationem. Dubius enim
in fide infidelis est.

SECTIO PRIMA, DE IIS, QVAE FIDE EX SYMBOLO APO- STOLICO sunt Credenda: & ex Oratione Dominica, Petenda.

I. ARTICVLVS,

CREDO IN DEVUM PATREM Omnipotentem, Creatorem cœli & terra.

CREDO.

Rom. 10. b.

Heb. 10. g.

Abac. 2. b.

Gal. 5. b.

Iac. 2. d.

Iac. 2. c.

Rom. 1. c.

Iac. 2. c.

Ioan. 4. d.

12. Iob. 9.

1. Cor. 2.

Rom. 1. c.

Deut. 6.

Exod. 3.

Gen. 1. a.

Zach. 7. l.

Hier. 23.

Ps. 144. a.

Exod. 33. d.

Mat. 19. b.

1. Ioan. 1. b.

Malach. 3.

Iac. 1. e.

Ps. 101. i. 6.

Exod. 33. d.

Ioan. 10. f.

Esa. 6. a.

1. Ioan. 5. b.

Matt. 7. l.

Ps. 2. b.

Prou. 8.

Sym. Ath.



RIMA Christiani hominis vox est, CREDO: ut inde os incipiat confiteri ad salutem, unde cor coepit viuere ad iustitiam. Iustus enim ex fide viuit, sed quæ per Dilectionem operetur. Nam Fides sine operibus mortua est. Quamobr̄ non dicit, Credo Deum, quod cognoscens est: nam Dæmones credunt, & contremiscunt, & Philosophi crediderunt, qui tamen evanuerunt in cogitationibus suis: sed dicit, Credo IN Deum, quod amantis est, & eius, qui ostendit se credendo, accedere ad Deū ex operibus, non quidē carnis, sed spiritus. DE VS enim spiritus est, sibi ex se vndiq; perspicuus: nobis ex rebus quadantenus manifestus. Qui solus Deus, & vere est: unde res omnis habet, quod est. Re ipsa simplex: nominibus multiplex. Extra omnia, sed non exclusus: intra omnia, sed non inclusus. Sine quantitate magnus, & ideo Maximus: sine qualitate bonus, & ideo Optimus. Apud quæ non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Cui neq; præterita transeunt, neq; futura accidunt. Qui secundum naturam indiscretus, sed secundum proprietates inconfusus: essentia est Vnus, personis autem Trinus: eoque non aliud, sed tamen alias. PATER ab æterno generans, Filius semper natus, Spiritus sanctus ab utroque, perpetuò procedens. Qualis Pater talis Filius, talis Spiritus sanctus: nisi vbi relationis oppositio personas discernit. Sunt tamen nihilominus, quædam quæ cū cuncta cunctis personis conueniant, singula tamen singulis peculiariter aptentur, vel eminentia propriæ rationis, vel remotione falsæ opinionis.

Sic

Sic Patri Potentia, Filio Sapientia, Spiritui sancto Bonitas, omnibus a- OMNIPO-
lioquin communis accommodatur. Quapropter credimus Patrem TENS.
Omnipotentem, cum & Filius sit omnipotens, & Spiritus sanctus omni- Sym. Ath. Gen. 17. 6.
potens, neque tres ideo omnipotentes, sed unus omnipotens: ut non tres
dii, sed unus est Deus. Attamen quia Pater prima est in Trinitatis myste- 10. 14. d.
rio persona, non ordine temporis, sed ratione originis, ut qui filium de se ipso genuerit, & simul cum filio Spiritu sanctum consubstantiale sp- Iohann. 15. c.
rarit: ob id Patri omnipotentia priuatim attribuitur & appropriatur, Et. 10. c.
vt principio totius Deitatis sine imbecilitate vetustatis. Ex quo fit vt re- CREA-
rum creatio, quæ totius Deitatis est opus (indivisa enim Trinitatis in LI ET
discreta sunt externa opera) ad Patrem, vt principium sine principio TERRÆ.
propter attributam omnipotentiam referatur. Ut apud quem non esse Iohann. 14. b.
impossibile omne verbum credimus, ab eo cœlum & terram, & omnia Gen. 1. d.
quæcumque voluit in iis visibilia & inuisibilia creata fateamur: cum in- Act. 17.
principio per Verbū, quod apud ipsum Deus erat dixit, & facta sunt, et Ps. 134. b.
Spiritū oris sui, qui repleuit orbem terrarum mandauit, & creata sunt. Ioan. 1. a.
Atq; ita ex Deo ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, non modo cūcta Ps. 52. b.
ab initio creata, & manu fortí sustentata, sed etiam singula inde vsq; cō- Sap. 3. b.
seruata, & perpetuo gubernata pro cuiusq; ingenio & natura. Qui enim Rom. ii. d.
à fine vsq; ad finem attingit fortiter, disponit omnia suauiter, dans om- Iohann. 5. c.
nibus escan in tempore opportuno. Sa. 6. 12. d.
Sap. 8. a.
Ps. 103. d.

Credendum itaque est ex. I. articul. Deum verum esse unum in essentia, trinum autem in personis: quarum Pater omnipotens simul cum Filio, & Spiritu sancto in temporis principio creauerit ex nihilo omnia, quæ in cœlo sunt, & quæ in terra: & eadem omnia conseruet, ac gubernet.

II. ARTICVLVS.

CREDO IN IESVM CHRISTVM, Filium eius unicum Dominum nostrum.

IC ille est auctor salutis, cui Deus nomen donauit, quod est IESVS. super omne nomen: ut in nomine IESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernum: & omnis lingua confiteatur, quod non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Non enim est in alio aliquo fa lus, quam in eo, qui antequam conciperetur in utero, vocatus est ab angelo IESVS: hoc est Saluator, eo quod saluum facturus esset populum suum à peccatis eorum: Ut qui parentis hominis ignorantia statim in temporis initio perditus, in peccatum, & miseriam inciderat, Filii Dei sapientia tandem in temporis plenitudine seruatus, in gratiam, & gloriam cooptaretur. Hic ille est MESSIAS à Prophetis olim promissus, à Iudeis CHRI- STVS. adeò expectatus, sacro Spiritu chrismate unctus ab æterno apud patrem Aft. 10. f.

Ee 2 in Deum,

Ps. 109. d. in Deum, in tempore ex matre in hominem: vt & Sacerdos esset secundū ordinē Melchisedech, & Rex in domo Iacob in æternū regnaturus. *Hic i. c.* ille est Filius, qui Deo patri semper genitus cōsubstantialis, eoq; impaſſibilis, æqualis, et coæternus: homini matri factus est cōgeneus, ob idq; paſſibilis, & mortal is. De Deo vero Deus verus æterna generatione, ex homi ne vero homo verus temporali natuitate. Non tamen aliud, sed idem filius, aliter natus, pro diuersitate aliud naturæ in vnitate eiusdē personæ: *Symb. H. ic.* vt quemadmodum anima rationalis & caro vnuſ est homo, ita deus & homo vnuſ sit Christus: ima summis in se connectens, vt idem Deus creator, & homo creature, omnium creatori reconciliaret omnes in se creatures, instaurans omnia sive quæ in cœlis, sive quæ in terris. Optimus mediator qui extrema per medium coniungens vtraque ficeret vnum. *VNICVS.* Hic ille est vnicus in diuinitate Filius, in humanitate Deus. Nam tametsi cum Verbū caro factum est, & Deus homo, Verbi incarnatio totius Trinitatis fuerit opus, carnis tamen assumptio solius Filii est: vt hoc nomine redemptio humani generis Trinitatis opus Filio potissimum aptetur, vt per quē Pater omnia benignitate diuina consummata creauerat, in eodē cuncta malignitate humana deprauata instauraret. Vnicus ergo ille est *DOMI-* natura filius Dei, vnicus idē ipse est redēptione Dominus noſter. Suos *NVS.* enim proprio iure reddidit, quos proprio ſanguine redemit. Redemit *r. Cor. 6. d.* quidem omnes quoad sufficiētiam pretii, sed non omnes liberavit quoad effectum redēptionis. Verè enim liberi nos sumus, quos Filius in feiplo per baptismum renatos à seruitute peccati, & diaboli tyrannide liberauit. Noster igitur à nobis humiliter dicatur Dominus, quorum ille vere *Matt. 20.* Trismegistus dici & fieri benigne voluit minister.

III. ARTICVLVS. QVI CONCEPTVS EST de Spiritu sancto: Natus ex Maria virgine.

Philip. 2. d. TAQVE ille in cœlis Dei Filius in forma Dei æqualis Patri, *Pſ. 10. 9. d.* ante luciferum sine matre genitus, post hęc hominis filius in *Barac. 3. d.* terris visus est in forma hominis congeneus matri post conceptionem sine patre natus. Cōcipitur de spiritu sancto sine *Luc. 1. c.* vlla carnis concupiscentia, nascitur ex Maria virgine sine vlla sexus frigilitate: vt qui in conceptione non habuit lasciuientem patrem, omnia *Luc. 1. c. d.* crimina ex purgaturus, in natuitate nō laderet humilem matrē, humilibus salutem & gratiam daturus. Concipitur nunciante Angelo, consentiente homine pacificaturus omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terris: superueniente spiritu sancto, & virtute altissimi obumbrante, vt in tam adorabili mysterio adeset altitudo Potentiae ingenitæ quod impossibile erat hominibus possibile faciens apud Deum: adeset virtus Sapientiae genitæ, quæ diuinitatem carni per animam rationalem velut extreum

tremum extremo per medium mirifice conneetens duas na- *Luc. 1. d.* turas in sua vnius persona inconfuse vniret: adeset bonitas Spiritus sancti, quæ tanto bono humanū genus ex immēsa charitatis benignitate do- *Cypr.* naret, vt qui homo idem esset & deus, nō prælationis dignitate, aut adoptionis gratia, sed personæ vnitate. In Christo enim iam inde à concepti- *1. Cor. 8. d.* onis instanti & omnis perfectio humanitatis, & omnis plenitudo di- *Colo. 2. 2.* uinitatis, corporaliter inhabitat. In quo munere cùm maxime emi- *DE SPI* *KITV* *SANCTO.* *Cori. 13. d.* neat diuinæ bonitatis charitas, quę Spiritui sancto accommodatur, ideo *Matt. 1. d.* quod omnibus personis alioquin commune erat, Spiritui sancto peculia riter attribuitur. Nascitur in seculo ex matre natuitate admirabili, na- *NATVS.* tus ante secula de patre generatione inenarrabili: vt enim ingenitus pa- *Luc. 2. d.* ter totā effentiam filio cōmunicans, sibi seruauit diuinitatem perfectū, *Eſa. 53. c.* ita etiam Maria mater totum hominem ex vtero pariens, sibi obtinuit *Luc. 2. b.* virginitatem illæsam. Quare tum angelus gloriam in excelsis Deo pronū- *EX MA-* *RIA VIR-* *GINE.* *Matt. 1. c.* ciant, & pacē in terris hominibus nunciāt. Manet igitur Maria post partum virgo, & semper virgo: tametsi à sacerdotibus tradita fuerat Ioseph in despositionem, vt à canibus sanctum absconderetur, à sponso virgi- *Luc. 1. c.* ginitas comprobaretur: & virginis tam parceretur verecundia, quam *Mat. 7. 4.* prouideretur famæ.

III. ARTICVLVS. P A S S V S S V B P O N T I O

Pilato, crucifixus, mortuus,
& sepultus est.

Symb. Nu. VI ex immensa charitate cū esset æternus, propter nos ho- *Ioan. 15. b.* mines & propter nostrā salutē cōcipi, et nasci dignatus est *Ioan. 10. d.* vt maiorem charitatem nemo habere crederetur cum esset *Rom. 5. b.* immortalis, animam suam quam nemo ab ipso inuito tollere *Rom. 5. b.* poterat, à se ipso ponere voluit, non modo pro amicis, sed etiam pro ini- *Rom. 5. a.* micis. Poterat ille quidem primi hominis debitum, quo vniuersa eius *Cor. 1. 5. f.* posteritas diabolo, peccato, & morti subiciebatur, abunde satis vel leui *Ephe. 1. b.* paſſione eluere: cuius quævis actio ex infinito subiecto infiniti esset me- *PASSVS.* riti. Sed vt quam grauis fuisset offensa hominis erga Deum doceret, gra- *Mat. 2. 9. d.* uissimo ēa supplicio voluit Deus homo redimere. Atq; ita vbi abundauit *1. Pter. 2. d.* veteris Adæ de terra terreni delictum, ibi superabundaret noui. Adæ de *Luc. 23. d.* cœlo cœlestis ſatisfactio ſecundum diuinitias gratiæ eius. P A S S V S itaq; *SVB PON-* *TIO PI-* *LATO.* est Christus Deus & homo, nullo æternæ diuinitatis damno, sed ſolius mortalis humanitatis incommodo: & ſecundum animam quæ tristis erat vſq; ad mortem, & ſecundum corpus variis, & exquisitis tormentorum generibus affectum: vt & totus homo pateretur, & Deus ipſe nihil omni- *Ee 3 dæx*

Luc. 23.c. dæx tūc pro Tyberio Cæfare Präsidì. Quo adiudicante fieri petitionem
Luc. 3.d. Iudæorū, C H R I S T V S crucifixus est, vt nos redimeret de maledictis,
Gal. 3.b. factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, Maledictus homo qui
Deut. 21.b. pendet in ligno. Sed tamen exaltatus à terra omnia traxit ad seipsum,
Ioan. 12.c. deuicto, & foras electo Princepe huius mūdi: vt qui per lignum vincebat,
MORTV. per lignum quoq; vinceretur. Atq; vt vnde mors oriebatur, inde vita re-
Ph. 2.b. surgeret, factus obediens Patri vsq; ad mortē, mortem autē crucis, peccata
i.Pet. 2.d. nostra pertulit in corpore suo super lignum: nobis relinquens exemplū,
Gal. 5.c. vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit: vt ipsi adhærentes
SEPVL. capiti, carnem nostram crucifigamus cum vitiis, & concupiscentiis mor-
TVS. tui peccatis. Iuxta hominem Mortuus de cruce deponitur, & in monu-
i.Pet. 2.d. mento nouo, innouaturus iam inde omnia, sepelitur secundum corpus
Ioan. 59.g. ab anima morte vera separatum. Quod quidem corpus nō minus, quam
2.Cor. 5. anima diuinitati etiā tūc erat vnitū, & velut balsamo, ne corrūperetur,
Ps. 15.c. conditum. Quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit. Quare & nos
Aet. 2.d. cum C H R I S T O per baptismum in mortē consepulti, hoc sciamus,
Rom. 6.a. quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus pecca-
*tū, vt vltra non seruamus peccato, nec regnet peccatum in nostro mor-
*tali corpore, vt obediamus concupiscentiis eius.**

V. ARTICVLVS DESCENDIT AD INFERO S:

Tertia die resurrexit à mortuis.

DESCEN-

DIT. V I moriendo mortem nostram destruxit, vt resurgendo
Aet. 2.d. vitam repararet, dum in sepulchro corpus quiescit, ad inferos
AD IN- secundum animam diuinitati coniunctam descēdit: & à lim-
FEROS. bo, inferni superiori parte sāctos patres exemit, quos pristina
Heb. 11.a. ipsorum fides in futurum Messiam per charitatem operata participes
Gal. 5.b. passionis fecerat, & amicos membraq; eius constituerat: non tamen in
Ioan. 14.a. regnum cœleste introducere poterat, donec ipsa via, quæ C H R I-
Genes. 3.d. S T V S est, munita & velut strata passione & morte eius foret: necnon
Col. 2.c. TERTIA etiam ianua cœli, quæ post ex ilium Adæ clausa semper fuerat, vulnere
DIE RE- lateris C H R I S T I aperta. Atq; ita expolians Principatus, & Poteſta-
SVRRE- tes, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetiſo. Nec de-
A MOR- reliquens animam suam in inferno, tertia die resurrexit a mortuis,
TVS.
Ps. 15. hoc maxime signo, quod ſolum Iudæis dedit, Gentibus etiam ſe Deū eſſe
Aet. 2.d. comprobans: dum propria virtute velut à ſomno, quo moriendo ſopara-
Luc. 11.b. tus fuerat, resurgens, quam ſponte poſuit de corpore animam, etiam cū
Rom. 1.a. voluit eam ipſam corpori coniunxit. Vt ita noſtra resurrecțio & ſecun-
Rē. 4.b. dum animam ex defenſu ad inferos, & ſecundum corpus ex reſurre-
Ioan. 10.b. ctione ad ſuperos in capite noſtro perfecta, & vita reparata, doceretur. Si
Cor. 13.c. enim mortui ſumus per pœnitentiam cum C H R I S T O, & per bap-
Cor. 13.b. tismum ſimul etiam consepulti, credimus quia ſimul etiam cum eo vi-
Rom. 6.d. uemus.

uemus. Nam si complantati ſumus ſimilitudini morti eius, ſimul & re-
furrectionis erimus, ſcientes quid C H R I S T V S refurgens à mortuis,
iam non moritur: mors illi vltra non dominatur. Vt quomodo C H R I-
S T V S surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ
ambulemus: existimantes nos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes
autem Deo in C H R I S T O I E S V, mortificatos quidem carne, vi-
uificatos autem spiritu. Non ergo exhibeamus membra noſtra arma ini-
quitatis peccato, ſed exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viuentes,
& membra noſtra arma iuſtitię, habituri fructum noſtrum in ſanctifica-
tionem, finem vero vitam æternam. Stipendia peccati, mors: Gratia au-
tem Dei, vita æterna in C H R I S T O I E S V Domino noſtro.

VI. ARTICVLVS. ASCENDIT AD COELOS, SEDET

ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

ON S V M M A T O redemptionis mysterio, post qua-
AG. 11. draginta dies à Resurrectione, infra quos ſeipſum ſuis viuum
præbuit in multis argumentis, apparens eis, loquēs de regno
Dei, Imperator, & Dominus nolter C H R I S T V S I E S V S *ASCEN-*
gloriosus & triumphator, relinquēs mundum, vadit iterum ad Patrem, *DIT AD*
a quo exierat assumptione carnis humanæ: apud quem ſemper manet *COELOS,*
vnitate nature Diuinæ, & captiuam ducens captiuitatē, ſua ipſius virtu- *lo. 7.c.*
te, obſequentiis angelis, ascēdit ad coelos Filius hominis, vnde descen- *Ioan. 8.c.*
dērat Filius Dei. Sedet ad dexterā Dei Patris Omnipotētis, nō corporali *Ioan. 6.c.*
poſitu cōiunctus ad latus illius, qui totus ſpiritus eſt, & totus vbiq; ſed *Eph. 4.b.*
ꝝqualitate honoris regni confors conſtitutus ſuper omnem Principatū, *ASCEN-*
& Potestatē, & Virtutē, & Dominationē, & omne quod nomina- *DIT AD*
tur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: habens illud ipſum cor- *TERAM*
pus in dextera Dei Patris ex immutatione resurrectionis ſpirituale, et im- *DEI PA-*
mortale: quod natūm fuerat ex vtero Virginis matris, ratione incarnati- *TRIS.*
onis animale & mortale. Habentes ergo Pontificem magnum, qui pene- *Hebr. i.a.*
trauit coelos, iter pandens ante nos, locum nobis parans teneamus ſpei *Ephe. 1. d.*
noſtræ confessionem. Nam & quanuis nemo ascēdat in coelum, niſi *3.Reg. 8.c.*
qui descēdit de coelo, Filius hominis, qui eſt in coelo: attamen certò ſpe- *Ephe. i.d.*
randum, vbi caput noſtrum eſt, ibi membra aliquando futura. Ipſe enim *Hebr. 4.d.*
caput eſt ſupra omnē ecclesiā, quæ eſt corpus illius, & plenitudo eius, qui *Mich. 2.d.*
omnia in omnibus adimplet, per omnia fratribus aſſimilatus: vt miseri- *Ioan. 14.a.*
cors foret, & fidelis Pōtīfex ad Deū, vt repropriaret delicta populi eius, *Ioan. 13. d.*
qui electus eſt, & ḡs ſancta. Qui ergo habet ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut *Ephe. 1. d.*
& ille ſanctus eſt. Omnis autem qui facit peccatum, iniquitatem facit, &
peccatum eſt iniquitas. Cū igitur in eo peccatum non ſit, omnis qui in eo
manet, non peccat, & omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognouit *1.Cor. 6.d.*
eum. Vt enim fornicator tollens membra C H R I S T I facit membra
mere-

Christiani hominis

meretricis, ita peccatum à CHRISTO nos disiungit:

VII. ARTICVLVS.

INDE VENTVRVS EST
iudicare viuos & mortuos.

Rom.14. b **Iob.36. c** **CHRISTVS** in hoc mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur. Cuius enim cū causa velut impii iudicata est, is iure suo causam iudiciumq; recipiet, in die illa tremenda, quando coeli mouendi sunt, & terra: cum iterum **Matt.25. e** veniet non vt in priori aduentu mansuetus, humilis cum paupertate, sed rigidus iudex, cum virtute multa, & gloria in reuelatione de cœlo **Act.10. g** **IVDICA-** cum angelis virtutis eius, in flamma ignis constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Ipse enim Dominus in voce Archangeli, in tuba **RE viuos** & mortuos **i.The.4. d** Dei descendet de cœlo: & nos qui viuimus, quiq; residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt: sed simul rapiemur **2.Cor.5. b** cum illis obuiam **CHRISTO** in aera. Oportet enim omnes manifester ante tribunal **CHRISTI**, vt referat vnuſquisq; propria corporis **Rom.14. d** **Gal.2. e** sui, prout gessit, siue bonum, siue malum (Deus enim personam non accipit) testimonium illis reddente conscientia ipsorum, ac inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam deffendentibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum. De qua quidem die et hora nemo scit, quā Deus Pater posuit in sua potestate: vt ideo vigilaremus, & semper oraremus, ne cùm veniet repente, inueniat nos dormientes. Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli eius cū eo, tū sedebit super sedem Maiestatis suę, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis, & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet **OPERA MISERICORDIE CORPOREALIA.** Rex iis, qui à dextris eius erunt, Venite benedicti patris mei, posidete patratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegisti me, Nudus, & cooperuisti me. Infirmitus & visitasti me. In carcere eram, & venisti ad me. Quandiu enim fecisti vni de his fratribus meis, mihi fecisti. Tūc, & rex iis, qui à sinistris erunt dicet, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sitiui, & non dedistis mihi potū. Hospes eram, & nō collegisti me. Nudus & non cooperuisti me. Infirmitus, & in carcere, & non visitasti me. Quandiu enim non fecisti vni de minoribus his, nec mihi fecisti. O quam terribilis hæc est iudicij expectatio, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Horrēdum est incidere in manus Dei viuentis, qui dixit: mihi vindicta, & ego retraham. Et non tardabit, adhuc enim modicum, aliquātulumq; qui venturus est, veniet: & accipiet absolute regnum, cuius non erit finis.

VIII. ARTICVLVS.

CREDO

Pia institutio.

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM.

V A M Patri & Filio debes fidem credendo in Deum, ean-
dem debes & Spiritui sancto credens in eum. Vt in quas per-
sonas credens in Deum, credis eas æquales, & vnum Deum, ac
Dominum esse confitearis, Patrem omnipotentem creantem **Philip.3. d**
cuncta, Filium sapientia instaurantem creata, & Spiritum sanctum cha-
ritate viuificantem instaurata. Nā si Spiritus dei habitat in nobis, vt qui-
dem corpus mortuum sit propter peccatum, Spiritus tamen viuit pro-
pter iustificationem. Quinimò viuificabit Deus, & mortalia corpora no-
stra, propter inhabitantem Spiritum eius in nobis. Qui à Patre Filioq; **sym. Nic.**
se inuicem infinito, & æterno amore diligentibus procedit pariter Deus, **Ioan.15. d.**
eoq; cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur. Hic ille est **Ioan.14. d.**
Paracletus aduocatus, & consolator noster, qui missus a Patre in nomine
Fili, docuit omnia, & suggesit quæcunque ipsa veritas dicta voluit fan-
ctis hominibus. Spiritu enim sancto inspirati locuti sunt sancti Dei ho-
mines, tam veteris testamenti Prophetæ, & Patriarchæ, quam noui Euan-
gelistæ, & Apostoli. Sed qui suggerit veritatem præcepti loquentibus, is **i.Cor.12. b**
præbet amorem obseruantæ audientibus, mirabiles diuisiones gratia-
rum in vtrisq; faciens, cum tamen vnuſ, & idem sit Spiritus, qui operatur
omnia in omnibus, diuidens singulis prout vult: vt vnuſ est in vniuerso
corpo spiritus, qui viuificat omnia, & moderatur singula mēbra pro-
cuiusq; proprio munere, & vsu.

VIII. ARTICVLVS.

CREDO SANCTAM ECCLESIAM CATHOLI-

cam, Sanctorum communionem.

A C T E N V S diuina, in quæ Christianus credit: deinceps
humana, quæ credere ille debet. Sed cum mutetur vis ser-
monis, commutanda etiam in his est ratio interpretationis. **Ps.103. d.**
H Quorum illud est primum, Esse vnam sanctam Ecclesiam
catholicam. Audisti suprà Deum omniū beneficū Dominum: vide nūc
gratiam hominibus Dei templo ineffabiliter collatam. Audisti suprà Pa-
trē Omnipotentē: vide nūc Filiā, patris dictis audientem. Audisti suprà **Ps.83. c.**
sponsum, Verbū Patris, procedētem de thalamo suo: vide nunc sponsam **i.Cor.13. c.**
Ecclesiam verbo conuocatam, in vestitu deaurato, circundata varietate. **Ps.44. c.**
Audisti suprà Spiritum viuificantem: vide nunc corpus mirabili har-
monia viuificatū. Vnus ille spiritus est, in quo vno omnes potati sumus,
siue Iudæi siue Gétiles, siue serui siue liberi. Vna est etiam columba eius,
ex vna fide, per vnam charitatem, in vna spe vocationis, in vno grege, in
vno ouili, sub vno pastore, sub vna Cathedra. Sanctus ille est, qui san-
ctificauit tabernaculum suum: sanctum etiam templum eius, ablutum, **Ps.64. d.**
& sanctificatum in nomine Domini nostri I E S V C H R I S T I, & in **5. b.**
Spiritū Dei nostri. Vniuersalis ille est, qui repleuit orbem terrarum: Ca-
tholica Ecclesia est ex Euāgeliō in vniuerso mūdo per Apostolos, & suc-**i.Cor.6. c.**
cessores **Catholica.**
Sapien. i.b.
Luc.24. 8.

Ff ccessores

Christiani hominis

MAT. 16. d. Cessores omni creaturæ annuntiato vñq; in consummationē seculi. **Quin-**
MATT. 28. d. imo vt CHRISTO Regi data est omnis potestas in cœlo & in terra,
 ita & Ecclesiæ regnū partim est in cœlis, partim in terris. Sed illic de su-
 peratis temptationibus, & patienter latis tribulationibus, cum CHRISTO
EPIHE. 5. c. capite in solis beatis triumphat: hic vero sub CHRISTO Imperatore, iam inde vñq; à mundi exordio cum Diabolo, Mundo, & Carne militat: non modo in bonis, ex quibus potissimum, vt ex membris per Charitatis spiritum viuis, Ecclesiæ corpus constat: sed etiam in malis Christianis, qui etsi lethalibus criminibus contaminati sunt, eoque velut putrida & quadantenus mortua membra, attamen in ecclesiæ consortio si vnitatem illius, & pacem integrā tenuerint, per Fidei doctrinæq; professionem, & Sacramentorum participationem, velut quandam totius corporis, & membrorum in eo cohærentium colligantia, retinentur: vt in vite palmites non ferentes fructus propter inutilitatem amputandi.
JOAN. 15. a.
MATT. 18. b. A quorum consortio excludimus & Excommunicatos, vt inobedientes Reipub. ciues: & Schismaticos, velut Reipub. pacem interturbantes, &
i.COR. 12. c. Rom. 16. c.
TIT. 1. d. populi vnitatem in varia scindentes: & Hæreticos, tanquam in Reipub. perniciem, & ciuium capita coniuratos: & Paganos, ceu genuinos hostes, & perpetuos inimicos. Ex quibus hominum generibus malignatum ecclesiam congregatam esse existimamus: quam omnis bonus Christianus, vbi in malitia & proteruitate occalluerint, odio habere debet, vt neque hospitio, aut salutatione dignetur. Nihil enim cum malignis communicet, qui incommunione sanctorum, sanctus etiam ipse defuderat SANCTO rum communionē.
PS. 132. d.
MATT. 6. b. & in commune orantes, quod omnibus expediatur, velut cohærentia membra, in uno omnium CHRISTO capite, sese mutuo adiuuant, particeps omnium timentium Dominum, & custodiendum mandata eius.
GAL. 5. b.
EPHE. 4. c.
i.COR. 7. d. Qui veluti unum corpus, uno spiritu animatum, secundum Spiritus sancti dona, viuunt ex una Fide per Dilectionem operante: ex mandatorum obseruatione in eam spem erecti, vt vbi caput est cum multis eiusdem corporis membris, ibi etiam reliqua aliquando futura, in gloria Dei Patris.

X. ARTICVLVS.

CREDO PECCATORVM REMISSIONEM,

ROM. 6. d. **COL. 3. b.** **ROM. 8. c.** **EPHE. 4. c.** **2.COR. 5. c.** **IOAN. 33. d.** **MATT. 2. d.** **MAR. 10. d.** **LUC. 24. g.** **PS. 67. f.** OMNIS qui per peccatum Adæ & animo, & corpore perierat in mortem, is per gratiam CHRISTI vñq; ex parte seruatur in vitam æternam: si tamen exuat veterem hominem, spiritu facta carnis mortificando, & induat nouum, per peccatorum remissionem noua factus creature. Vnde nouo quodam modo incipiat viuere CHRISTO capiti, per sacramenta Ecclesiæ: dum spiritualiter per Baptisma ex aqua cum inuocatione sanctæ Trinitatis iterum nascitur: per Confirmationem chrismate salutis robatur: per

Eucha-

Pia institutio.

Eucharistiæ sacro sancto CHRISTI corpore alitur: per Pœnitentiā ex IOAN. 6. cordis contritione, vocis cōfessione, operis satisfactione cum peccatorū absolutione curatur: p extrema Vnctione oleo sancto cōstabilitur totus, ac corpore etiā reficitur à ministris ecclesiæ, per sacrū Ordinē cū plena facultate ad hæc mysteria dispēsanda gradatim institutis. Quæ tamē spiritualis vita, quia corporali nititur, velut fundamēto, vt ad hanc ministrandā cōjuges sine peccato copulari possent, institutū est ex mutuo cōfensu Matrimoniū. Quæ sacramenta ideo à CHRISTO instituta sunt in externis rebus, vt per ea, velut certa & efficacia signa collatæ gratiæ, ac virtutæ spiritualis à capite mēbris per illius mortē cōmunicatæ Christianus admoneretur, et in his, velut religionis veræ, symbolis piè exerceretur.

XI. ARTICVLVS.

CREDO CARNIS RESURRECTIONEM.

VONIAM spiritus supra naturam per Gratiam in æternū vivit, per peccatum in æternum moritur: conuenit quidem vt etiam caro spiritui, velut materia propriæ formæ supra natum accommodetur. Atq; ita corruptibilis, & mortal is per naturam, per Dei iudicium induat incorruptionem, & immortalitatem: vt quæ consors fuit meriti, aut culpæ, eadem ipsa secundum substantiā, sed secundum qualitatem diuersa, particeps sit præmii aut poenæ. Quare par erit conditio omnium siue bonorum, siue malorum in resurgendo. Nam omnes quidem resurgemus cum propriis corporibus, immortales, membris integri, ætate perfecti: sed tamen lōge dispar erit status, & piis, & impiis à resurrectione. Nam iusti immutati fulgebunt sicut Sol in regno patris eorum: iniustorum autem vultus, facies combustæ in igne æterni, qui paratus est Diabolo, & angelis eius.

XII. ARTICVLVS.

CREDO VITAM AETERNA M.

NBI omnes in fine præsentis seculi resurrexerint immortales, accepturi prorationevitæ antea actæ siue præmiū siue poenam qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Nam boni non esurient, neq; sitiens amplius, nec cadet super illos Sol, neque vllus æstus: quoniam agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad fontes aquarū, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vñtræ non erit, neq; fletus, neq; clamor, nec dolor erit vñtræ, quæ prima abierunt. Sed satiati omnium bonorum affluentia, cum apparuerit gloria Dei, fruentur in æternum summo bono, Deum sicuti est videntes. Hæc enim vere est vita æterna: Hec per speciem consummata in cœlis beatitudo, per fidem in terris inchoata: vt cognoscant verum Deum, & quæ misit ille IESVM CHRISTVM. Contrà mali torquebuntur igne inextinguibili, & vermis mortis tolerabunt non morietis. Ipsí miserabiliter mortui, ad solos crucia-

Ff 2 tus, &

tus, & supplicia viuaces, perpetuo carebunt visione Dei, in secunda, & aeterna morte constituti.

P A R A P H R A S I S I N O R A T I O N E M
D O M I N I C A M , E X V A R I I S L O C I S
scripturæ sacre contexta.

QVID oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus adiuuans infirmitatem nostram postulat pro nobis gemitibus ine-
narrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret
spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Non enim
accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum
adoptionis filiorum, in quo clamamus, PATER NOSTER. Ipse
enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii tui
Deus, si autem filii & haeredes quidem tui, cohæredes autem CHRISTI
primogeniti in multis fratribus, quicunque faciunt voluntatem
tuam, PATER NOSTER QVI IN COELIS ES, non
circumscriptione loci: quia cœlum & terram tu imples: sed eminencia
dignitatis, velut in tribunali vindicta de malis omnibus: ne quis transgre-
diatur, neque circunueniat in negotio fratrem suum: & tanquam in thro-
no gratiae munerator de bonis omnibus. Nam iis, qui videntes fratrem suum
necessitatem habere, non clauerint vilceria sua ab eo, charitatem frater-
nitatis diligentes, & honore sub tali patre inuicem præuenientes, datus es
regnum, quod eis potissimum, ut filii pater thesaurifans, paraesti à constitu-
tione mundi. Quæ illa est haereditas immarcesibilis conseruata in cœlo.
Cuius pignus & arram accepimus cum in CHRISTO credentes si-
gnati sumus Spiritu promissionis sancto, ut quæcumque orantes petimus,
credamus in fide nihil haesitantes, quia accipiemus & euenerint nobis. Si
enim nos, cum simus mali, nouimus bona data dare filiis nostris, quanto
magis tu, PATER NOSTER QVI IN COELIS ES, præ-
ter quem nemo bonus, dabis bona petentibus te: si tamen non male peta-
mus, sed postulemus a te secundum tuam voluntatem petitiones quas
habemus a IESU CHRISTO Domino & aduocato nostro: in
cuius nomine petentes audemus dicere PATER NOSTER QVI
ES IN COELIS SANCTIFICET VR NOMEN TVVM.
Nomen illud tuum & admirabile, quod est super omne nomen, & om-
nipotens, quod qui inuocat saluus est: & honorabile, in quo omne genu
flectitur cœlestium terrestrium & infernorum, sanctificetur in cordibus no-
stris per Fidem ad nostri iustitiam, & in operibus nostris per confessionem
etiam ad proximi salutem, & in operibus nostris ad manifestandam tui
gloriam: ut qui vident bona opera nostra glorificant te Pater cœlestis. Præ-
sidente, fertim si quæ sursum sunt, ut decet cœlestes, quæramus, ubi CHRISTVS
caput nostrum in dextera tua sedet, & quæ sursum sunt dono Spiritus tui
adeo sapiamus, ut omnis nostra conuersatio in cœlis sit, & pauperes spi-
ritu,

ritu, diuites autem in fide clarificemus atque portemus te in corde & cor-
pore nostro. Nec amplius regnet peccatum in nostro mortali corpore, vt
obediamus cōcupiscentiis eius: sed ADVENIAT REGNUM TVVM,
Regnum inquit illud iustitiae & pacis primum omniū quærendum, cum
quo omnia necessaria apponuntur nobis (nos enim spiritu ex fide spē iu-
stitiae expectamus) ita ad nos veniat, vt intra nos esse vere dicatur, & sicut
regnauit peccatum in mortem, ita regnet gratia in vitam aeternam. Quod
liberati a peccato, Intelligentes munere tuo quæ sit voluntas tua, serui
autem facti iustitiae, omnem Mansuetudinem ostendentes ad omnes ho-
mines, habeamus fructum nostrum in sanctificationem, finem vero vi-
tam aeternam, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed
vt serui CHRISTI facientes voluntatem tuam. Itaque FIAT VO-
LUNTAS TUA SIC VIT IN COELO, ET IN
TERRA. Voluntas tua bona & beneplacens & perfecta, quæ ipsa est
sanctificatio nostra charitatis perfectione consummata, ita per nos a te
fiat ut consilio Spiritus sancti sciat vnuquisque nostrum vas suum, & ani-
mo & corpore possidere in sanctificatione & honore, & non in passio-
ne desiderii. Quam potius lugentes desideremus liberari a corpore mor-
tis huius: ut ita abnegantes impietatem, & secularia desideria sobria, &
iuste, et pie viuamus in hoc seculo: & habentes alimenta & quibus tegam-
ur ex temperante virtute his contenti nihil solliciti simus in crastinu.
Quare PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM DA
NOBIS HODIE. At verò quia non in solo pane viuit homo, sed
in omni verbo, quod procedit de ore tuo, simul cum alimento quotidiana-
no corporis, nobis illum suprasubstantiale & præcipuum animi panem
quotidie præbe, verbum tuum, quod caro factum de cœlo descendit, ve-
rus & viuus panis pro mundi vita ad confortandos & corroborandos nos:
vt in eo omnia possimus esurientes & sitiens iustitiam. Nisi enim man-
ducauerimus, carnem filii hominis & biberimus eius sanguinem, non ha-
bebimus vitam in nobis. Sed tamen ut dignemus, & non iudicium nobis man-
ducemus, & bibamus, DIMITTE NOBIS DEBITA NO-
STRÆ, SIC VIT ET NOS DIMITTIMVS DEBI-
TORIBVS NOSTRIS. Nam si dixerimus, quoniam peccatum
non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: sed si Misericordie
recordes dimiserimus hominibus peccata eorum, confitentes peccata
nostra: & ex dono scientiae facientes bonum, declinemus a malo, pro vi-
rili conantes omnem iustitiam adimplere, fidelis, & iustus es Domine, vt
remittas nobis peccata nostra, & emundes cor nostrum ab omni iniqli-
tate. Ad quam ut non iterum facile reuertamur, velut canis ad vomi-
tum, aut sus lora in volutabrum lutum, per Fortitudinem nos instrue, NE
NOS INDVCAS IN TENTATIONEM. Sed cum inci-
derimus in tentationes varias, dum tentatur vnuquisque nostrum, non a
te Deus

c. D O N. te Deus bone, qui intentator es malorum, sed à concupiscentia sua di-
Piet. stractus & illectus, dono Pietatis, quæ utilis est ad omnia, nos muni. Si-
i. Tim. 4. c. quidem nouisti, domine, pios à tentatione eripere, præfertim eos tanquā
2. Per. 2. b. proprios filios, qui si fieri potest, quantum in ipsis est, cum omnibus ho-
2. BEAT. minibus pacem habent. Et tametsi fidelis tu quidem Deus, qui non pa-
Pac. teris nos tentari supra id quod possumus, attamen quia sufficientes non
i. Cor. 10. c. sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex
2. Cor. 3. d. sumus

Matt. 10. b.

VIR. te est, in mala vitando prudentes nos redde vti serpentes, & Timore tui
For. donatos LIBERA NOS A MALO. Timenti enim te non occur-
Timoris. rent mala, sed in tentatione tu illum conseruabis, & si persecutionem pa-
Perse. tiatur, liberabis eum à malis faciens cum tentatione prouentum. Quoniam
Eccle. 33. d. qui sublata tentatione probatus fuerit, accipiet coronam vita, quam re-
Iac. 1. b. promisisti Deus diligentibus te. Quia tuū est regnum & potentia et glo-
 ria in secula seculorum: Amen.

Gloss. in. Petenda igitur sunt oratione Dominica ea omnia bona quæ nos homi-
Matt. 6. nes perficiant, & filios Dei reddant. Quæ illa nostra est felicitas, septe-
Matt. 6. b. nario perfectionis consummata. Quapropter & Petitiones ipsæ septem
 sunt, tres in Dei Patris nostri honorem, illius Sanctificatio nominis, Ad-
 ventus regni, Effectio voluntatis. Quatuor autem in communem fratrū
i. Cor. 13. d. omnium utilitatem, Panis quotidianus, Remissio peccatorum, Ereptio à
 tentatione, & Liberatio à malis. Cum quibus etiam petuntur Septem vir-
Ef. 4. 11. d. tutes, tres Theologicæ, Fides, Spes, Charitas: quatuor Cardinales, Tem-
 perantia, Iustitia, Fortitudo, & Prudentia. Item Septem Dona Spiritus
Matt. 5. a. sancti, Sapientia, Intellectus, Consilium, Fortitudo, Scientia, Pietas, & Ti-
 mor Dei. Præterea, oīto etiam Beatudines, Paupertas spiritus, Mansue-
Galat. 6. d. tudo, Luctus, Esurie & sitis iustitiae, Misericordia, Munditia cordis, Pax,
 & Persecutio. In virtutibus cotineri intelligatur duodecim fructus spiri-
 tus, qui inde proueniunt & capiuntur, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia,
 Benignitas, Bonitas, Longanimitas, fides, Modestia, Continentia, Caſtitas.

SECTIO SECUNDA.

DE IIS QVAE CHARITATE IN MANDATIS seruanda sunt, & in peccatis vitanda.

DE TRIPLO DIVINA LEGE, NATVRAE, SCRIPTA, ET GRATIAE!

Rom. 10. c. ACTIS Fidei fundamentis, tū in iis, quæ ex symbolo Apo-
Ioan. 14. c. stolico credenda sunt, tum in iis quæ Oratione Dominicæ
i. Cor. 13. a. b. sunt petenda (est enim oratio primum, ac præcipuum Fidei
 opus, & quædam illius consummatio) cōsequens est, vt Cha-
 ritatis velut parietes superstruamus in mandatis obseruandis, & peccatis
 vitandis. Quorum cum neutrum sine altero satis constabili, aut perfici
 possit, optimè ambo simul exponentur. Ita enim demum quod per Fidē
 in Baptismate professi sumus, & polliciti, opere complemus, & præsta-
 mus, si

mus, si bonum facientes, recedamus à malo. Quod vt libentius faciamus, *Ps. 33. c.*
 ad præcepta seruanda prouocamur spe beatitudinis æternæ, à malis cō-*Matt. 2. 9. e.*
 mittendis coercentur timore miseria perpetuæ. Mandata autem seruā-*Matt. 25. d.*
 da ea potissimum sunt, quæ lege diuina continentur ad Pietatem in Deū,*Rom. 7. d.*
 & ad Charitatem erga Proximum: est autē Proximus omnis homo, omni*Luc. 20. f.*
 homini. Legem Diuinam appello Naturæ, & Latam. Naturæ lex ani-*Rom. 1. c.*
 mis nostris diuinitù insita, & velut ex lumine vultus Dei lux quædam*Cor. 2. c.*
 accensa, sed tamen post peccatum Adæ subobscura, nulli alii, quam Cre-*Ps. 4. b.*
 atori omniū Diuinos exhibet honores, & ab omni hominē omne tollit*Lex Naturæ.*
 nocumentum. Lata lex, quæ Naturæ legem excitat, & exponit, duplex*Exo. 2. 0. d.*
 identidem est. Vetus, quam Dominus per Mosen seruum suum Hæbreo*Exod. 31. d.*
 populo tulit, & decem præceptis in duabus lapideis tabulis digito suo*Lex Gra-*
 scripsit: & Noua, quam Deus per C H R I S T V M filium suum Chris-*tia.*
 tianis hominibus annunciauit, & duobus præceptis in carnea eorū cor-*2. Cor. 3. d.*
 da spiritu suo infudit. Vetus, Naturæ legem dilatando confirmans, timo-*Hebr. 8. c.*
 re ad seruendum Deo, vt Domino, cōpellit. Noua, Veterem abbreuian-*Hiere. 31. e.*
 do consummans, amore ad obediendū Deo, vt Patri, allicit. Prior grauis,*Rom. 7. e.*
 temporalia & terrena promittit: posterior leuis, æterna & cœlestia donat.*Rom. 9. f.*
 Est nihilominus tamen idem ambarum finis, quæ ipsa est Sapientia, Sa-*Adu. 15. c.*
 pientiam voco, veram, & consummatam Religionem, cuius initium ti-*Deut. 21. d.*
 mor est, finis autem amor. Quamobrem, primum explicanda est Mosis*Es. i. c.*
 lex timoris: deinde vero C H R I S T I lex amoris. Lex autem Mosis dua-*Matt. 18. d.*
 bus Decalogi tabulis continetur, prior ad Dei cultum tribus præceptis,*Matt. 3. 19.*
 qui numerus Diuinitatis est, nos instruit: posterior septem mandatis, qui*Prove. i. a.*
 est numerus beatitudinis, de Proximi commodo nos commonefacit. Ita*9. c.*
 ambabus tabulis denarius numerus, qui vniuersitatis est, completur. Cō-*Rom. 13. c.*
 stituunt enim decem hæc præcepta mirum quoddam vniuersum. Cuius*i. Tim. i. b.*
 tanta sit totius harmonia, & mutuus partium concentus, vt totum cen-*Decalogi*
 seatur dissolui, vna parte non constante. Quare quicunq; totam legem*explicatio.*
 seruauerit: offendat autem in uno, factus est omnium reus, tanquam Dei*1. Ioan. 5. b.*
 maiestatem lädens, qui omnium Præceptorum idem fuit auctor, ex*Num. 28. c.*
 maxima, & optima ipsius benignitate, vt ipse satis indicat, cū ad præcepta*Deut. 10. d.*
 sic præfatur.
Iac. 2. b.

EXOD. 20. a.

EGO SVM DOMINVS DEVS TVVS QVI EDVXI TE DE TERRA AEGYPTI, ET DE DOMO SERVITVTIS.

Gene. 17. d. DOMINVS est, vt eius Omnipotentiam credēdo verearis: Deus
1ob. 5. b. est, vt eius summam Sapientiam amando venereris: Beneficus est,
i. Paral. 3. b. vt eius miram Pietatem sperando confitearis. Quibus nominibus
 coli ipse iure suo voluit, & solus debet, eo cultu, quem Latria appellat-*Rom. 10.*
 mus. Qui cum tribus præcipuis partibus perficiatur, corde, ore, & opere,
 ideo tribus etiam prioris tabula præceptis explicatur.

PRIMA

PRIMA TABVLA LEGIS SCRIPTAE, QVAE
AD DEI CVLTVM PERTINET.

Non habebis deos alienos coram me. Ex. i. Præcep.
HO C præceptum negatiuè prolatum de malo semper vitando:
alterū subinsinuat affirmatiuè latū de bono opportune seruādo.
Vt cum vnu sit Deus noster, Creator, Cōseruator, Gubernator,
& Dominus omnium, Gentium autem dii Dæmonia, ferè in rebus cor-
poreis, aut earum inertibus simulachris, inuita & repugnante natura,
Diuinis honoribus culta, optimè præcipiat Legis lator, alienos deos omni-
ratione execrandos, & creaturas nullo vñquā tēpore Diuino cultu hono-
randas: Dominū autē Deum nostrū solū adorandum corde puro, & cōsci-
entia recta, fide non ficta. Deus enim spiritus est, & eos qui adorant eum,
in spiritu, & veritate oportet adorare: adhibendo etiam decentes exter-
nos gestus, & publicas cæremorias, quę profiteantur, & palam conteste-
tur internam latriam, per firmam Fidem, rectam Spem & viuam Chari-
tatem soli Deo exhibendam: ob idq; sanctæ indiuiduæq; Trinitati, Do-
mino nostro I E S V C H R I S T O, & sacro sanctæ Eucharistiae. Sunt
tamen nihilominus & aliis præter Deum sanctis deferendi sui gradatim
honores, sed tamen omnes propter Deum: vt beatę Marię, honor hyper-
dulicę: reliquis autem sanctis beatissq; honor dulicę: eorum etiam reliquiis,
imaginibus, tēplis suis quidā debetur honor. Vult enim Deus laudari in
sanctis suis, quos ipse Pater glorificat in cœlis, & Filius confitetur coram
Patre: vt iure sapientiam sanctorum narrent populi, & laudem eorum
nunciet ecclesia. Nec dignatur Deus, per eorum intercessionem inuo-
cari, quos ipse partes, & membra C H R I S T I fecit, quem mediato-
rem & aduocatum apud seipsum constituit. Quare hos maximè interpel-
lamus, ita tamen vt à solo capite redemptionis gratiam profluxisse no-
bis credamus, à reliquis autem membris intercessionis officium præ-
itari: præsertim cùm & nos in hac lachrimarum valle, etiam pro perse-
quentibus orare iubeamur. Quo fit vt Sanctorum reliquias, imagines, &
templa decenter veneremur. Dum in reliquiis illorum Fidem, & Charita-
tem exosculamur, quorum corpora in pace sepulta sunt: & nomen viuit
in generationem & generationem. Et dum in imaginibus eorum vitam,
yelut præsentes intuendo, admiramur, quorum proposita sunt nobis ad
imitandum exempla. Et dum in templis, eorum interuentionem feruē-
tius, & maiori cum deuotione postulamus, quorum gloriam ex dicatis
templis, & approbatis miraculis in C H R I S T O recolimus.

NON ASSUMES NOMEN DEI TVI
in vanum. Ex. 2. Präcep.

Rom. 10. b **C**V M docuerit quomodo Deus corde ad iustitiam colendus, iam nūc docet quomodo ore ad salutem confitendus. Ne quem solū omniū Deum pia mente veneramur, nō satis reuerenti voce Deū nostrum

nostrum profiteamur. Sed constet sibi vndiq; Christianus homo, & in amando Deo, & in timendo Domino: cuius non audeat tremendum nomen, quodcunq; illud sit, modo Deum notet, aut ad ipsum quoquis modo referatur, assumere, & usurpare, non tantum dixerim falso, aut simulanter in publicis contestationibus: sed nec quidē inconsideratē, aut frustra in priuatis assertionibus. Debet enim Christiani sermo, ex C H R I S T I institutione, non iurare omnino neq; per cōclum, quia Thronus Dei est: neq; per terram, quia scabellum est pedum eius: neq; per Hierosolymā, quia ciuitas est magni regis: neq; per caput suum, quia non potest vnum capillum album facere, aut nigrum: sed debet simpliciter afferere, Est, Est: aut negare Non, Non. Quod enim abundantius est, à malo est, nisi necessitas veritatis reuerenter afferendæ à nobis iuramentum extorqueat. Quo nomine usurpatur à republica, & in difficultibus decidendis litibus, & in grauibus corroborandis negotiis, vt finis sit omnis controversiæ. Sed vt in iurando, vbi testis, vel sponsor adducitur, omnem reuerentiam a nobis exigit Deus: ita in voto, vbi dominus, & fautor prohibetur, omnem obseruantiam flagitat. Nam & vouere rationabilia obsequia vult nos Deus, vt ei subditos nos profiteamur: & eiusmodi vota, non autem impia, aut turpia perfectè soluere: vt fideles inueniamur. Vnde facile intelligas, quām meritò lex morti addixerit eorum abominandam impietatem, qui nomen Dei blasphemauerint, ac execrabiliter fuerint detestati. Quod contra potius oportuit Deum confiteri, laudare, prædicare, & inuocare, in quo solo ea est spes, quæ non confundit.

MEMENTO UT DIEM SABBATI

sanctifices. Ex. 3. Præce

CVLTVS Diuinus, et si præcipue corde exhibetur, nihilo minus
tamen voce, vt mentis interprete, debet significari, & externa san-
ctimonia, atque publicis cæremoniis, velut opere constabiliri, &
certo suo quodā tempore manifestari. Cui rei eos præsertim voluit Deus
dicatos dies, qui vel memoria beneficiorū in ipsis acceptorum nos cul-
tus Deo diligentius præstandi commonefacerent: nisi velimus ingratii
esse, & plane impii. Quamobrē in veteri lege sabbatum instituit sanctifi-
cari: in quo popul⁹ Hebræus ab omnibus feruilibus operibus feriaretur:
vt commodius & deuotiūs Deo totus vacaret: eo scilicet die, quo à cre-
andis rebus Deum cessauisse, & velut requiuuisse crederet, & se à durissi-
ma seruitute Pharaonis in manu forti, in brachio extento liberatum re-
coleret. Quibus, vt quidem maximis beneficiis, cum multo maiora fue-
rint recreati & instaurati in homine vniuersi, & à fœdissima Diaboli ty-
rannide redempti adoranda mysteria (quæ die octaua, & Dominica cō-
summata sunt, glorioſa C H R I S T I pro nobis paſsi, mortui & sepul-
ti resurrectione, optimè profecto atq; iure in lege noua commutatum
sabbatum est, quod erat cæremoniale, in Diem Dominicū. Quo vel ipſo

PIETAS. die admoneamur Religionis, & pietatis, vt qui cū C H R I S T O peccatis
Rom. 6. b. mortui, & per Baptismum sepulti surreximus in nouitate vitæ, exhibemus membra nostra Deo seruire iustitiae in sanctificationem: vt tan-
Heb. 4. b. dem in veram requiem ingrediamur: dum mundi auferimus malum co-
Esa. i.e. CAERE- gitationum nostrarum, quiescimus agere peruersè, discimus beneface-
& moniæ & cere. Quapropter Ecclesia eo die sapientissimè plerisque mysticas cære-
festa ecclæ- fice.
Ps. 67. 8. nias nos huc prouocantes admouet, & calios etiā festos dies instituit ad re-
colēda mirabilia Dei opera in I E S V C H R I S T O Domino nostro,
Virgine matre, Beatis Apostolis, & aliis sanctis exhibita, quæ nos magis
incitent atq; accendant ad diligendum Deum & Proximum. Vnde non ab-
surde tribuitur tertium præceptum Spiritui sancto, vt primum Patri, &
secundum Filio.

SECVNDA TABVLA, QVÆ PROXIMI DILE-
ctionem respicit: Honora patrem tuum, & matrem tuam:
& eris longœuuus semper terram. Ex. 4. Præcep.

IN secunda tabula, quæ nos in Proximo diligendo instruit, primum
Rom. 1. d. præceptum traditur de honorandis Parentibus. Obtinent enim Pa-
rentes, proximum à Deo locum in dilectionis gradibus decenter dis-
ponendis. Nā inter Deum & Proximum Parentes ferè ambigunt, & ve-
luti medii intersunt. Parétum autē nomine eos in vniuersu intelligimus,
PAREN- tes qui. quibus vita nostra aliqua ex parte debetur. Cuiusmodi sunt post Deum
Iacob. (cui omne datū optimum, & omne donum perfectum, oīa deniq; refe-
Matt. 23. a. renda sunt accepta, vt summo parenti, a quo omnis paternitas nomina-
Matt. 15. d. tur in cœlo, & in terra) primum, & proprie, qui nos genuerunt Pater, &
Leuit. 2. b. Mater, quibus debemus quod viuimus: vt iure qui eis maledixisset, mor-
Aet. 20. c. te punierit lex. Deinde Prælati, a quibus habemus quod sapiēter viuimus:
i. Tim. 6. a. tum & Magistratus, per quos commodè & tutò viuimus. Breuiter, qui-
i. Tim. 5. a. cunq; nobis præsunt, & nostricuram gerunt, siue publicè, siue priuatim
Matt. 13. 8. aut dignitate, & statutæ nos antecedunt, recte Patres appellantur. Honor
QVÆ debentur parentibus. autem Parentibus debitus tria complectitur: nempe Amorem, Obe-
dientiam, & Reuerentiam. Quæ ex intimo mentis affectu, & re ipsa, atq;
Pro. 28. d. effectu quotiescunq; res postularit, parentibus exhibenda sunt. In amore
subuentio, Beneficentia, & omnis Gratitudo includitur, vt non possit nō
Deut. 21. d. esse summum piaculum, quippiam subtrahere ex iis, quæ in illorum gra-
Rom. 13. c. tiam, Subuentio, & honorificam Beneficentiam constituta sunt, cō-
i. Tim. 6. d. sueuerintq; iure ipso solvi. Quo spectat decimarum, primitiarū, & alio-
Solutio in- rum reddituum, nec non tributorum, vestigium, iuriumq; dominicaliū
niciū & decimaru. integrasolutio, & perfecta satisfactio. Reddenda enim sunt Cæsari, quæ
Matt. 12. b. Cæsaris, & Deo, quæ Dei sunt. In Obedientia continetur præceptorum
i. Cor. 2. 6. plena obseruantia: vt nequeant non esse planè iniqui, qui constitutioni-
Obseruan- zæ consti- tionum, & bus, ordinationibus, aut etiam consuetudinibus præsertim publicis, pa-
conficiendi num. trum auctoritate: & communi consensu roboratis, temere reluctantur:
aut,

aut, quod nefandum crimen est, propria auctoritate aliquid contra sta-
tuunt. Nam omnem animam potestatis sublimioribus subditam esse
Rom. 13. d. oportet. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autē sunt, à Deo ordinata
sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resi-
stunt, ipſi sibi damnationē acquirunt. Hinc facile elicetur quanta debeat
i. Cor. i. d. Parentibus, ac Dominis reuerentia, quibus cum timore, & tremore
Eph. 6. seruendum est in simplicitate cordis, sicut & C H R I S T O , non
Colo. 3. 2. modo bonis, & modestis, sed etiam discolis: quod hæc sit gratia, si quis
propter Dei conscientiam sustinet tristitias patiens iniuste. Quod tamen
Sap. 6. d. ne committant Parentes, ac Domini, meminerint perpetuò, infideli esse
i. Timo. 5. b. deteriorem, quisquis suorum maximè domesticorum curam non habet:
& potentium iniurias potentioribus suppliciis puniendas. Illudq; ma-
ximopere caueant, ne iure occidentes audiant subditos, Magis oportet
Aet. 5. c. SVPER-
Deo obedire, quam hominibus. Non ergo vel in subditos superbiamus,
bia qui exemplo C H R I S T I Parentibus primum didicimus subdi, vt
Luc. 2. d. HVMIΛΙ-
tas.
Ecli. 10. b. erga omnes perpetuò humiles simus. Initium enim omnis peccati super-
bia. Qui tenuerit illam, implebitur maledictis, & subuertet eum in fine.
Iacob. 4. c. Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliemur
i. Pet. 5. b. igitur sub potenti manu Dei, vt nos exaltet in tempore visitationis.

NON OCCIDES. V. Præcep.

IN parente diligendo Diuinam quandam rationem sequimur, vt pote-
quem velut alterum quandam Deum honoremus: In reliquis autem
hominibus, à nobis ipſis rationem ducimus: quibus, vel ipsa natura sa-
tis prospicimus supérq; blandimur: vt quod nobis nolumus fieri, nec aliis
faciamus. Quamobrē reliqua sex præcepta à lèdendo Proximo nō modo
manum coércent, aut linguam compescunt: sed etiam animum cohibēt,
tum in iis, quæ interna sunt, & cum homine cohærentia, vita, & vxo-
re: tum in iis quæ externa sunt, humano tamen vñi commoda, diuitiis, &
fama. Quibus potissimum ab aliis nos lèdi, & offendi, ipſi iudicamus. Ita
que quintum mandatum maxime cauet, ne Proximi vita, quam ille om-
nium charissimam habet, vlla ex parte lèdatur, dum nominatim, & ex-
plicite Occisionem vetat: implicitè vero, omnem corporis læsionē: præ-
fertim, quæ irrecuperabile nocumentum inferat. Quod tamen publica
auditoritate iure fieri quandoq; permittitur, vt in publica fontium ani-
maduersione, ordine iuris seruato, in bello iusto, legitimè tamen gesto: &
Leuit. 19. c. in priuata sui deffensione, cum moderamine inculpatæ tutelę. Cæterum
Luc. 3. c. meminisse semper opportet, vt C H R I S T V S interpretatur, hoc præ-
Deut. 21. cepto non modo manum ab iniuria, & vindicta abstinentiam, sed etiam
Matt. 5. h. os ab omni indignationis, & conutii voce continentum: & animum ab
Matt. 12. c. Ira odium
Ioan. 3. c. vindicta.
2. Tim. 2. d. MANSV-
etudo.
P A T I-
entia.

Gg 2 corum,

i.Petri.2.c. corum, beneficentia odientium, & oratione pro persequenteribus, & ca-
Rom.12.d. lumnantibus. Ut non reddamus malum pro malo nos ipsos defenden-
 tes, sed dantes locū iræ, in bono vincamus malum. Iam verò, cuius cor-
 pus vsq; adeo seruandum est illæsum, non ne potius & animus, quo ad
 fieri poterit, incorruptus est continendus? Quapropter vt corporalia in
Ephes.5.b. commoda, sic etiam spiritualia damna, vel ex suggestione maligna, vel
Matt.18.a. exemplo pernicioso, vel scandali occasione illata, cœsentur hoc præcep-
i.Cor.8.b. to prohibita. Contra verò iniuncta opera misericordiæ & corporalia, &
Matt.25. spiritualia. Talibus enim hostiis promeretur Deus.
i.Thes.5.b.
Hebr.13.a.

NON MOECHABERIS. 7. Præcep.

i.Cor.6.c. **A**LTERA velut corporis pars est vxor. Cōiuges enim duo sunt
Matt.19.a. in carne vna. Quapropter non minus acerba est homini contu-
 melia, quæ in cōiugem, quam quæ in proprium corpus commit-
 titur. Eoq; post repulsam à corpore iniuriam, mox proximi vxorem vult
Rom.7.a. Deus inuiolatam. In quo præcepto adulterium disertè prohibetur, quod
Deu.22. hæc iniuria charitatem hominum mutuam, quod posterioris tabula præ-
 cepta spectant, maximopere violet. Cuius criminis grauitatem atroci-
Gen.19.
Nu.25.b.
Ind.20.
2.Reg.2.
i.Cor.6.b.
Luxuria.
Ephe.5.
i.Cor.3.d.
i.Cor.6.c.
Heb.13.a.
Gene.34.b.
i.Cor.5.c.
Rom.5.d.
Ioan.8.a.
Heb.12.a.
2.Reg.11.
3.Reg.11.
Luc.12.c.
i.Cor.6.
Castitas.

CHRISTI
 membra facit meretricis, tēplumq; Dei violat: propter quod nec regnū
 Dei possidebit, sed à Deo iudicatus disperdetur: speciatim tamen quædā
 graues inferūtur priuatæ iniuriæ: Proximo, in virginis stupro: sibi ipſi, in
 cognatæ incestu: Reipub. in violatæ raptu: Deo, in monialis sacrile-
 gio: Naturæ, in execrando contra naturā vitio. Quæ profecto iniuriæ
 vsq; adeo graues, & Deo, atq; hominibus inuisæ sunt, vt non solum inter-
 sit Legislatoris illatas grauiter punire, sed ne inferantur omnem earum
 causam præscindere. Quare expresso mandato inferiùs mœchiæ con-
 cupiscentia & affectus vetatur: & CHRISTVS Dominus & Magi-
 ster noster tam seriò iubet refecari omnem, quantūmuis nobis charis-
 simam, occasionem vel excitadæ vel nutriendæ libidinis: quod nulla ferè
 pestis turpius hominem commaculet, & totum adeò commutet, vt in
 impiam infaniam, pios eosdemq; sapientissimos viros hoc vno irretitos
 vitio illicò prorupisse scripture doceat. Sed vt fornicationem cōmodè
 fugiamus, ad virtutes longe pulcherrimas, præfertim ad immaculatam
 castitatem nos incitat, & ad ea exercititia omni suauitatem, quibus vir-
 tus illa retineatur, veluti sunt ieunia, orationes, vigiliae, ac pii labores.

Gal.5.c. Quibus si facta carnis, quæ concupiscit aduersus spiritum, mortificaue-
Rom.8.c. rimus, viuemus. Sed in ipsa castitate quosdam perfectionis gradus con-
Matt.13.b. stitutos voluit: scilicet coniugii, viduitatis, & virginitatis. In coniugali
i.Cor.7. castitate,

castitate, naturæ sine macula indulgetur: in viduali continentia, concu-
Hebr.6.vt. piscentia in officio continetur: in virginali cœlibatu, cœlestis iam & *i.Timo.5.a.*
Matt.22.c. angelica vita ducitur.

NON FVRTVM FACIES. 7. Præcep.

POST interna sequuntur externa bona: quæ tantâ commoditatem
 communis vita, vulgi opinione, cœsentur afferre, vt absolute Bona,
 publicè dicantur. Quo nomine mirum est, quâm querantur anxiæ:
Philip.2.c.
 vt eis vnde cunq; acquirendis, videamus plerōsq; etiâ cum maximo Pro-
 ximi incommodo, vehementer studere, atque incumbere. Cui studio vt
 modum imponat Legislator, cauet ne quis Proximum lœdat, in huius
Exod.20.
 modi bonis ab eo furtim auferendis. Vbi Furti & partis nomine, vt in-
Deu.5.c.
 superioribus præceptis, totum ipsum, & omnem deniq; siue violentam,
 siue clandestinam, siue dissimulatam alieni, inuito domino, subreptionē,
i.Cor.6.b.
 aut etiâ detentionem intelligimus prohibitam. Quinimo & omne dam-
 num, detrimentumq; quod Proximi bonis iniquè, aut fraudulenter,
i.Pet.2.a.
 etiam si ex pacto, & contractu infertur, vetitum intelligatur. Quod qua-
Matt.7.b.
 le, quantumq; sit, facile deprehendemus, si aliorum bonis tanquam no-
 stris, illatum incommode iudicemus. Habet autem peculiare hoc præ-
 ceptum cum sequenti, vt non dimittatur peccatum, nisi restituatur abla-
Matt.5.b.
Quorū re-
titutio.
 matum circumferuntur.

Fur, auctōrue mali, sortem, damnunq; refundat:

Iussio, consilium, consensus, lausq; recursus,

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Tres tamen postremi intelligendi sunt, qui cum possint, etiam ex officio
 debeant, vt ita cum ceteris duorum carminum posteriorum, velut con-
 sentientes & adiutores, ob idque tanquam alieni peccati etiam auctores
 pari poena puniendi iudicentur. Tunc autem consentientes pari poena
 plectendi, cu consensus, causæ induit rationem. CHRISTVS deniq;
 fatus docet hoc præcepto prohiberi omnem Auaritiam, quæ est idolo-
 rum seruitus, & fraudem, & imposturam, quibus aliorum bonis, quo quis
 quæsito ingenio, aut colore insidiemur. Quæ vt commodè vitemus, con-
 trarias virtutes Liberalitatem, simplicitatem, sinceritatēmque animi se-
 quamur opportet, memores quod nihil intulimus in hunc mundum,
 haud dubie quia nec auferre quid possumus. Habentes ergo alimenta, &
Ephe.4.c.
 quibus tegamur, his contenti sumus: & qui furabatur, iam non amplius
Luc.18.d.
 furetur, magis autem labore operando, etiam manibus suis, vt habeat
 vnde tribuat necessitatem patienti, & habebit thesaurum in cœlo.

NON LOQVARIS CONTRA PROXIMVM

tuum falsum testimonium. 8. Præcep.

PROXIMIS præceptis, ne quo modo fratrem nostrum operæ lœda-
 mus, cautum est: oœtauum ordine iubet, ne etiâ ore offendamus, nul-

Gg 5 nullaq;

lāque noxa Proximum aut sermone, aut literis illius vice usurpati, afficiamus. Nam vt in præcedentibus omnibus præceptis per eminentiorem partem latentiores etiam, & totum ipsum, cauſas, euenta, annexa, & quæ his æquipollerent, intelligebamus: ita & præsenti præcepto, per falsum testimonium, quod R. eipub. insignem iniuriam infert, inuestigandæ Exo. 22. b. veritatis potissimam viam occludens, subiungit Legislator omne Mē- Iob. 17. a. Iac. 4. c. Galat. 5. d. Detractionem, Calumniam, Derisionem, Maledicentiam, Adulationem, Eccle. 28. b. omnem denique abusum linguae, aut calami in damnum proximi. Qui Aet. 12. d. Rom. 14. a. Matt. 12. c. Luc. 6. g. i. Cor. 4. Matt. 12. c. Iacob. 3. 2. Tim. 2. c. 2. Pet. 2. d. HYP O- crisi. Matt. 6. d. Matt. 7. a. Luc. 18. c. D E V O- tio. 2. Cor. 9. d. Luc. 17. c. qui turpi desidia languidi, vel impio etiam otio torpescentes, animum bonis meditationibus sanctis colloquiis, & piis operibus cum applicare grauentur, nonnunquam tamen id simulant, Curiosi alienæ vitæ Censores, propriæ verò aut ignauerter obliti, aut importuni laudatores. Quos potius decebat ex C H R I S T I admonitione deuota simplicitate, quæ coelos rapit, sanctis studiis totos incumbere, de aliis bene sentire, & se ipsos, cum omnia fecissent, quæ debebant, seruos inutiles ex animo profiteri.

NON CONCUPISCES VXOREM PROXIMI TUI. 9. Præcep.

HACTENVS manus & lingua temperata sunt: nunc duobus reliquis mandatis cor moderandum suscipitur: ne quid in homine sit, quod debitum non exhibeat Proximo officium. Postremo autem loco cor instituit, tanquam coronidem propositurus, & perfectionem instituto: dum non modo extrincecus, sed etiam intrincecus Rom. 2. b. Matt. 15. b. hominem informat, & emundat, fontem omnium malorum purgaturus. Quæ enim à corde exeunt, coinquiant & sordidant hominem. Nam si quid vel opere, vel ore in damnum proximi committitur, hoc prius cor apud se machinatur, ex prauo affectu, & appetitu errore. Errat autem ap TRIPLEX bonum. petitus in iis, quæ cum mala quandoq; sint, speciem tamen quandam boni præse ferunt, vt delectabile & vtile. Nam honestum qua tale, nunquam Exod. 20. c. Deu. 5. c. 7. d. malum est, nec male appetitur. Quamobrem duobus præceptis affectū instituit: altero, ne concupiscat vxorem proximi, voluptate allectus: altero, ne rem etiam desideret, vtilitate motus. In ipsa autem concupiscentia vxoris alienæ, omnis concupiscentia libidinosa intelligatur prohibita, & ea omnia quæ incitamenta, aut etiam fomenta sunt tam turpis appetitus.

petitus. Quare Fornicatio, & omnis Immunditia nec nominetur in nobis Ephes. 5. a. sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Cor- i. Cor. 15. d. Matt. 5. d. rumpunt enim bonos mores colloquia prava. Ipsum etiam conspectum, eoq; magis contactum habet C H R I S T V S suspectum. Quapropter tanta custodia muniendum voluit, vt præceperit oculum dexterū erui, & manum etiam dexteram abscondi, et proici, si nos scandalizent: beatos Matt. 16. b. illos esse dicens, qui se castrauerint propter regnum cælorum. Significas Tim. 4. b. non tam membra amputanda, quæ natura non sunt mala, quam omnia illa radicitus euellenda, quæ concupiscentiarum causa sint: quamquam illa nobis tam chara, & necessaria fuerint, quam oculus, & manus etiam dextra. Quapropter tam serio admonet, ne grauentur corda nostra cra pula, & ebrietate, aut vino, & somno, in quibus, vt in principibus causis Tit. 2. a. b. maxime est luxuria: sed contrariis potius virtutibus temperantia, & so- i. Cor. 9. d. TEMPE- brietati studeamus: vt castigates corpus nostrum, in seruitatem rediga- rancia. mus: præsertim qui aliis prædicamus, exhibentes nos metipsos sicut De 2. Cor. 3. d. ministros in ieiunis, & vigiliis.

NON DESIDERABIS REM PROXIMI

tui. Ex. 10. Præcep.

CVIDITAS rei alienæ ultimo loco vetatur, quod altius inside- Jacob. 4. a. lat animo nostro. Quia nulla fere est truculentior Reipub. pestis, i. Tim. 6. b. nulla maior grauiter delinquendi occasio. Nam qui volunt diu- te fieri, incident in temptationem, & in laqueum Diaboli, & desyderia multa, & inutilia, & nocia: quæ mergunt homines in interitum, & per- ditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas: quā quidam ap- petentes, errauerunt à fide, & inferuerunt se doloribus multis. Sed quid non mortalia peccata cogit auri sacra famæ? præsertim si accedat atrox Luc. 14. b. illa bestia insatiabili cupiditati affinis, & fere perpetuò adhærens Invi- INVIDIA. dia. i. Iob. 3. b. c. Sap. 2. d. Gen. 4. 5. a. dia? Quæ non tam proprium pascitur commodū, aut abhorret incom- modum, quam aliena saginatur miseria, & macrascit felicitate. Hæc mortem introduxit in orbē terarum, & similes reddidit homines Dia- bolo, qui conditi fuerant similes Deo. Hæc peccatorum omnium ma- xime, & velut ex diametro Charitati, quam posterior tabula spectat, & perfectæ illi benignitatè, secundum quam maximè vult nos Deus sibi si- miles, repugnat. Iure ergo in ipso legis fine vetatur, quod Dilectioni le- gis fini magis reluctatur. Ceterum cum duarū proximarū cupiditatum i. Ioan. 2. b. carnis, & oculorū igniculos quosdā insitos à natura habeamus (nam pri- or propagadæ speciei, posterior vero indiuiduo cōseruando incumbere videtur) ad eas sumus vel ab ipso ortu prior, & velut quadam lege mem- brorū post peccatum Adæ quadantenus obligati. Quare eatenus illæ intel- ligātur duobus præceptis prohiberi, quatenus cōsensibus ipsæ suis fuerint constabilitæ, & confirmatae: et si in opus externum sese non exer- cant. Nam quantumuis ille siue suggestione, siue etiæ delectatione turpes fuerint,

rint, non tamen mentem polluunt, nisi humana ratio consenserit. *Qui-*
i. Cor. 11. c. *nimo maioris meriti & perficiendæ virtutis ex gratia Dei nobis materia*
Ioan. 5. d. *præbent & occasionem. Nō ergo sunt mandata Domini grauia tantum*
Ps. 18. *abest ut iniqua: Sed potius iustitiae Domini rectæ lœtificantes corda: præ-*
ceptū Domini lucidum illuminans oculos. Timor Domini sanctus per-
manet in sacerdolum saceruli, iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.
Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum: dulciora su-
per mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis
retributio multa, præsertim si scripta mandata ad legem gratiæ exigan-
tur, quam iam nunc subiicimus.

LEX GRATIAE, LEGIS SCRIPTAE SVMMA.

*Matt. 5. b.**Rom. 9. f.**Deut. 10. a.**Deut. 9. b.**Tit. 2. c.**Matt. 22. d.**Hier. 11. d.**i. Cor. 1. a.**Matt. 10. d.**Luc. 14. f.**Rom. 13. c.*

AGISTER perfectionis CHRISTVS IESVS Dominus noster, qui non venit soluere legem, sed adimplere, ut verbum breuiatum, & consummatum ficeret super terram, quæ per Mosen præcepta fuerant decem, & omnibus ferè negantibus mandatis ea in duo duntaxat, & eadem aientia mirifice contraxit. Quod significaret, eundem esse Deum, & qui olim Hebreum populum durissimæ ceruicis, & ad malum sub inde reciduum multis cōminatoriis prohibitionibus à vitiis, velut Dominus timore auertisset: & qui nunc Christianum populum sibi acceptabilem, & bonorum operū sectatorem paucis blandis admonitionibus ad virtutes, velut pater amore alliceret. Quare rogatus à legis doctore, quod esset mandatum maximum in lege, respondit. DILIGENS DOMINVM DEVUM T V V M ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic. DILIGENS PROXIMVM T V V M S I C V T T E IPSVM. In his duobus mandatis vniuersa lex pèdet, & prophetæ. Nam tria prioris tabulae legis scriptæ præcepta de non colendo alio Deo corde, voce, & opere facile reuocatur, & perficiuntur, ad prius diligendi Dei mandatum legis gratiæ. Deus enim ita coli voluit solus ut non tam ceu Dominus exercituum timeatur, quām ut Pater misericordiarum diligatur, & in cogitatione, ex toto cordis consensu: & in voce, ex tota animæ intelligentia: & inopere, ex tota mentis intentione: ut qui Deum non amet super patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores ad huc autem & animam suam, non sit, Deo dignus. Reliqua vero, de non lèdendo alio homine, secundæ tabulae præcepta, posteriore diligendi Proximi mandato continentur, & consummantur. Qui enim diligit Proximum, legem adimplevit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc instauratur, Diliges Proxiunum tuū sicut

sicut te ipsum. Dilectio enim proximi malum non operatur. Plenitudo *Rom. 13. b.*
ergo legis Dilectio, & finis præcepti Charitas de corde puro, & cōscien-
titia bona, & Fide non ficta. Hæc enim demum illa est perfecta Charitas, i. Ioan. 4. b.
quæ foras mittit timorē, in qua qui manet, ex Deo natus, in Deo manet,
c. d. *mandata eius seruando, in quo & ipse Deus manet: & in hoc scimus,*
quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis. Talem enim Cha-
ritatem dedit nobis Pater, vnde omne datum optimum, & omne donum
perfectum, vt filii Dei nominemur, & simus: si conformati fieri velimus
imaginis Filii sui per gratiam illius. Qui cum dedit & velle, dabit & per-
ficeret pro bona voluntate: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornamus
Rom. 8. f.
Tit. 2. c.
in omnibus. In hoc enim apparuit gratia Dei, & saluatoris nostri omni-
bus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sacerularia de-
sideria, sobrietate, & iustitiae, & pie vivamus in hoc sacerulo, expectantes beatam
Spem, & aduentū gloriæ magni Dei, & Saluatoris Domini nostri IESU
CHRISTI: qui dedit femetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab
omni iniuitate: Cui laus, & gloria per infinita sacerulorum sacerula. Amen.

SECTIO TERTIA.

DE IIS, QVÆ SPĒ IN GLÓRIA PARA-
disi sunt expectanda, & in poena Inferni timenda.



LLIUS ædificii, in quo Spiritus Dei, tanquam in proprio templo habitat, coronis, & summa est ipsa Spes viua: in quam *i. Cor. 3. c.*
i. Petri. i. d. Deus secundū misericordiā suam magnā regenerauit nos per resurrectionem IESU CHRISTI à mortuis. Nam si *i. Cor. 3. c.*
Rom. 2. c. supra fundamentum Fidei opera Charitatis superædificans Christianus homo, secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, et incorruptionem quærens, non certò expectaret ex resurrectione mortuorum vitam æternam se tandem consequetur, inanis fuisset prædicatio *A-*
i. Cor. 15. postolorum, inanis esset & Fides nostra. Si enim in hac vita tantum, in *C*HRISTVM sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem non contristemur, sicut & cæteri qui spem non habent, sed potius inuicem consolemur in verbis istis. *Quia C*HRISTVS *i. Cor. 15. c.*
*resurrexit à mortuis, primitiæ Dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adā omnes moriuntur, ita & in C^HRISTO omnes vivificabuntur: vnuus quisq; autem in suo ordine: vt iusto Dei iudicio referat vnuus quisq; propria corporis, pro vt gesit, siue bonum siue malum. Quod autem, qualique utrumque sit, quis temere audeat definire. Non enim absq; Spiritu *Esa. 6. 4. b.*
i. Cor. 2. c. Dei oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus, iis qui diligunt illum. Verum enim verò quoniam non tantum Fidei, sed etiam eius, quæ in nobis est, Spei, omni poscenti rationem*

Hh reddere

^{sup.de.s.} reddere parati esse debemus (quod spectantes Patres iure decreuerūt tra-
^{Trin. 8.4.} denda ea etiam homini Christiano esse, quæ vel in gloria Paradisi spe-
^{i.Cor. 2.6.} lutaria. randa, vel in pœna Inferni essent timenda) non abs re fecerimus, si eo
^{i.Cor. 2.6.} freti Spiritu, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, paucula quæ-
^{Mat. 24.6.} dam de cōsummatione præsentis sæculi, & innouatione futuri ex infini-
^{Luc. 12.4.} tis illis sacrae scripture thesauris pro humilitate nostri ingenii depropria-
^{i.Tim. 2.6.} ta obiter in medium proferamus: quod alacriores boni spe præmiti usq;
^{i.Pet. 1.6.} in finem perseverent in bene operando: contrà mali certè vel timore
^{Philip. 3.6.} pœnæ aliquando retrahantur à male agendo: vt ita tandem omnes salui
^{Iohel. 2.6.} simus, reportantes iam nunc finem Fidei nostræ salutem animarum nos-
^{CONsum-} trarum, corporum autem nostrorum perfectam instaurationem in cō-
^{matio} ^{sæculi.}
^{Nau. 1.6.} sūmatione illa sæculi magna, horribili, & amara valde. Quando in tribu-
^{Mar. 13.6.} latione dierum illorum (qui tales erunt, quales nō fuerunt ab initio cre-
^{Matt. 24.} aturæ, quam condidit Deus usque nūc, nec fient) consurget gens in gen-
^{tem, & regnum in regnum: & erunt pestilentia, & fames, & terræmotus}
^{2.The. 2.6.} per loca: & multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, præser-
^{Dan. 11.} tim homo ille peccati, filius perditionis Antichristus, qui aduersabitur,
^{Matt. 24.} & extollebit super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in
^{Iohel. vlt.} templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Et dabit potestatem
^{Apoc. 11.} in multis, & terram diuidet gratuitò: & signa magna & prodigia secun-
^{ADVEN-} dum operationem Sathanæ, ita vt in errorem adducat, si fieri potest, etiā
^{2.The. 2.6.} electos. Quem tamen Dominus I E S V primùm publicè redarguet per
^{Iohel. 2.6.} Heliam, & Enoc: deinde verò etiā interficiet Spiritu oris sui, & destruet
^{2.The. 2.6.} illustratione aduentus sui, cum erūt signa magna de cœlo in Sole, Luna,
^{ADVEN-} & Stellis. Nam, Sol obscurabitur conuersus in tenebras, & Luna nō dabit
^{Luc. 21.6.} lumen suum conuersa in sanguinen, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes
^{Matt. 24.} cœlorum commouebuntur: in terris autem erit pressura gentium præ
^{Iohel. 2.} confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus, præ ti-
^{Luc.} more & expectatione eorum, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam &
^{Matt. 24.6.} tunc apparebit signū Filii hominis in cœlo, vnicus salus electorum, & iusta
^{2.The. 2.6.} damnatio reproborum, & plangent omnes tribus terræ: & videbunt
^{I E S V C H R I S T I:} Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & mag-
^{Matt. 24.} gestate, & cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, ^{Philip. 3.4}
^{Dare. 13.6.} qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri
^{i.Cor. 1.6.} I E S V C H R I S T I: qui pœnas dabunt in interitu æternas à fa-
^{Ps. 49.6.} cie Domini, & à gloria virtutis eius. Et mittet Angelos suos cum tuba, &
^{Apo. 1.6.} voce magna, & congregabunt electos à quatuor ventis, à summo terræ
^{Efu. 3.6.} usq; ad summum cœli. Videbunt inquam omnes C H R I S T V M glo-
^{Efu. 3.3.} riosum, impii, vt videntes in quem transfixerunt, confundantur zelantes, & plangent se super eum omnes tribus terræ: electi verò vt gau-
^{ignis} deant videntes regem in decore suo. Tunc vniuscuiusq; opus manifes-
^{Hh. 2 altera} tum erit. Dies enim Domini declarabit, qui in igne reuelabitur. Nam

ignis in conspectu eius exar descet, & in medio eius tempesta valida: tūc
^{Ps. 49.6.} vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod
^{i.Cor. 15.8.} super fundamentum Fidei ex charitate ædificauit, mercedem accipiet. Si
^{Iohel. 3.4} cuius opus arserit, detrimentū patietur. Nā omnes quidem resurgemus,
^{Matt. 19.2.} sed nō omnes immutabimur. In momēto, in iētu oculi, in nouissima tuba
^{Sap. 13.} (canet enim tuba mortuos aduocās ad iudicium) mortui resurgent corpore
^{i.Cor. 15.8.} incorrupti. Et cōgregabuntur omnes gentes, & deducētur in vallē Iosa-
<sup>phat, & disceptabit Dñs cum eis, assidentibus & approbatibus Apostolis
& sanctis, qui relictis omnibus sequuti sunt eū, & omnibꝫ siue bonis, siue
malis damnatorum peccata cognoscentibus, reuelante Domino abscon-
dita tenebrarum & pudenda malorum in facie eorum. Cuius iusto iu-
dicio ibunt iniusti in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternā.
Non enim amplius tertius ille purgandi futurus est locus, quo nunc iu-
storum spiritus, qui cum læuioribus peccatis decesserint, aut grauiorum
condignam satisfactionem ex pœnitentia non fecerint (vt salui fiant, sic
ramen quasi per ignem) acerbissimè corporeo etiam igne iustitiae Dei in
strumento affliguntur, & torquentur ad certum & pro demeritis defi-
nitum tempus, (nisi illud vel suffragia piorum operum, vel indulgentia
Pontificum Petri successorum ex dispensatione thesaurorum Ecclesiæ
præoccupat, aut anteuerterint) ne vel malum impunitum, vel negli-
gentia cuiquam profutura videretur. Itaq; præsenti sæculo per ignem
consummato, & absoluto extremo per C H R I S T V M iudicio, & exe-
quuta per Angelos sententia, innouabitur vniuersum, & in meliorem
statum instaurabitur depuratum ab omni fece, imperfectione, mistione,
& mutatione. Nam & cœlum quiēscet nulla inferorum futura mistio-
ne, & generatione: & erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septupli-
citer, sicut lux septem dierum, & elementa (quorum omnis miscella in
commodum & gratiam hominis animalis per mutuam eorum actionē
& coitionem in cōpositis rebus inserta est) eatenus depurari, & incor-
ruptibilia fieri conueniet, quatenus cum homine iam spirituali & incor-
ruptibili pro captu naturæ concordet per virtutem Domini nostri I E S V C H R I S T I, qui conformabit corpus humilitatis nostræ configu-
ratum corpori claritatis suæ: vt ita tandem miro vniuersi concentu suis
quæq; finibus gradatim respondeat destinata. Omnia enim nostra sunt,
nos autem C H R I S T I, C H R I S T V S autem Dei. Mundo per virtu-
tem C H R I S T I innouato, iam alterum illud appetet sæculū, ubi nul-
lus amplius operandi, aut merendi locus, sed vel pro vita bœna facta in Pa-
radiso gloria, vel pro vita male acta in Inferno Pœna. Erit enim Gloria,
honor, & Pax omni ei qui operatus fuerit bonum, contra Tribulatio &
angustia in omnem hominem, qui operatus fuerit malum. Illa est æterna
electorum fœlicitas, hæc perpetua reproborum miseria. Illa, illa est bo-
norum operum merces copiosa in cœlis, quæ nos Deo ipſi, qui nostra illa</sup>

Christiani hominis

Gen. 14.2 altera merces est magna nimis, coniungit & mirificè vnit. Nam in gloria GLORIA eam potissimum coronam intelligimus, quæ legitime certanti pro meritis ex gratia vt brabium donatur. Non enim alias sunt condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis ex sepe Rom. 8. d. tem illis glorioſi hominis dotibus. Quarum tres animam mira concinnitate consummabūt, quatuor verò corpus decentissima elegantia immutabunt: vt ita demum septenario virtutis, respondeat septenarius beatitudinis. Quandoquidem tribus Theologicis virtutibus, quibus ipse per se spiritus maximè Deum, vt cuius summum bonū in via spectabat, tres illę debet in patria dotes: in quibus potissima & prima fœlicitatis tres A N I M I animæ, mentis, corporis potentias perficientis ratio consistit. Nempe firmè Fidei, clara Dei visio: quæ intellec̄tum omnibus suis numeris absoluens, similem Deo reddit, Deū totū omnis veri & causam, & exemplar, sicuti est, per Sapientiam Filii facie ad faciem videndo: Ardentis charitati, immensa illa Dilectio, quæ voluntatem mirificè consummans liberum in bono arbitrium confirmat, Deum omniū bonorum thesaurum, qui nimo ipsissimum bonū ex charitate Spiritus sancti enixissimè diligendo. Viuæ Spei, adhærens Deo fructu: quæ ambas superiores potentias simul cum memoria excolens, citra tedium satiat, Deum omnis entis principium & finem per potentiam Patris pro captu comprehendendo.

C O R P O Ad Cardinales autem quatuor virtutes cōmodè corporis dotes quatuor ris gloriæ referuntur. Nam quia spiritus dū adeo peregrinabatur in corpore mortali, huiusmodi virtutibus & sibi & Proximo consulens, continuò habuit corpus bonorum agendorum quadantenus cōfors, malorum autem patiēdorum maxime particeps, merito gloria ipse redundans, suis & gloriæ dotibus concors corpus dotabit. Ita quod seminatum fuerat paſſibile in corruptione, surget ex fortitudine impaſſibile in incorruptione: quod seminatum fuerat obſcurum in ignobilitate, surget ex prudentia clarū in gloria: quod seminatum fuerat tardum in infirmitate, surget ex temperantia agile in virtute: quod seminatum fuerat obtusum & animale, surget ex iustitia subtile & spirituale: vt corpus non amplius aggraueat animam, aut terrena inhabitatio ſenſum deprimat, ſed obſequatur, & obediat conforme illi & quaſi factum congeneū, & in ſenſu ſeſcundū impaſſibilitatem & claritatem, & in motu iuxta agilitatem & subtilitatē. Quo tandem modo vbi vtraq; pars ſuo perfecta fuerit numero, animus Diuitiatis imago, ternario, corpus Naturæ opus, quaternario: iam totus redetur homo ſuo ſepenario verè consummatus: ac terq; quaterq; beatus. Quantus autē Beati futurus eſt honor? quem Regem, ſacerdotem, et filium Dei in regno cœlorum conſtitutum Deus Pater in excelsis benedicens glorificat, Deus Filius conſitetur coram patre, Deus Spiritus bonus deducit in terram rectam: tres deniq; personæ ad eum veniunt, & māſionē apud eum faciunt, vni carū effientæ coniunctū & mirifico glutine copulatū.

Quem

Pia institutio.

Quem Seraphim amore inflāmant, Cherubin sapiētia illustrant, Throni Dyonis de æquitate adornāt, Dominationes prēlatione ſubleuant, Principatus regi- celeſt. Hierar. mine coronant, Potestates facultate confortant, Virtutes viribus corroborant, Archangeli mysteriis illuminant, Angeli ministerio iuuant: Cui Beati cuncti foeliciter congratulantur, damnati singuli miserè inuident, vniuersa deniq; ouanter applaudunt. Iam verò quanta ea sit futura Pax, propter quam iubetur Hierusalem laudare Dominum, laudare Deū ſuū Ps. 147.4. Sion, qui eius ſines posuerit pacem, quis, nō dicam dicendo, ſed vel cogitando, aliqua ex parte ſe poſſe attingere ſperet? Finge quantancunq; cōcupiſcas cū Epicureis corporis voluptatem, finge quantancunq; deſideres cū Stoicis animi tranquillitatē, finge quantancunq; optes cū Academicis totius hominisvenustatē, finge quantacūq; appetas cū Peripateticis omniū bonorū fœlicitatem, hoc quicquid eſt, quantum, aut quale eſt, ad illam Dei pacem, quæ exuperat intellectum non modo humanū, ſed etiā Phil. 4. b. Angelicum, ſed deniq; omniē prēter diuinum. Cuius Beati pro ſuo ipſorū Luc. 20. f. modo in ſpiritu intelligibiliter, in corpore ſpiritualiter facti participes, in æternum abſq; terrore requieſcent, & abundantia perfruētur timore Prou. 6. d. malorum ſublato, ſummam cum aliis in ſe iſpſis, inter ſe, & cū Deo ipſo pa- cem, quantum eorum ſummum & perfectum eſt, obtinenteſ, tam beati i.c. 13.6 omnes, quām quisq; eſſe volet. Cū itaq; tanta ſit futura beati gloria, tan- tus honor, tanta pax, quantum contra ceneſas fore miferorum ignomi- Rom. 2. c. niam, tribulationem & anguſtiam? Hic mihi ſcribenti manus tremit, di- cēti lingua balbutit, cogitanti ratio opprimitur. O nimiū, & toto lachri- Ioan. 1. marū fonte deploranda iſtorum conditio, iuſta tamen: qui cū Potuerint Luc. 20. f. in lucidifimo cœlorum supremo æquales pulcherrimis angelis, filii Dei, Matt. 22. b. ſumma cum gaudiorum iucunditate, in æternum fœliciter viuere, malu- Matt. 25. c. erint tamē in tenebris oſſiſimo terre centro ſimiles teterimis dēmoniis, Eſai. 66. ferui Luciferi, indicibilium tormentorum moleſtia, perpetuo misere- Matt. 9. mori. Ibi enim vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extin- Eſai. 5. a. guetur. Nā mens delicti conſcia mœroris verme continuo rodetur, me- Os. 13. c. mor vnde ſæpe à Deo retenta, volens exciderit, & quod ſponte ſua ſæpe à Apo. Deo tardata inciderit: & corpus concupiſcentiis redundant, vindice igne indeſinenter aduretur, ad ſolos cruciatus in æterna morte ſemper viuū, Eſai. 30. b. quod ad bona opera in temporali vita fuit aliquando mortuum. Atq; ita torus homo in terra tribulationis & anguſtię ad hoc mifer redintegrabitur, vt iteratis beluarū morsibus attrectetur, vt rediuuiſ flammarum in- cendiis concremetur, vt redeuntibus tempeſtatum iniuriis affligatur, vt repetitis corporis defectibus debilitetur. Nulla rēquies dabitur miferis. Omnia ibi mala, & cuncta tormentorum genera. Mors immortalis, de- fectus indeficiens, finis infinitus. A qua nos Deus per ſuam immensam misericordiam liberet & perducat in vitam æternam. Amen.

FINIS.

Hh 3

INDEX RERUM MEMORABILIVM QVAE IN PIA INSTITUTIONE CHRISTIANI

HOMINIS CONTINENTVR.

A	Cedia.	pag. 234	Credo prima nox est hominis Christiani.	pag. 214
	Ad superbia incidimus in ignorantiam.	pag. 213	Credere Deum cognoscens est.	pag. 214
	Adoratio triplex.	pag. 228	Credere in Deum esse amantis.	pag. 214
	Adoratio Latrie quibus exhibenda.	pag. 228	Credendum Deum esse unum in essentia, et trinum in personis.	pag. 215
	Adulatio.	pag. 234	Credendum Deum Patrem cum Filio et Spiritu sancto creasse ex nihilo cuncta, et eadem gubernare.	pag. 215
	Adulterium.	pag. 232	Cupiditas rei alienae.	pag. 235
	Adulterij poena.	pag. 238	Cupiditas radix malorum omnium,	pag. 235
	Antichristi aduentus.	pag. 234	D	
	Appetitus quando errat.	pag. 214	Decalogi explicatio.	pag. 227
	Articulus fidei quomodo credendum.	pag. 233	Decinuarum soluta.	pag. 230
	Avaritia.	pag. 231	Defensio sui ipsius quando licita.	pag. 231
	Auctoritate propria nihil statuendum.	pag. 231	Denarius numerus uniuersitatis.	pag. 227
B	Baptismate spiritualiter nascimur.	pag. 222	Deriso.	pag. 234
	Baptismatis materia, et forma.	pag. 222	Deratio.	pag. 234
	Beatus homo quis sit.	pag. 222	Deuotio.	pag. 234
	Beatus confinnata.	pag. 223	Deus intra omnia est non inclusus, extra omnia non exclusus.	pag. 214
	Beatorum conditio.	pag. 241	Deus uerè est, et quo res omnis habet quod est.	pag. 214
	Benignitas.	pag. 235, 231	Deus sine quantitate magnus est, sine qualitate bonus.	pag. 214
	Blasphemia.	pag. 219	Deus secundum naturam indiscretus, secundum proprietates inconsitus.	pag. 214
	Bona externa absolute dici bona.	pag. 231	Deus essentia unus, personis est Trinus.	pag. 214
	Bonum triplex.	pag. 234	Deus quo modo dicitur esse in celis.	pag. 224
C	Ceremonie Ecclesie, et festa.	pag. 230	Dei filius.	pag. 216
	Calumnia.	pag. 234	Dei nomen.	pag. 224
	Carnem cur conueniat per Dei iudicium induere incorruptionem, et immortalitatem.	pag. 223	Deiregnum.	pag. 225
	Castitatis gradus.	pag. 232	Deus quomodo adorandus.	pag. 227
	Censores alienæ uitæ.	pag. 234	Dei uoluntas.	pag. 225
	Charitas quorum sit.	pag. 213	Diuinarum personarum attributa, et appropriata.	215
	Charitas quomodo uoluntatem accendat.	pag. 213	Dominis tum bonis, tum etiam discolis que reverentia debatur.	pag. 237
	Christiani sermo qualis.	pag. 229	Domini aduentus.	pag. 238
	Christiani mali quomodo in Ecclesiæ confortio retinentur.	pag. 222	Dotes glorioſi animi, et corporis.	pag. 240
	Christus in a summis in se connectit.	pag. 219	E	
	Christus mediator.	pag. 216	Ecclesia caput Christus.	pag. 219
	Christus quomodo est conceptus.	pag. 216	Ecclesia Christi corpus.	pag. 219
	Christi nativitas.	pag. 217	Ecclesia convocatione esse uero.	pag. 220
	Christi cur pati uoluit.	pag. 217	Ecclesia regnum partum in celis est, partum in terris.	222
	Christi corpus in monumento positum non minus erat coniunctum Diuinitati, quam anima.	pag. 218	Ecclesia Catholica quomodo sit una.	pag. 221
	Christi cur descendit ad inferos.	pag. 218	Ecclesia corpus uisificatum ab Spiritu sancto.	pag. 221
	Christi resurrectio.	pag. 218	Ecclesiæ catholicæ esse sub uno Pastore, et sub una Cathedra.	pag. 221
	Christi ad celos ascensus.	pag. 219	Ecclesia cur dicitur Catholica.	pag. 221
	Christum sedere ad dexteram Dei Patris quo intelligendum.	pag. 219	Ecclesia caput Christus.	pag. 222
	Christus caput est super omnem Ecclesiam.	pag. 219	Ecclesia in quibus triumphet.	pag. 222
	Christi ad iudicandum aduentus.	pag. 220	Ecclesia cum quibus militet.	pag. 222
	Concupiscentia uxoris alienæ.	pag. 234	Ecclesia membra que.	pag. 222
	Confirmatio.	pag. 222	Ecclesia confortio qui homines priuantur.	pag. 222
	Consentientes quando pari pena puniendi.	pag. 233	Ecclesia malignantium ex quibus sit congregata.	pag. 222
	Constitutionum, et consuetudinum obseruantia.	pag. 230	Ecclesia ceremonie, et festa.	pag. 230
	Credendum ut ecclesia intelligamus.	pag. 213	Elias et Enoc redarguerunt Antichristum.	pag. 238

Index.

Eucharistia.	Manuetudo.	pag. 237
Extrema uincio.	Mariæ illeſa uirginitas.	pag. 217
F	Maria virgo cur desponsata fuit Ioseph.	pag. 217
Falsum testimonium.	Matrimonij institutio.	pag. 203
Fides Spes et Charitas, sola hæc religione sequenda.	Mendacium esse prohibitum.	pag. 234
Fides quomodo instruat intellectum.	Meſias.	pag. 215
Fides quorum sit.	Misericordie opera corporalia.	pag. 220
Fidei humilitate redimus ad Deum.	N	
Fides quid sit.	Nomen Dei.	pag. 224
Fides fundamentum aliarum uirtutum.	Nature lex.	pag. 227
Filius semper natus.	Noſe legis cum ueteri collatio.	pag. 227
Fornicatio que mala secundum afferat.	O	
Furtum.	Occisio cum uetatur, multa alia prohiberi.	pag. 231
G	Occisio quando permititur.	pag. 231
Gloria.	Odium.	pag. 231
Gula.	Opera misericordiae corporalia.	pag. 220
H	Oratio primum et precipuum fidei opus, et quedam illius conjunctio.	pag. 226
Honor cui debeatur.	Oratio Dominica quo petiones continet.	pag. 226
Honoramus parentem uelut alterum quandam Deum.	Ordo sacer.	pag. 223
Humilitas.	Ordinum sacerorum gradus.	pag. 223
Hyperdulia quibus exhibenda.	P	
Hypocrisia.	Panis supersubstantialis.	pag. 225
I	Parentes qui.	pag. 230
Iesus.	Parentes in dilectionis gradibus obtinere proximum a Deo locum.	pag. 230
Iesus uetus apud Patrem ab eterno in Deum, in tempore ex matre in hominem, ut et Sacerdos est, et Rex.	Parentibus que debeatutur.	pag. 230
Imaginibus Sanctorum quis honor debeatur.	Pater uelut alter Deus honoratur.	pag. 217
Impietas.	Pater ab eterno generans.	pag. 213
Incarnatione uerbi totius Trinitatis fuit opus, carnis tamquam assumptio filius Filii.	Patientia.	pag. 213
Indulgencias ualere ijs qui sunt in Purgatorio.	Peccati initium superbia.	pag. 219
Infidelitas.	Peccato a Christo disungitur.	pag. 222
Iniurie potentium quomodo punienda.	Peccatorum remissio.	pag. 222
Inimicorum dilectio.	Periurium.	pag. 229
Inuidia.	Pietas.	pag. 223
Ira.	Pœna malorum.	pag. 223
Judicabit Christus uiuos, et mortuos.	Pœnitentia.	pag. 223
Judicij diem, et horam nemo scit.	Pœnitentie partes.	pag. 223
Judicij horam posuit Pater in sua potestate.	Potestates esse a Deo.	pag. 231
Judicium supremum.	Præcepta decem efficere uniuersum quoddam.	pag. 227
Instrumentum quatenus licitum.	Præcepti finis.	pag. 237
L	Præceptum primum quid continet.	pag. 228
Latria.	Præcepto secundo prohibita.	pag. 228
Latria quibus exhibenda.	Præcepto tertij explicatio.	pag. 229
Lex Diuina.	Præceptum quartum primum obtinet locum in secunda tabula.	pag. 230
Lex naturæ.	Præcepto quinto quid uetetur.	pag. 231
Lex lata.	Præcepto sexto que prohibita.	pag. 232
Legis nouæ cum ueteri collatio.	Præcepto septimo que prohibita.	pag. 232
Lex membrorum.	Præcepto octauo prohibita.	pag. 233
Liberalitas.	Præcepto nono prohibita.	pag. 234
M	Præcepto decimo prohibita.	pag. 235
Maledicentia.	Præmium et pena erunt in iudicio pro ratione uitæ antitactæ.	pag. 223
Malorum conditio.	Præmium bonorum.	pag. 223
Malos affligendos corpore igne.	Proximus.	pag. 277
Mandata seruanda.	Pseudo propheta surgent in iudicio.	pag. 238
Purgatorium.	Purgatorium.	pag. 239

Index.

R

- Redemptio humani generis Trinitatis opus, cur Filio potissimum aptetur. pag. 216
 Religione tria sola sequenda sunt, Fides, Spes, Charitas. pag. 213
 Reliquijs Sanctorum qui honores debeantur. pag. 228
 Restitutio quorum sit. pag. 233
 Resurreccio omnium qualis futura. pag. 239
 Resurreccio Christi. pag. 218
 Resurreccione comprobauit Gentibus Christus se esse Deum. pag. 218
 Resurreccio carnis. pag. 223

S

- Sabbati die que fieri prohibita. pag. 229
 Sabbati in diem Dominicum commutatio. pag. 229
 Sabbati sanctificatio. pag. 229
 Sacraenta cur instituta in rebus externis. pag. 223
 Sacramentorum uis. pag. 222
 Seculi consummatio. pag. 238
 Seculi futuri innovatio. pag. 238
 Sanctorum communio. pag. 222
 Sanctis, & eorum imaginibus, reliquijs, & templis qui honores debeantur. pag. 228
 Septenarius numerus est perfectionis. pag. 225
 Septenarius numerus beatitudinis. pag. 227
 Septenarius virtutis. pag. 240
 Signa que apparetunt in aduentu Domini. pag. 238
 Spes uia que. pag. 237
 Spes quorum sit. pag. 213
 Spes quibus fruatur. pag. 213
 Spiritus unus est in uniuerso corpore. pag. 221
 Spiritus quomodo membra uiuiscet, & moderetur. pag. 221

F I N I S .

- Spiritus sanctus aduocatus est, & consolator. pag. 222
 Spiritus sanctus unus. pag. 222
 Spiritus sancto inspirante loquuntur sancti Dei omnes. pag. 221
 Spiritum supra naturam per gratiam in eternū uiuere, per peccatum mori. pag. 223
 Suffragia ualere ijs qui sunt in Purgatorio. pag. 239
 Superbia. pag. 237
 Superbia initium peccati. pag. 231
 Symboli Apostolici summa. pag. 214

T

- Tabula prima quid continetur. pag. 227
 Tabula secunda quid continetur. pag. 227
 Tabule duæ Moysæ legis. pag. 227
 Tarraconensi prouinciali constitutione statutum est, ut sex in compendium Christianæ doctrine redigerentur. pag. 213
 Temperantia. pag. 235
 Temporis Sanctorum qui honores debeantur. pag. 228
 Teretrius numerus Diuinitatis. pag. 227
 Testimonium falsum. pag. 233
 Tolerantia iniuriarum. pag. 231
 Trinitatis opera esse indiscreta. pag. 215

V

- Verbum oculos. pag. 234
 Vindicta. pag. 231
 Virginitas Marie. pag. 217
 Vita spiritus corporali nititur. pag. 233
 Vita eterna que. pag. 225
 Vota. pag. 229
 Vota impia non esse facienda. pag. 229

205

EPILOGVS CHRISTIA-

NAE DOCTRINAE IVXTA DISPOSITIO-
nem Constitutionis incipientis [Saluti animarum] insertæ
 in titulo de summa Trinitate & fide catholica: val-
 de vtilis & necessarius cuilibet christiano.
 Quem omnes pro speculo te-
 nere debent.

PRIMA, SVNT HÆC QVÆ
unusquisque scire tenetur.

- Articuli fidei.
 Oratio dominica.
 Duo præcepta legis naturæ.
 Decem præcepta legis scriptæ.
 Duo præcepta legis gratiæ.
 Decem præcepta legis canonice.
 Septem sacramenta ecclesiæ.

DEFINITIO ARTICVLI FIDEI.

- Articulus fidei, est inuisibilis veritas de Deo nos arctans ad credendum.

ISTI SVNT DVO PRAECEPTA
articuli fidei secundum. 12. Apostolos.

PETRVS. Credo in Deum patrem omnipotentem: creatorem cœli & terræ. ANDRAEAS. Et in Iesum Christum filium eius unicum dominum nostrum.

IACOBVS MAIOR. Qui conceperit de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

IOANNES. Pausus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

THOMAS. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

IACOBVS MINOR. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotens.

PHILIPPVS. Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.

BARTHOLO. Credo in Spiritu sanctu, MATTHAEVS. Sanctam ecclesiam catholicā, Sanctorum communionem.

SIMON. Remissionem peccatorum.

THADAEVS. Carnis resurrectionem.

MATHIAS. Et vitam eternam. Amen.

Ista est oratio dominica que continet
in scriptis petitiones.

1. Pater noster, qui es in cœlis, sanctifi-
cetur nomen tuum.
2. Adueniat regnum tuum.
3. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, &
in terra.

4. Panem nostrum quotidianum da
nobis hodie.

5. Et dimitte nobis debita nostra, sicut
& nos dimittimus debitoribus nostris.

6. Et ne nos inducas in temptationem.

7. Sed libera nos à malo. Amen.

ISTA SVNT DVO PRAECEPTA
legis naturæ.

Omnia quæcumque vultis vt faciant vo-
bis homines: & vos ea facite illis.
Quod tibi oderis fieri, alteri ne feceris
ali quando.

ISTA SVNT X. PRAECEPTA
legis scriptæ.

1. Non habebis deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Dei in vanum.
3. Memento vt dié sabbati sanctifices.
4. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longævus super terram.

5. Non occides.

6. Non mœchaberis.

7. Non furtum facies.

8. Non dicas aduersus proximum tuū
falsum testimonium.

9. Non concupisces rem proximi tui.

10. Non desiderabis vxorem eius.

ISTA SVNT DVO PRAECEPTA
LEGIS GRATIAE.

1. Diliges dominū Deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex to-
ta virtute tua, & ex omnibus viribus tuis.

2. Diliges proximū tuū sicut te ipsum.

ISTA SVNT X. PRAECEPTA LE-
GIS CANONICE.

1. Præceptum de ieunijs obseruandis.

2. De festis colendis.

3. De missis audiendis.

4. De decimis soluendis.

5. Quod omnis viriusque sexus, post-
Dd quam

Doctrinæ Christianæ

quam ad annos discretionis peruererit
confiteatur omnia peccata sua proprio
sacerdoti.

6. Quod communicet semel in anno:
falsum in Pascha.

7. Quod non comedat carnes certis
diebus.

8. Quod in diebus ieiuniorum abstineat
à quibusdam cibarijs.

9. De temporibus quibus interdictæ
sunt nuptiæ.

10. Quod debirum coniugale non pe-
tatur certis diebus vel temporibus.

ISTI SVNT DIES IEIUNIORVM.

Tota quadragesima. SCILICET, à
die cinerū usque ad sabbatum sanctū: ex-
ceptis diebus dominicis.

Quatuor tempora anni. SCILICET,
Vernale in prima hebdomada quadrag.

Aestivale prima hebdomada post pen-
tecostem.

Autunale tertia hebdomada Septembri.
Hyemale sabbato ante vigiliam nativitatis domini.

Vigilia Natalis domini,
Pentecostes,

Assumptionis beatæ Mariæ virginis,
Omnium Apostolorum; preterquam
Philippi & Iacobi; & sancti Ioannis Eu-
gelistæ.

Nativitas S. Ioannis Baptiste,
Sancti Laurentij.

Omnium sanctorum.

ISTI SVNT DIES FESTI
colendi.

Nativitas Domini nostri Iesu Christi.
Sancti Stephani prothomartyris.

Sancti Ioannis Evangelistæ.
Sanctorum Innocentii.

Circumcisionis Domini nostri Iesu Christi.
Epiphaniæ eiusdem.

Paschæ cù duobus diebus sequentibus.
Ascensionis Dñi nostri Iesu Christi.

Pentecostes cù duobus diebus sequen-
tibus.

Solemnitas corporis Christi.

Nativitatis, Annunciationis, Assumptionis,
& Purificationis beatæ Mariæ virginis

Dei genitricis.

Nativitas sancti Ioannis Baptiste.

Duodecim apostolorum.
Sancti Laurentij martyris.

Sainte Teclæ virginis & prothomartyris.
Dedicationis sancti Michaelis.

Sancti Francisci confessoris.

Solemnitas omnium sanctorum.

Sancti Martini episcopi & confessoris.

Inventionis sanctæ Crucis.

Dies dominicales.

Festivitates quas flaguli Episcopi suis
episcopatus vel diaconibus laudauere.

ISTA SVNT FESTA MOBILIA.

Dominicæ septuagesimæ, sexagesimæ,
50. 40.

Dies Cinerum.

Dies sanctus Paschæ.

Ascensio Domini nostri Iesu Christi.

Pentecostes.

Solemnitas Corporis Christi.

Initium Aduentus Domini.

ISTUD EST INITIVM AD-
VENTUS DOMINI.

Prima dominica Aduentus Domini est
ea quæ inter. 5. Kalendas Decembri & 3. No-
nas eiusdem contingit haberi.

Ita prima dominica Aduentus est ea quæ
cadit propinquior festo sancti Andreæ
Apostoli.

ISTUD EST INITIVM SEPTUAG-
ESIMA.

A festo stellæ numerando perfice lunam,
Post quadraginta dies ibi septuagesima
fiat.

Si cadit in lucem Domini suppone se-
quentem.

Biflexus quando fuerit superadditur
vnum.

ISTE EST TERMINVS PASCHÆ.

Primo nonas martij vbi sit noua Luna
require.

Tertialux Domini proximum pascha fiet.

DIES IN QVIBVS EST AV-
dienda missa sunt.

Dies dominici: & dies solennes ab ecclæ-
sia constituti.

ISTIS DIEBUS NON SVNT
comedenda carnes.

Die

Doctrinæ Christianæ

Diebus ieiuniorum.

Sexta feria & sabbato vbi est consuetu-
do, diebus ieiuniorum abstineendum est
ab his cibarijs.

A carnibus generaliter.

Ab ovis regulariter.

A lacticinijs in quadragesima.

In alijs ieiunijs coluetudo terræ.

ISTIS TEMPORIBVS SVNT
interdictæ nuptiæ.

Ab aduentu vñq; ad Epiphaniam.

A septuagesima vñq; ad octauas paschæ.

A tribus diebus rogationum vñq; ad iep-
tum diem post Pentecosten.

ISTIS DIEBUS NON LICET
exigere debitum coniugale.

Diebus festorum.

Diebus ieiuniorum.

Diebus procelsionum.

Tribus diebus ante facram communio-
nem ad manus.

Tempore pregnatus si est periculum
abortus.

Tempore purificationis post partum.

Tempore menstrui naturalis.

ISTA SVNT 7. SACRAMENTA
ecclesiæ.

1. Baptismus.

2. Confirmatio.

3. Eucharistia.

4. Poenitentia.

5. Extrema vñctio.

6. Ordo.

7. Matrimonium.

ISTA SVNT SACRAMEN-
ta non reiteranda.

Baptismus.

Confirmatio.

Ordo sacer.

ISTA SVNT SACRAMENTA
que possunt reiterari

Eucharistia.

Poenitentia.

Extrema vñctio.

Matrimonium.

ISTA SVNT 7. ORDINES
ecclesiæ.

8. Ordinarius.

2. Lector.

3. Exorcista.

4. Accolitus.

5. Subdiaconus.

6. Diaconus.

7. Prebyter.

ISTAE SVNT 3. POENITEN-
tie partes.

Cordis contritio. Oris confessio.
Operis satisfactio.

ISTAE SVNT CONDITO-
nes confessionis.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Vera, frequens, nuda, discreta, libens, ve-
recunda.

Integra, secreta, lachrimabilis, accele-
rata.

Fortis & accusans: sed sit parere parata

ISTI SVNT 7. CASVS POENI-
tentiales Papales.

Vendentes: deferentes: vel transmitten-
tes galeas vel naues: arma: ferrum: ligna-
mina: seu virtualia Sarracenis ad impug-
nandum Christianos.

Exercentes gubernationem in nauibus
pyraticis Sarracenorum.

Impendentes auxilium vel consilium in
dispendium terræ sanctæ.

Infectores: persecutores aut captores
cardinalium vel socii facientis: seu mā-
datoris: vel rata habens præmissa & consi-
lii aut fauore præmissis præstas: aut acce-
ptator vel defensor cōmittētis præmissa.

Qui percussit: ceperit vel bāniterit E-
piscopū: vel haec fieri mādauerit: aut fa-

cta rata habuerit: vel socii fuerit facie-
tis: seu consiliū vel fauorem dederit aut
facientem defensauerit.

Verberans clericum enormiter.

Excommunicatus à Papa nominatim.

Participans tali in crimine.

Excommunicatus à delegato Papæ elapsio
anno latæ sententiae.

Incēdiarius quicunq; denūciatus.

Effractor ecclesiaz vel loci religiosi de-
nunciatius.

Falsificans literas Papales.

Vtens sc̄iēter falsis bulis Papalibus.

Decoquens vel scidens corpus alicuius

de

vetus Epilogus.

defuncti pro ossibus transferendis.
Inquisitores hæresis, odio, gratia, amore,
vel lucro contra iustitiam vel coniuer-
tatem omittentes procedere cōtra ali-
quem.

Inquisitores huiusmodi simili odio, gra-
tia, vel lucro contra iustitiam vel con-
scientiam alicui hæresim imponentes.
Inquisitores huiusmodi aliquid imponē-
tes per quod impedire habeat officium
inquisitionis.

Qui occasione sententiæ excommunicati-
onis, suspensionis & interdicti latæ dat
licentiam grauandi eos qui tulerūt eam,
vel suos in personis vel rebus.

Cogentes celebrari in loco interdicto.
Ecclantes excommunicatos vel inter-
dictos ad diuinæ officia.

Prohibentes ne tales admoniti exeat.
Excommunicati vel interdicti admoniti
non exeuntes quando celebrantur diuina
officia.

Religiosi absq; licetia diœcesani, vel pro-
prii iacerdotis aut illius vicarij solenni-
zantes matrimonia.

Religiosi abilq; licentia suprascripta mi-
nistrantes iacramēta Eucharistiæ, vel ex-
tremæ vñctioñis.

Religiosi aboluentes excommunicatos
à canone vel à statutis synodalibus in
casibus non concelsis.

Religiosi aboluentes à pœna & à culpa
abiq; facultate apostolica.

Clerici & religiosi in dœcetes ad vouédu
iuradū vel promittendū de eligēdo apud
eos iepulitura, vel iam electam mutando.
Comutatio voti hierosolymitani.

Communitatio voti visitationis liminum
Apostolorum Petri & Pauli.

Comutatio voti S. Iacobi in cōpostella.
Item reliqui casus quos Papa sibi refer-
rat ipecialiter.

ISTAE SVNT CASVS POE-
nitiales episcopales.

Peccatum clerici per quod incurrit
irregularitatem.

Incendiarij quicunq; non denunciati.
Effractores ecclesiastarum vel aliorum lo-
corum religiotorum non denunciati.

Crimen pro quo indicenda esset solen-
nis poenitentia.

Excommunicati excommunicatione ma-
iori: exceptis suprascriptis & alijs ad Pa-
pam pertinentibus.

Homicidæ voluntarij.

Falsarij.

Violatores ecclesiasticæ immunitatis.

Violatores ecclesiasticæ libertatis.

Sacrilegi.

Comutatio votorum præterquā supra-
scriptorum.

Dispensatio incertorum.

Reliqui casus quos sibi referuant diuer-
si Epicopi in suis episcopatibus.

IN QVO CAVS SIT INDICEN-
da solennis poenitentia.

Pro crimine publico & vulgatissi ma-
per totam urbem, vel alium locum.

ISTAE SVNT. 7. DONA SPIRI-
tus Sancti contra 7 peccata mortalia.

Donum sapientiæ, Contra luxuriam.

Donum intellectus, Contra gulam.

Donum confitū, Contra auaritiam.

Donum fortitudinis, Contra accidū.

Donum scientiæ, Contra iram.

Donum pietatis, Contra inuidiam.

Donum timoris, Contra superbia.

ISTAE SVNT. 7. SPECIES
timoris.

Timor mundanus.

Timor humanus.

Timor naturalis.

Timor ferulæ.

Timor initialis.

Timor filialis.

Timor reuerentialis.

ISTAE SVNT QVAE SCIRE
debet quilibet clericus.

Legere competenter.

Accentuare congruenter.

Et faltem lecta grammaticaliter intelli-
gere.

ISTAE SVNT QVAE SCIRE
debet quilibet sacerdos.

Materiam & formam qua cōficitur cor-
pus Christi.

ISTAE SVNT QVAE SCIRE TE-
netur quilibet curatus.

Formam

vetus Epilogus.

Formæ & materiam baptismi & extre-
mæ vñctioñis.

Et alia quæ ad curam pertinent.

ISTAE SVNT QVAE SCIRE
debet quilibet confessor.

Discernere inter lepram & lepram.

ISTAE SVNT QVAE SCIRE
debet quilibet predictor.

Proponere verbum Dei ad ædificationē.

ISTAE SVNT QVAE SCIRE
tenetur quilibet Episcopus.

Soluere difficultates veteris & noui te-
stamenti, aut secum habere hæc scientē.

ISTAE SVNT AD QVAE
tenetur perfecti.

Obedientia prompta.

Paupertas voluntaria.

Castitas integra.

ISTAE SVNT PRINCIPALES
intimi hominis.

Dæmon. Mundus. Caro.

ISTAE SVNT. 3. VIRTUTES
Theologie.

Fides. Spes. Charitas

ISTAE SVNT. 4. VIRTUTES
cardinales.

Prudentia.

Iustitia.

Foritudo.

Temperantia.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes premissorum.

Fides est perceptio in rari sine eārum
cognitione.

Spes est virtus qua æternæ vitæ patiēter
præmium expectamus.

Charitas est Dei & proximi dilectio.

Prudentia est bonarum rerum atq; ma-
larum verarumq; discretio.

Iustitia est virtus singula secundum iusti
electiōnem æqua ratione diudicans.

Fortitudo est considerata periculorū sus-
ceptio & diurna laborum perpeñio.

Temperantia est rationis dominium in
libidinem & alios motus importunos.

ISTAE SVNT SEX PARTES,
Iustitia.

Seueritas.

Veritas.

Liberalitas.

AEquitas.

Obedientia.

Benignitas,

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes premissorum.

Seueritas est virtus debito supplicio co-
ercens iniuriam.

AEquitas est iustitia dulcore misericor-
dæ rigorosa temperans.

Veritas est virtus per quam immutata ea
quæ sunt aut fuerūt aut futura dicuntur.

Obedientia est virtus quæ legitima su-
periorum præcepta exequitur.

Liberalitas est virtus beneficiorum ero-
gatrix.

Benignitas est virtus ad benefacienda ex-
posita sua cūctos inuitans dulcedine.

ISTAE SVNT NOVEM
species benignitatis.

Religio. Pieta.

Innocentia. Humanitas.

Misericordia. Graua.

Reuerentia. Concordia.

Amicitia.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes premissorum.

Religio est virtus diuinitatis curam ge-
rens: cærimonias offerens.

Pietas est virtus per quam sanguine cō-
iunctis & patriæ beneolum officium &
diligens attribuitur cultus.

Innocentia est virtus omnem iniuriæ il-
lacionem abhorrens.

Humanitas est virtus, qua miserationis
affectu nos inuicem tenemur.

Misericordia est virtus per quam ani-
mus super calamitatē afflitorum mo-
uetur.

Gratia est virtus qua amicitiarū & offi-
ciorum alterius memoria remunerandi
voluntas contineatur.

Reuerentia est virtus personis gratibus
vel aliqua dignitate seu pælatione fu-
blimatis

Doctrinæ christianæ

blimatis debitæ honorificationis cultum exhibit. Concordia est virtus conciues & compatriotas in eodē iure spōtaneè vincens. Amicitia est bona volūtas erga aliquam personam causa illius tantum qui dilitur.

ISTAE SVNT 3. SPECIES
prudentie,

Prouidentia.
Circunspectio.
Cautio.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes præmissorum.

Prouidētia est præsentium notitia & futurorū cognitio pertractans euentum. Circunspectio est negotij circumstantias diligenter examinare. Cautio est virtus per discretionem vir-
tutū a vitijs impedimenta effugiens.

ISTAE SVNT SEX SPECIES
fortitudinis,

Magnanimitas.
Magnificentia.
Fiducia.
Securitas.
Patientia.
Constantia.

ISTAE SVNT DEFINITIONES
præmissorum.

Magnanimitas est difficultum rerū spon-
tanea aggressio & rationabilis. Magnificentia est difficultum atq; præclarorum operum consummatio. Fiducia est certa spes animi perducendi ad finem inchoatam rem. Securitas est incōmodates imminentes vel affines rei inchoatae nō formidare. Patientia est iniuriarum atq; contume-
liarum & omnis aduersitatis impetus æ-
quanimiter portans. Constantia est stabilitas animi firmi in proposito perseverans.

ISTAE SVNT OCTO PARTES
Temperantie,

Modestia.
Verēcundia.

Abstinentia.
Moderantia.
Honestas.
Parcitas.
Sobrietas.
Pudicitia.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes præmissorum.

Modestia est virtus, quæ facit cultum & motū & omnem nostram occupationē ultra defectū & citra excessum sistere. Verēcūdia est in gestu & verbo honestatem seruare. Abstinentia est statutum tempus cibandi non præuenire. Moderantia est nimium ciborum appetitum rationis imperio reuocare. Honestas est nec lautiores cibos querere nec apparatu operam dare. Parcitas est mensurā refectionis non excedere. Sobrietas est in potu excessū cohēbere. Pudicitia est rationis moderamēne pe-
culantiam domare.

ISTA EST RADIX OMNIVM
malorum, Superbia.

Superbia est animi tumor quo deus cō-
ditur: proximus despicitur: & proprio appetitu supra rationē obtemperatur.

ISTAE SVNT SEPTEM SPE-
cies Superbie.

Inanis gloria.
Ira.
Inuidia.
Auaritia.
Accidia.
Gula.
Luxuria.

ISTAE SVNT DEFINITIONES
præmissorum.

Inanis gloria est inordinatus animi mo-
tus quo quis propriam desiderat excellē-
tiam vt alios honore præcellat. Ira est subita animi tēpestas qua quis mo-
uetur versus aliquem. Inuidia est dolor animi ex aliena profi-
peritate renascens animum torquens.

vetus Epilogus.

Auaritia est pestis animi circa diuitias. Accidia est animi torpor quo quis timet bonum inchoare aut inchoatū consummare. Gula est cibi potusq; superfluus usus. Luxuria est incontinentia corporis ex pruritu libidinis nascens.

ISTAE SVNT 10. SPECIES
inanis glorie.

Elatio.
Insolentia.
Contentio.
Contumacia.
Inobedientia.

Arrogantia.
Ambitio.
Contemptus.
Præsumptio.
Irreuerentia.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes præmissorum.

Elatio est tumor animi quo quis nō vult pari superiorē vel parem. Arrogantia est tumor quo quis move-
tur ad iactandum ie habere quod nō ha-
ber. Inuidentia est extra cōmūnem usum ho-
minū quasi cæteris deipensis verba san-
cta gestus habitusq; significare. Ambitio est desiderium honoris. Contentio est impugnatio veritatis perfi-
duclam clamoris.

Contentio est quod quis honorare te-
netur tanquam velle neglegere. Contumacia est auferentia maioris ex
comtemptu non obedire. Præsumptio est quod aliorum est sibi as-
cribere. Inobedientia est suis maioribus nolle o-
bedire. Irreuerentia est debitā reuerentiam suis
maioribus non præstatre.

ISTAE SVNT VΝDECIM
species līe.

Odium.
Rixa.
Impatientia.
Proteruitas.
Nequitia.
Furor.

Discordia.
Iniuria.
Contumelia.
Malitia.
Malignitas.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes præmissorum.

Odium est inuerteratus rancor animi.

Discordia est aliquorum dissentio quos amoris vinculum colligat. Rixa est animi motus in discordia. Iniuria est dicto vel factio iniuste gerere. Impatientia est animi motum impetu-
stum non refrenare. Contumelia est illatio conuictiorum. Proteruitas est subitaneo motu verbis p̄ O cimpere.

Malitia est qua quis alicui damnum molitur. Nequitia est cum quis audet quod non potest. Malignitas est mala voluntas ad malum cum mala non potest. Furor est inueterata animi tempesta in rationem proficiens.

ISTAE SVNT SEX SPECIES
Inuidie.

Detractio.
Surtractio.
Deprauatio.
Inuidentia.
Plausus in aduersis proximi.
Dolor in prosperis proximi.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes præmissorum.

Detractio est bonam famam alterius de-
nigrare. Surtractio est inter amicos discordiam teminare. Deprauatio est bona alterius peruertere. Inuidentia est proiperos succelus alte-
rius nolle videre. Plausus est in aduersis proximi gaudere. Dolor in prosperis est de bono proximi contristari.

ISTAE SVNT 5. SPECIES
Augritie.

Simonia.
Viura.
Latrocinium.
Furtum.
Rapina.

ISTAE SVNT DEFINITIO-
nes præmissorum.

Simonia est studiosa voluntas vendendi
vel emēdi aliquid spirituale vel spiritua-
li annexum.

Vi-

Doctrinæ Christianæ

Vsura est emolumētum quodcunq; fortiaccedens.
Latrociniū est violenta usurpatio rei alienæ inuitio domino.
Furtum est latens cōtractatio rei alienæ inuitio domino.
Rapina es violenta prædatio rei alienæ.

ISTAE SVNT 3. SPECIES Accidie.

Defidia.	Pigritia.
Pusilanimitas.	Negligentia.
Improuidentia.	Incircunspectio.
Tepiditas.	
Ignauia.	

ISTAE SVNT DEFINITIO nes premiforum.

Defidia est segnities qua quis bonū age re formidat.
Pigritia est inertia qua quis bonū consummare fastidit.
Pusilanimitas est animi anxietas qua quis timet aggredi magna.
Negligētia est animi torpor quo quis nimis negligens est ad exequendum illud quod debet et exequi.
Improuidentia est mentis obtenebratio qua quis nimis pauidus est circa aliqua futura consideranda.
Incircunspectio est negotij circumstātias negligenter examinare.
Tepiditas est remisse circabene agenda fe habere.
Ignauia est ad bonum non assurgere feruenter.

ISTAE SVNT 8. SPECIES Gule.

Gulofitas.	
Ebrietas.	
Immodestia.	
Inuercundia.	
Vaniloquium.	
Immoderantia.	
Inabstinentia.	
Inhoneftas.	

ISTAE SVNT DEFINITIO nes premiforum.

Gulofitas est excessus in cibo.
Ebrietas est excessus in potu.

Immodestia est corporis ornatus, & vanæ supellectilis vsus immoderatus.
Inuercundia est fœda & turpia verba proferre.

Vaniloquium est in superflua & vitiosa verba exire.
Immoderatia est nimio appetitui ciborū inhærere.

Inabstinentia est tempus cibandi prævenire.
Inhoneftas est lautiora ferculæ querere & eis attentius operam dare.

ISTAE SVNT SEX SPECIES Luxuriae.

Fornicatio simplex.
Adulterium.
Defloratio seu stuprum.
Incestus.
Impudicitia.
Peccatum contra naturam.

ISTAE SVNT DEFINITIONES premiforum.

Fornicatio est carnale commertiū præter legitimum coitum citra adulterium.
Adulterium est violatio alterius thori.
Defloratio seu stuprum est virginis corruptio.
Incestus est consanguinitate vel affinitate coniunctam seu religiosam cognoscere.
Impudicitia est exterioribus signis luxuriam demonstrare.
Peccatum contra naturam est seminis effusio extra locum ad hoc ordinatum.

ISTAE SVNT 7. VIRTUTES contra septem peccata mortalia.

Humilitas;	contra	Superbiā.
Patientia,	contra	Iram.
Amor proximi,	contra	Inuidiam,
Largitas,	contra	Auaritiam.
Diligentiam,	contra	Accidiam.
Abſtinentia,	contra	Gulam.
Castitas,	contra	Luxuriam.

ISTAE SVNT 7. VERBA QVÆ dominus noster Iesus Christus dixit in cruce contra septem peccata mortalia.

Pater.

Doctrinæ Christianæ

Pater ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt: contra Iram.

Hodie mecum eris in Paradiso; contra Inuidiam.

Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo, Ecce mater tua: cōtra Accidiam. Hely hely lamazabatani: cōtra superbiā. Sitio: contra Gulam. Consummatum est: contra Luxuriam. Pater in manus tuas cōmendo spiritum meum: contra Auaritiam.

ISTAE SVNT 7. OPERA misericordie secundum corpus.

Esurientes pascere.
Sipientes potare.
Nudos vestire.
Peregrinos hospitari.
Infirmos visitare.
Incarceratos redimere.
Mortuos sepelire.

ISTAE SVNT SEPTEM OPERA misericordie secundum animam.

Bonum consilium potentibus dare.
Ignorantes docere.
Tristes consolari.
Peccatores corrigere.
Offensas remittere.
Infirmates corporis & animæ patiēter ferre.
Pro amicis & inimicis, & omnibus fidelibus viuis & defunctis orare.

ISTI SVNT QVINQVE SEN sus corporis.

Vifus.
Auditus.
Gustus.
Odoratus.
Tactus.

ISTI SVNT QVINQVE SEN sus spirituales.

Præceptio.
Cogitatio.
Conscientia.
Animositas.

Subtilitas.

ISTAE SVNT 3. POTENTIAS animæ.

Intellectus.
Voluntas.
Memoria.

ISTAE SVNT 4. PASSIONES anima.

Gaudium & Dolor, de presenti.
Spes & Timor, de futuro.

ISTAE SVNT SEPTEM AETAS tes hominis.

Infantia.
Pueritia.
Adolescentia.
Iuuentus.
Virilitas.
Senectus.
Decrepitas.

ISTAE SVNT DEFINITIONES premiforum.

Infantia est à nativitate vſq; ad 7. annos.
Pueritia est ab inde vſq; ad 14. annos.
Adolescentia est ab inde vſq; ad 21. annos.
Iuuentus est ab inde vſq; ad 28. annum.
Virilitas est ab inde vſq; ad 40. annum.
Senectus est ab inde vſq; ad 70. annum.
Decrepitas est ab inde vſq; ad finem.

ISTAE SVNT SEX AETATES mundi.

Ab ADam vſq; ad Noe.
A Noe vſq; ad Abraham.
Ab Abraham vſq; ad David.
A David vſq; ad transmigrationem Babylonis vſq; ad Christum.
A transmigratione Babylonis vſq; ad Christum.
A Christo vſq; ad finem mundi.

ISTAE SVNT DVAE VITAE:

Vita activa.
Vita contemplativa.

ISTI SVNT 3. STATVS ecclesiæ.

Virginum.
Continentium.
Coniugatorum.

ISTA

vetus Epilogus.

ISTAE SVNT OCTO GENERA HONORUM consequentia beatitudinem aeternam.

Pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum coelorum.
Mites: quoniam ipsi possidebunt terram.
Lugentes pro peccatis: quoniam ipsi confabuntur.
Esurientes & sitiens iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur.
Misericordes: quoniam ipsi misericordia consequentur.
Mundi corde: quoniam ipsi Deum videbunt.
Pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.
Persecutionem patientes propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum coelorum.

ISTI SVNT. 7. PLANCTVS
spirituales.

Flere amissionem temporis.
Flere vitam male correctam.
Flere propter proximi compassionem.
Flere per patrici commissionem.
Flere propter gratiae optationem.
Flere propter gloriae premiationem.

ISTI SVNT. 5. QVAE FACIUNT
seruum Christi.

Asperitas penitentiae.
Puritas conscientiae.
Præclaritas sapientiae.
AEquitas iustitiae.
Largitas misericordiae.

ISTAE SVNT. QVAE HABERE
debet unusquisque versus Deum.

Dilectio pura.
Obedientia vera.
Perseuerantia continua.

ISTAE SVNT. 4. QVAE DEBET
habere quilibet erga seipsum.

Intentio iusta.
Cogitatio sancta.
Verbum bonum.
Opus perfectum.

ISTAE SVNT. QVATVOR DEBET
habere qui liber erga proximum.

Subuentio charitativa.

Correctio discreta.
Relaxatio voluntaria.
Supportatio compasitia.

ISTI SVNT. 4. QVIBVS
Deus miseretur.

Lugentibus sua peccata.
Timentibus Dei iudicia.
Remittentibus proximis iniurias.
Perseuerantibus in penitentia.

ISTI SVNT. 4. QVOS DEVS
non relinquunt.

Viuentes in innocentia.
Dolentes in penitentia.
Studentes in sapientia.
Sustinentes in patientia.

ISTI SVNT. 12. FR VCTVS
spiritus Sancti.

Charitas. Gaudium.
Pax. Patientia.
Longanimitas. Bonitas.
Benignitas.
Manuetudo.
Fides.
Modestia.
Continentia.
Castitas.

ISTI SVNT. 12. AFFECTVS
spiritus Sancti.

Perfectionis.
Vnionis.
Operis.
Dilectionis.
Mutua adhaesio.
Contristationis.
Exstasis.
Liquefactionis.
Feruoris.
Languoris.
Perseuerantiae.
Gaudij & exultationis.

ISTAE SVNT. 3. PERSONAE
divinae.

Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

ISTAE SVNT DIGNITATES
divinae.

Potentia, Sapientia, Bonitas.

vetus Epilogus.

ISTAE SVNT NOVEM COMMUNITATES, sive proprietates Dei.

Bonitas. Magnitudo.
AEternitas. Potestas.
Sapientia. Voluntas.
Virtus. Veritas.
Gloria.

ISTI SVNT NOVEM ORDINES
Angelorum.

Seraphin: charitati.
Cherubin: scientifici.
Throni: fortes.
Dominaciones: dominatores.
Principatus: principantes.
Potestates: potentes.
Virtutes: virtuosi.
Archangeli: secretarij.
Angeli: annunciantes.

ISTI SVNT TRES PRINCIPES
Angelorum.

Michael, Gabriel, Raphael.

ISTI SVNT. 3. PRINCIPES
beatorum.

Adam, Moyses, Petrus.

ISTAE SVNT. 7. RE MVNERA
speciales corporis glorificati.

Regnum. Possessio.
Consolatio. Saturatio.
Misericordia. Visio.
Filiatio divina.

ISTAE SVNT SEX GLORIAE
speciales corporis glorificati.

Pulchritudo. Velocitas.
Fortitudo. Libertas.
Voluptas. Sanitas.

ISTAE SVNT. 7. GLORIAE
speciales animæ glorificate.

Sapientia. Amicitia.
Concordia. Honor.
Potestas. Securitas.
Gaudium.

ISTAE SVNT GLORIAE PRINCIPALES
speciales corporis glorificati.

ISTAE SVNT SEPTEM MI-

sterie corporis dan-

nati.

Dulcedo, Suauitas, AEterna lux.

ISTAE SVNT PRINCIPALES
gloria animæ glorificate.

AEternitas. Visio.
Amor. Splendor.
Cantus. Fragrantia.

ISTAE SVNT PRINCIPALES
dotes corporis glorificati.

Claritas.
Subtilitas.
Agilitas.
Impassibilitas.

ISTAE SVNT PRINCIPALE
dotes animæ glorificate.

AEterna tentio.
Clara visio.
Amorofa fruitio.

ISTI SVNT. 3. QVIBVS DEBENT
tur Laureole in Paradiso.

Virginibus.
Doctoribus.
Martyribus.

ISTAE SVNT. 7. CONTEMPLATIONES
vitæ eternæ.

Videre essentiam diuinam.
Humanitatem Christi.
Unionem verbi cum carne.
Videre naturam angelicam.
Videre confortum sanctorum.
Videre seipsum glorificatum corpore.
Videre animam propriam beatam.

ISTAE SVNT QVINDECIM
admiraciones gaudiorum.

Ogloria. Ogratia.
O ingens. O decus.
O altitudo. O Dulcedo.
O fanitas. O magnificætia.
O claritudo. O beatitudo.
O ineffabilitas. O Sublimitas.
O celsitudo. O magnitudo.
O maiestas.

ISTAE SVNT SEPTEM MI-

sterie corporis dan-

nati.

Turpitude

216. Doctrinæ christianæ vetus Epilo.

Turpitudo.	Ponderositas.	Cæcitas.
Imbecillitas.	Seruitus.	Odium.
Infirmitas.	Anxietas.	Obscuritas.
Vita breuitas.		Fletus.
ISTAE SVNT SEPTEM MISERIAE anime dannatae.		Fœtor.
Insipientia.	Inimicitia.	Stridor dentium.
Discordia.	Dedecus.	Amaritudo.
Impotentia.		Æternus ignis.
Tristitia.		Perpetua maledictio.
ISTAE SVNT DECEM POE- ne damnatorum.		Ab his malis Domine Iesu Christe per tuam misericordiam libera nos.
Desperatio.		Amen.

FINIS COMPENDII.

INDEX RERVM MEMORABI- LIV M IN HOC CONSTI-

tutionum volummine contentarum.

